
HOMILIAE THEODORI BEZÆ VEZELII,



IN HISTORIAM DOMINI RESVRrectionis.




Ex Gallicis Latinæ factæ.



GENEVÆ,
Apud Iohannem le Preux.

M. D. XCIII.



ILLVSTRISSIMIS POTENTIbus & Chriſtianis Dominis Dominis Ordinibus Generalibus Vnitarum Germaniæ Inferioris Prouinciarum, Gratia & pax à Deo Patre noſtro, & Filio ipſius Ieſu Chriſto vnico Seruatore noſtro.

ILLVSTRISSIMI *Potentes & Chriſtiani Domini, verſanti mihi, ex eo munere quod in hac Geneuenſi Eccleſia ſuſtineo, in expoſitione reſurrectionis Domini, præſentiſsimi & certiſsimi aduerſus Mortē antidoti, quā iam inde à multis annis, indigniſsimis quibuſque modis, tam multi puris omnibus Eccleſiis per Galliam totā intentant: & cogitāti, ob eas quas deinceps cauſas commemorabo, vobis hoc quicquid eſt operis, cum bona veſtra venia, dicare, ſicut iam antea non alienū opus ab hoc argumento, in hiſtoriā eiuſdē mortis & paſſionis Domini, patriæ meæ nuncupaui: commodū viſum eſt, paucis totā hanc hiſtoriā ad præcipuū ſuum ſcopū cōferre. Is autē eſt abolitio mortis, & eorum quæ ipſam conſequuntur: vt qui nos tam infeſtis animis immerito perſequūtur, ſciant ſeſe vltro dum nos perdere ſtudent, in malorum omnium grauiſsimum præcipites ruere, & è contrario imprudentes ſummum nobis bonum comparare. Qui igitur impoſitam omnibus moriendi neceſsitatem animaduertunt, nec eius verā cauſam, & quæ maximè noxia ſunt ipſius effecta in-*

telligunt, ferè dicere solent, aduersus quæuis mala, præterquam aduersus mortem, remedium inueniri. Sed longè melius edocti Christiani cōtraria planè sentiunt & testantur: nullum videlicet esse certius & paratius aduersus malum vllum quàm aduersus Mortem, si modò ad summū illum & singularē medicum recurramus. Annon enim quæso, verè dicendus est ægrotum persanare, qui ipso morbo pro morbi remedio vsus, illum in integram & firmam valetudinem restituit? Alterutros autem hac de re, tam contrariis & discrepantibus sententiis dißidentes, vehementer errare necesse est. Iam verò quoniam nulla grauior quæstio inter homines agitari potest, ante omnia videamus, ecquæ mors ista sit, quam naturā tātopere reformidāt homines, quæ ipsius causa, qui effectus: & eam primum ex nuda & simplici innata hominibus opinione consideremus: deinde ex iis quæ hac de re ex vera Dei nobis verbo suo patefacta sapiētia didicimus illā expendamus, tum vt eam verius cognoscamus, tum vt præcipuum aduersus eam remedium inueniamus. In summa igitur Mors est huius vitæ priuatio, per disiunctionem animæ à corpore, vnde mox sequitur eius corruptio, id est, in ea ex quibus erat conflatum dissolutio. Animam verò alij ex philosophis huius seculi, sublato omni inter hominis & bestiarum animas discrimine, sibi, quantum quidem possunt, persuadere conantur, nihil aliud esse, quàm halitum euanescentem, aut quoddam temperamentum quod aut vi dissoluatur, aut sponte naturæ

ad

ad interitum vergat, cui sint composita omnia, quibus & animam nostram accensent, obnoxia. Hinc fit vt eiusmodi homines nihil magis quàm mortem reformident, in qua procul arcenda omnem operam ponunt. Alij, quorum paulò melior est sententia, vel infelicem vel beatam animæ ex nostro corpore emigrantis immortalitatem, sed qualẽ ipsis libuit imaginantur. Alij delirantes cæco mentis errore, animas è corporibus in alia corpora transmigrare somniant. In tot verò tantísque deliriis quis miretur alios quidem spem omnem abiicere, alios sibi ipsis frustrâ indignari, alios siipsis brutis stolidiores, in idipsum quod maximè timent præcipites ruere: & omnes istos in vniuersum in ea modò quæ sibi confinxerunt, non in ea quæ sunt intuentes, omnium miserrimos & infelicissimos mori? At sacrosanctum Dei verbum, testis certißimus, & omni exceptione maior, docet nos quómodo, vbi, quando Deus Hominem illum primum condiderit: vt corpus quidem ipsius ex quatuor elementis fuerit temperatum: vt ei fuerit anima, simplicis, si cum rebus corporeis conferatur, eßẽtiæ, ac proinde in sese indissolubilis, vni constituẽdo ὑφιςαμένῳ vnita: duabus istis naturis inter se à conditore Deo tam arcto inter se vinculo connexis, vt vna nunquam separari posset ab altera, si modò sese homo in omnibus obsequentem ei præberet, à quo talis, id est, ad illius imaginem & exemplar conditus fuerat: singulari nimirum quadam intelligẽtiæ luce, & maxima tum voluntatis, tum affectuum integritate prędit9: addita

etiam ei subalterna in res omnes inferiores potestate: &, quod summum erat, immortalitate ipsi concessa, nisi illam vltro & voluntaria rebellione abiiciens, suique ipsius factus homicida, tum disiunctioni animæ à corpore (quę prior est mors) tum morti posteriori, alteri videlicet animæ cum corpore coniunctioni, obnoxium sese redderet, per quam à Deo in sempiternum exclusus, horrendæ perpetuæque Dei maledictioni addiceretur: vtraque illa morte minimè à pura & sancta creatione, sed ex deprauatione naturæ humanæ, per spõtaneum primi hominis & primæ fœminæ lapsum initium ducente. Istis igitur duobus primis hominibus Satanæ impulsu rebellionis reis, tum suo, tum aliorum deinceps ab ipsis continua serie propagandorũ hominũ nomine: occæcata iam eorum intelligentia, & voluntate cũ omnibus affectibus deprauata, cuncti nostro merito, in prioris & posterioris mortis seruitutem incidimus. Sed sapiẽtißimus ille, idémque Omnipotens, & summè bonus rerum Opifex, minimè ferens præclarum illud suum opificium à Satana, hoste suo capitali penitus deleri, ita conatum illius in contrariam partem inuertit, vt ex illo ipso tam graui lapsu & tam horrenda ἀταξίᾳ, occasionem arripuerit, non tantùm iustißimi, & seuerißimi in Satanam, & eius administros palam exercendi iudicij, sed etiam, pro infinita sua sapientia, potentia & peculiari in miserum & perditum humanum genus bonitate, efficiendi, vt vita hæc animalis, felix primùm creata & immortalis, subitò verò postea infelicißima & mortalis reddita, in alteram vitam

tam

tam cœlestem, spiritualem & sempiternam, & quidem cum incomprehensibili gloria cõiunctam immutaretur. Præterea mundi istius inferioris loco, cui ad hominum habitationem destinato benedixerat, sed quem mox, propter peccatũ hominis, ei quã quotidie experimur vanitati obnoxium fecit, habitationem cœlestem supra omnes cœlos, inenarrabili gloria refertam, ijs omnibus qui sui vnius opem implorarent præparauit. Idem ille verò sicut in eo capiendo consilio summè admirandum sese præbuerat, sic in eo quod decreuerat perficiendo, illustrius etiam nobis demonstrauit quàm is sit incomprehensibilis, cuius natura tota, mera est bonitas: cuius voluntas est omnipotens; cuius denique operatio, mera est clementia. Quum enim, quæ est ipsius summa potestas, tam facilè poßet vno momento inferiorẽ hũc mundum suo pristino statui restituere, quàm illũ facilè ex nihilo tam pulchrũ & tam bonum condiderat: longè diuersam rationem inire voluit, quam solus ipse & secum agitare & perficere potuit, vt in hoc opere vel seipso maior appareret. Quis igitur mente consequi poterit altitudinem, profunditatem, longitudinem arcani illius, quo summus ille Deus in Filij sui persona infimam nostram & abiectißimam conditionem suscepit? summa illa virtus tantam miseriam induit? summa illa æternitas nostram mortalitatem subiit? natura illa filij, vtpote veri Dei, ἀπαθὴς illi παθητῇ vnita fuit, vt Redẽptor ille hac quidem moriens summè Iusti illius Iudicis seueritati abundè satisfaceret, illa verò se-

ipsum à morte excitans, infinitã Dei misericordiã erga eos ipsos patefaceret, in quos Deus summo iure in illius redẽptoris persona animaduerteret, in quo nimirum crucifixo omnes electi crucifigerentur: in eiusdem resurrectione resurrecturi, & in eius ascensione tandem sursum collocandi. Sic igitur ille per se ἀόρατος, *sese* ὁρατὸν *in nostra sibi vnita natura præbuit: ille natura* ἀκατάληπτος, *humanæ naturæ finibus factus est circumscriptus: qui tempora omnia antegreditur, in tempore natus est: qui denique singulis rebus existendi vim tribuit, in cruce mortuus est, vt sempiternæ gloriæ decus per crucis contumeliam, vitam denique pretio mortis suæ nobis acquireret. Omnipotens enim ille, vt illustriorem de suo nostróque aduersario triumphum reportaret, illum apertè omnipotente illâ suâ essentiâ & maiestate adoriri noluit: sed eâdem illi oppositâ naturâ, quam licet omnis peccati expertem eâdem tamen infirmißima & abiectißma conditione præditam assumpsit, in quam ab aduersario isto redacta fuerat, illum oppugnauit & simul expugnauit: vt qua ille natura nos superauerat, ipse victus, peßimè sese sibi nefarium illud scelus accersiuisse experiretur: nihil redemptoris huius veri Dei & veri hominis forma serui detrahente de forma Dei, nec Dei forma serui formam absorbente: quam potius ad infimam vsque miseriam redactam perquirere bonus ille pastor non desitit, donec inuentam ad dextram in cælis collocaret. Est igitur huiusmodi hoc mysterium verè meritóque ab Apostolo*

magnum

magnum appellatum, vnico illo Dei filio, Patri συναΐδίῳ καὶ ὁμοουσίῳ in carne conspicuo facto, in Spiritu iustificato, & ab Angelis conspecto, vt supera & infera reconciliaret. Cæterum non minus sese Deus summè sapientem, summè potẽtem & summè bonum in huius sui consilij præstatione declarauit. Quæ enim hæc Omnisapientia est, qua omnem omnium hominum sapientiam stultitiâ carnis pudefacere ab æterno decreuit? quę Omnipotentia, qua omnem Satanæ & hominum ferocitatem, vires, crudelitatem, calliditatem, nõ inuasit modò, sed & perculsit & prostrauit? idque tam exigua hominum manu, nulla humaniorum literarũ disciplina intrinsecus, nulla extrinsecus facundia aut robore instructorum, sed illiteratorũ, artem exercẽtium alioqui vilem & contemptam, immo etiam ex maximè inuisa cũctis gente selectorum, & doctrinam in præcipuis sui capitibus communi hominum rationi ex diametro repugnantem, annuntiantium: quæ Iudæos quidem offenderet, & quam gentes cæteræ pro mera stultitia ducerent? Quandoquidem igitur opus Opificem commẽdat, cedò quis alius res tantas, tã inusitatis modis & rationibus, prorsúsq; adeo sensui humano repugnãtibus, conari potuit, quàm qui Omnisapiens est? ecquis alius tantam victoriã tã tenuibus ac potius nullis adminiculis vsus referre potuit, quàm qui verè Omnipotens est? quis suos tanta misericordia fouere, suas ouiculas à grege aberrantes perquirere, repertas in humeros attollere, & ex dentibus & vnguibus immanis illius leonis eripere potuit, quàm Max.

& summè misericors Deus? Sed & hic rursus aliud sese offert eiusdem Opificis summè admirandum testimonium, bifariam considerandum. Primùm in eo quòd quanto magis Satan & eius satellites Dei voluntati obnituntur, tanto comperiũtur manifestiora & formidabiliora diuina iudicia: quandoquidem illa ipsa eorum pertinacißima contumacia, ex ipsorum induratione promanat, quam illis pœnam summus ille Iudex infligit: nedum vt illa ipsorum obstinatione quidquam diuinę Maiestatis imperio detrahatur: de quo nos admonens diuinus ille vates, Certè, inquit, hominum furor te celebrem reddet. Deinde, quanto filij Dei sunt in hac vita imbecilliores, tanto vis illa Dei spiritualis clarius splendet, efficiens vt quot insultibus impetuntur, tot sint ipsis plãtata trophæa: nedum vt eos aut nolit aut nequeat in eiusmodi tentationibus tueri, tantisperdũ plena fiat omnium rerum restauratio. Hoc enim demum tempore, diuinitus præstituto, Diabolus, cũ suis omnibus, illum quem transfixerunt intuebuntur, extremo illi sempiternæ mortis exitio addicendi: contrà verò qui paßionis ipsius κοινωνοὶ fuerint, eum videbunt in gloriosißima sua Maiestate in quem sperarunt, & cuius hæreditatem tunc demum adibunt. Ecquæ verò est ista vis & hæc bonitas: qua freti ipsius filij, cum primogenito suo fratre in vnum spiritum coadunati: anchora in ipsius Maiestatis throno, & immotis promißionibus defixa, tuti & securi in sæuißimis quamlibet fluctuum æstibus perstant? tum maximè illa tranquillitate, quam mundus nec dare nec

auferre

auferre potest perfruẽtes, quũ sæuissimis tẽpestatibus & procellis iactantur. Cur enim cõdemnationẽ metuerent natiuæ corruptionis sibi conscij, quum & natura nostra perfectissimè & supra quàm credi possit, in hoc Redemptore sit in integrum restituta, quîcum, per fidei in ipsis creatæ veluti manũ apprehẽso, S. Spiritus virtute, sunt coniuncti: & cuius beneficij tandẽ perficiendi pignus in sese habeant: Et cur illo terribili peccatorum sensu consternaremur, ab iis non auro, non argento sed illius sanguinis effusione expiati, qui peccatis nostris debitas omnes pœnas, ad vltimũ vsque quadrantem exoluit? nisi fas sit credi, eum qui sit ipsa veritas, falso dixisse clarissima voce, & tam sonora vt cælum terrámque concusserit, omnia esse consummata. Et quînam de vitæ æternæ certitudine dubitarent, qui longè perfectissima Mediatoris illius obedientia sunt donati, de qua lex ipsa pronunciat, Hæc fac & viues? quæ quidem lex proinde longè maiorem vim habet ad nos in eo seruandos qui sese illi præstandæ obnoxiũ reddidit, quàm ad nos in nobis ipsis dãnandos. Huius autem beneficij testem in nostris quidem animis Spiritum Sanctum, extrinsecus verò nõ modò verbi prædicationẽ: sed etiam sanctum Baptisma in mortem, sepulturam & resurrectionem ipsius: & sacrosanctam Cœnam, quæ est alterum nostræ cum eiusdem pro nobis traditi corporis & sanguinis pro nobis effusi communionis sigillum: vt vel morti ipsi istis Prophetæ verbis insultemus, vbi tua ô mors victoria, vbi tuus ô sepulchrum stimulus? Totum igitur hoc

nostræ salutis mysterium vnico nostro Mediatore nititur, nempe quatenus nostris expiatis peccatis, tum priorem tum posteriorẽ mortem aboleuit: & resurgens sua virtute nobis veræ immortalitatis aditum aperuit. Itaque non est hæc passio quòd ad ipsius fructum attinet, arctè in vnica Christi persona consideranda: sed quod ille nostri causa præstitit in omnes redũdat, qui per veram & viuam fidem, ex illa peculiari Dei gratia, ipsi adhærescunt. Horum autem cœtus is est quem Ecclesiam vniuersalem appellamus, cuius corpus totum congruenter coagmentatũ, ad infima vsq; ipsius mẽbra, pro ea quæ capiti intercedit cum suis membris analogia, Christi spiritus sua illa sapientia, potentia, bonitate vegetat, viuificat & sustinet per omnes suppeditatas ipsius corporis cõmissuras. Hinc enim manat illa συμμόρφωσις nostræ nobis adoptionis testis. Nam quàm est obsecro, nostra sub cruce gloriosa conditio, vel in hoc vno, quòd in eâdem & tam iusta causa, filiũ illum Dei socium habemus? Sic enim in rebus etiam humanis comparatum esse videmus, vt longè sit potior eorum etiam cõditio qui in bonæ causæ defensione vnà cũ viris bonis fortiter occumbunt, quàm eorum qui inter sceleratos placidè vitam exigunt, illis non dißimiles. Sed altius etiam nos euehit hæc conformitas. Sic enim ad eius exẽplum ab iisdem hostibus vexamur, vt simul eiusdem vnius virtute pugnando superiores facti, ipsius victoriæ fructum cum eo communem habeamus. Sed vt hoc melius etiam nouerimus, agedum, qualis & quantus sit huius

ius conformitatis fructus propiùs consideremus. Filius ille Dei naturam nostram essentialiter assumpsit vt esset θεάνθρωπος. Hinc quadam analogia, ex Humanitatis spiritualiter nostræ factæ beneficio, naturæ diuinæ participes, (hoc est, interprete Apostolo, vnus cum eo spiritus: non essentia quidẽ sed imaginis Dei in nobis instauratione) euadimus: vnde beata illa immortalitas corporis & animi in regno illo æterno promanabit. Et hic quidem Mediator, naturæ humanæ respectu, in vtero virginis Mariæ conceptus est: credentes autem itidem noua prorsus per eiusdẽ S. Spiritus virtutem generatione, in illa sanctificata sua matre Ecclesia concipiuntur. Sic virgo quidem Maria illum concepit, quum loquentis Angeli voce auribus simul & animo recepta, respondit, Fiat mihi secundum verbũ tuum: Christus autem quatenus fides est ex auditu, per verbum in auribus & corde nostro ad Iustitiam & sanctificationem concipitur. Sic tota quidẽ Christi vita in terris perpetua fuit aduersus Satanã, peccata nostra & mortem pugna: nobis verò iidem sunt hostes ab eo victi, & prostrati, & iisdẽ armis contra eosdem pro modulo nostro instruimur, vt eos pedibus nostris conculcemus vtcumque nondum planè id quod erimus apparuerit. Sic vt Christi regnum non fuit ex hoc mundo, ita nostrũ ex mundo non est, siquidẽ nos ipsi sumus illius regnum. Ille ab vno ex suis domesticis proditus fuit. Nũ verò prorsus interiit Iudæ proditoris genus? Immo si quando visum fuit illud interiisse, an non hoc nostro seculo reuixit? Archi-

tecti quondã hunc lapidem reiecerunt, quem tamen dũ reiecerunt, in ipsa ædificij structura collocarunt. Ecqui verò acerbiùs, sceleratiùs, immaniùs Christum in ipsius seruis sunt persequuti, & nũc quoq; persequũtur, quàm qui Pastorum Ecclesiæ locũ sibi vẽdicãtes, nõ modò in regnũ illud nõ ingrediuntur, sed ne ingredi quidẽ alios sinũt?

Christus vt blasphemus & seditiosus est accusatus & dãnatus, & à Caiapha circunductus ad Pilatũ, à Pilato ad Herodẽ, & ab Herode rursus Pilato remissus: ecqua verò alia via traductus est idem ille Iesus Christus, Saulo dicẽs, Cur me persequeris? & quanã hodie via circũducuntur in eorũ persona qui pro sordibus & mũdi recrementis habentur? Immò nũc boni & pij deteriore sunt in eo quàm olim conditione, quòd olim quidẽ illa, quantũuis efferata, mundi rabies aliquã iuris speciẽ præ se ferebat: sed iam eò deuentum est vt, nulla habita sexus, ætatis, conditionis ratione, promiscuè omnes fas sit cõtrucidare, mactare, cõcidere, dirißimis quibusque proscriptionibus, atque adeò teterrimis omniũ post hominũ memoriã immanitatibus superatis. At verò hæc via sanguine illius madet, qui hanc sibi & se sequuturis consecrauit: & hæc ipsa nostri cum eo in cruce συμμόρφωσις nos ad idem regnum ipsius deducit: momẽtaneis nostris perpeßionibus, quantæcunque sint, non æquantibus vel minimum illius gloriæ momentum quæ illas consequitur.

Sepultura corporis Domini mortem eius est in cruce cõsecuta, sed tantũ abfuit vt tũ triumpharit Mors, quæ victrix in cruce fuisse videri poterat,

rat, vt contra tum demum fuerit in illa tenebricosa sua specu planè confecta & destructa: adeò quidem vt ne in illud quidem cadauer corruptricem illam vim suam exercere valuerit: quin potius integrum illud & incorruptum, vt præclarũ quoddam sibi commissum depositum, seruare coacta sit, tantisperdum inde viuus victórque sibi & suis redemptor ille prosiliret. Sic quotiescunq; Deo visum est suos vel castigandos vel explorandos eô redigere, vt ad tempus intermortua quasi & consepulta videatur Ecclesia: tum quidem planè de illa actum esse sibi persuadent homines huius seculi, qui tamen ne de rebus quidem corporeis & in sensus incurrentibus aliter statuere quàm cæcutiendo possunt. At interim Ecclesia nũquam intrinsecus illa sua vita spirituali destituitur, sed eorum instar qui vel animi deliquium vel morbũ lethargicum patiuntur, subsistendo interquiescit, & interquiescendo subsistit: omnis lethalis corruptionis expers, & in hac sepulchri specie ita perstans incolumis, vt sit illi thalami cuiusdam instar: sic eam nimirum illo suo spõso per Prophetas suos compellante, Vade popule mi, ingredere in cubicula tua, & claude ostium post te: absconde teipsum paruulum ad momentum, donec prætereat indignatio mea.

Denique quemadmodum Iesus Christus à mortuis excitatus, pro triumphali suo curru victis & vinctis suis hostibus traductis, vsq; ad Patris dextram est euectus, summum in res omnes conditas, supremas, medias & infimas consequutus imperium: ita misella Dei Ecclesia grauißimè

quidem premitur, poſtmodum tamen ex anguſtijs eruitur, & horrendis aquarum gurgitibus immerſa ſemper emergit: vt quæ non magis mergi poßit quàm Dei verbum debilitari, aut eius voluntas immutari, ſiue illam in vniuerſo ſuo corpore conſideremus, ſiue in ijs ſigillatim ex quibus illa conſtat. Nam premuntur quidem illi: ſed non opprimuntur: in anguſtias rediguntur, ſed nõ deſtituuntur: perſequutionẽ patiuntur, ſed non deſeruntur: proſtrati deniq; in cõſpectu hominum qui tamen ſunt ijs indigni, in ſummũ dignitatis culmẽ apud Deum euehuntur, ſic tandem eluſa Satanæ ſæuitia, vt per illos ſuos tortores nihil aliud effeciſſe comperiatur, quàm illorum vitæ curſu in breuiorem gyrum contracto tanto ocyus in cælum peruolandi facultatem illis commonſtraſſe: tanto illuſtriore ſui memoria ad finem vſque ſeculorum relicta, quanto rabioſius in illos exarſit, cum perpetuo ipſius cum ſui ſceleris adminiſtros apud Deum & homines dedecore. Etenim ſi alius eſſet iſtorum conatuum exitus, licet minimè ſemper conſpicuus, neceßariò quoque veritas in falſitatem degeneraret.

Enimuero hiſtoria tota ſacra Prophetica, Apoſtolica & Eccleſiaſtica, ipſúmque adeò cælum & terra, certam & amplam fidem faciunt, tum huius ſanctorum patientiæ nunquam, licèt interdum aliquandiu dilata, gloriæ corona fraudatæ: tum adminiſtrorum Satanæ rabiei, quæ nunquam horrenda illa diuini iudicij pœna caruit. Sed quorſum iſta ab vltima vetuſtate repetita commemorem? Etenim ſi nobiſcum animo reputemus

quanto

quanto cũ impetu rabidus ille Satã annis ab hinc circiter octoginta, in eos irruerit quibus indignus erat mundus: vt veritatis illius cursum abrumperet tot seculis iacentis, vel potius densißimis superstitionis & idololatriæ tenebris immersæ, sed hac demum ætate nostra, velut ex inferis excitatę, & singulari Dei beneficio emicantis: liquidò comperiet nũquam Satanam furiosius sæuitiẽ omnẽ suam exercuisse: nunquã sibi obsequẽtiores habuisse quos suis laqueis irretitos, arbitrio suo transuersos rapit. Sed prohibente quam profitemur religione μνησικακεῖν, immo etiam pręcipiente vt inimicis nostris bene precemur: absit vt sese latius mea diffundat oratio in tam atrocium rerum commemoratione, quæ mentes hominum exacerbare posset. Quin potius Deum oramus vt suæ veritatis facem cæcis præferat, deuios illos tanto furore abreptos in viam reducat: sui Spiritus virtute sic eorum animos inflectat, vt pro eo quòd vltro sibi ipsis perniciem accersunt, vnà nobiscum omnes in sanctam & firmam concordiam coëant, si non tam subitò in ipso religionis negotio (quod suo tempore dabit Deus) at certè in sincero inter se affectu, mutuíque officij testatione, qualem vel ipsa natura, ab ijs quibus est communis patria, efflagitat. Procul igitur sunto omnia illa dißidia, quibus fit vt sese vltro in cõmunis parentis busto & cineribus consepeliant: malo, eheu! tanto nunc magis deplorando, quanto fit quotidie deterius, nullum tandem remedij genus admissurum.

Sed profecto maxima fuerit, neque mediocri

pœna digna ingrati animi culpa, si quo silentio præteriremus insignem illam Dei quam sensimus in his tantis calamitatibus commiserationem. Nam vt in eiusmodi afflictionibus, cum summa ignominia & crudelitate coniunctis, capiti suo conformes facti sunt Filij Dei, quibus vexandis alij rediuiui Pilati, Herodes, Caiaphæ, & Iudæ minimè defuerunt: ita ex aduerso ad eiusdem quoque gloriæ cum illo capite suo conformationem & societatem sic peruenerunt, diuina & omnipotente sui ducis virtute suffulti. Exempla requirimus? Quum vel vnica vrbs illa in Germania, eorum ipsorũ opera per quos in summas redacta fuerat angustias, non modò furentis Satanę impetũ repreßit, sed etiã, domũ ablegato victore tanto Principe, penitus infregit: annõ hoc insigne fuit potentis Dei dextrę opus? lõgè sanè illustrius quàm si Dominus aduersus hostiũ conatus, statim in principio, securam illam præstitisset? Et vtinam faxit Deus ne ædificiũ illud, quod tunc non passus est Deus aliunde subuerti, à seipso subruatur. Rursus autem cuius alterius robore freta, vrbs itidem vnica in Gallia, sepulchri locũ dirißimis & teterrimis piorũ mactatoribus præbuit? atq; adeò immotæ rupis instar, inuicta vnius Dei manu, summißis etiã illi ex intima vsque Polonia diuinitus liberatoribus, euasit firmum aduersus eundem Satanã præsidium? Ecquis verò in Anglia, illa tam graui Mariana tempestate repressa, immanium leonum fauces obstruxit, & vngues retudit? quisnam illam omnium seculorum memoria dignam, quasi ex ipsius

psius mortis faucibus ereptã, ab infimo quo habebatur loco, in tam altum dignitatis gradum subuexit? Quis eam tam inusitatis modis à tam nefariis coniurationibus incolumẽ asseruit? quæ alia quàm Omnipotentis virtus, ventorum excitatis turbinibus dißipauit, effregit, comminuit, in imos aquarum gurgites detrusit, ingentem illam & validißimam classem in eiusdẽ Serenißimæ Reginæ perniciẽ, quę in suis illis regnis verũ pacifici illius regni Salomonis exẽplar renouauit, atque adeo in totius illius florentißimi regni exitiũ comparatam? Deniq; diuini istius in suos fauoris luculenta & nunquàm vllis seculis obliteranda testimonia, vnde potiùs quàm à vobis Illustres Domini, petierimus: quos ab immanißimis Gigantibus oppressos, & viribus impares, tot annos, contra tam furibundos hostium impetus tutatus est: eorum etiam victoriis ad illustrandam suam potentiam in infirmitate suorum abusus? Annon vnus ille verè admirabilis admirabilium rerum omnium auctor? At enim, inquient hostes Pharaonis exemplo indurati, nondũ hæc sunt confecta. Fateor, & interea quoque nos esse quibusnis iniuriis obnoxios. Sed duo hîc esse adiicienda dicimus. Vnum, innocentium tergo non semper hæc flagella insidere, vt qui sic castigentur, non vt pereant, sed vt erudiantur. Alterum, iustos patiendo victores euadere, quũ illi ipsi qui vitæ iacturam in hac pugna faciunt, amplißimum & honoratißimum præ cæteris triumphum reportent.

Tribuatur igitur Deo Opt. Max. Seruatori no-

ſtro laus & gloria tum de præteritis ipſius iudiciis, tum de innumerabilibus eius in vos collatis beneficiis. Sed vno & quidem præcipuo adhuc opus eſt, perpetua nimirum in his iniuriis ferendis conſtantia, quòd præſertim noſtrum non ſit modum vel metam iis præſcribere. Chriſtus enim ipſe, de hac re percontantibus ipſum diſcipulis reſpondens, Veſtrum non eſt, inquit, noſſe tempora ſiue opportunitates quas Pater in ſua ipſius auctoritate poſuit.

Sed habemus interim in quo acquieſcamus, nempe quòd, vt idem Apoſtolus ait, conſilium Domini teneamus, qui non tantùm ſuis amplum illum gloriæ & triumphi campum per crucem aperuit, ſed, quod amplius eſt, ſeſe nunquam paſſurum promiſit, vt ſui ſupra vires in eiuſmodi certaminibus, quod ipſa quoque quotidiana experientia probat, explorentur. Vtcumque enim tudites iſti nullum pertundendæ Eccleſiæ, tanquam incudis finem faciant: manet tamen illa ſolida & integra, attritis tandem & in fragmenta diſsilietibus malleis, nec aliud iſtis quàm certam perniciem ſibi fabricatis. Eam igitur conſtantiæ laudem Deus Opt. Max. vobis, Illuſtres Domini, cum reliquis omnibus preſtantißime notæ dotibus quàm cumulatißimè largiatur. Eius enim gratia (quod abſq; vlla adulationis ſpecie cõmemoro) ſic vos adhuc geßiſtis, vt huiuſmodi precibus potius quàm vllis acrioribus ad fortiter perſeuerandum ſtimulis indigeatis. Neque ſanè ideo ſuperiorem inſtitui ſermonem, quaſi à me doceri vos deceat, quibus datum eſt non ſolum

lùm in Christum credere, sed etiam pro ipsius nomine quiduis perpeti, & verum tum mente tum reipsa Christianismũ profiteri. Duo tamẽ sunt de quibus peto etiam atque etiam vt mihi fas sit, pro animi vestri æquitate, vobiscũ agere. Vnum est, vt in tãta & nunquã satis laudãda cura quã excitandis Ecclesiæ seminariis impenditis. (idcirco, vt opinor, in primis, vt Ecclesiis non desint qui præ cæteris ad opus illud Domini requiruntur) diligenter prospicere velitis, vt quam accuratißimè fieri poterit, maxima cum fide & diligentia, lingua illa sancta doceatur. Deinde, vt impurißimorum illorum & abominandorum spurcißimorum scriptorum veterum & recentiorũ lectio seuerißimè interdicatur: & in omnibus vestris ditionibus quàm longißimè à bonarum artium & disciplinarum scholis repellatur. Sunt enim illæ iuuentuti in vera pietate erudiendæ, & sanctitati morum à teneris etiam annis hauriendæ propriè consecratæ. Cõstat autem & experientia ipsa iam pridem ostendit, illorum scriptorum turpißimorum lectione, quibus vel ipsa terra contaminatur, iuuentutem ad turpißima quæuis cogitàda excitari, & ita sensim ad ea tandẽ exercẽda impelli, haud secus ac si in ganeis & mediis luparũ lustris educarentur: vt fortasse nulla re magis ira Dei in Christianum orbem excitetur quàm huiusmodi sordiũ impurißima tractatione. Et tamen istud tam turpe dictu & factu, longo iam abusu paßim non inualuit modò, sed etiam maximè excolitur & commendatur, nescio quo peruestigãdæ omnis antiquitatis præ-

textu: quum tamẽ earum rerum memoriam quæ non modò nihil nos adiuuant, sed è contrario deteriores nos efficiunt, iampridem obductam obsitam & abolitam esse oportuerit. Alterum illud est quòd licet bonis incredibile, quidam tamen vestrâs, vobis, palam editis etiã scriptis, impingit, qui incertum est, an à vobis aliò commigrarit vt inde sibi facilius esset tum hæc in nos spicula dirigere, tum omnem illam sanctam & rectam politiæ Ecclesiasticæ formam subuertere, quæ Ecclesiis Gallicanis vobiscum est communis. Is est igitur qui vestrates magistratus grauißimè reprehendit, quasi bona Ecclesiastica non tantùm in alios quàm par erat vsus conuertant, sed etiã dilapident, vnde iustis suis meritísque stipendiis fidi Ecclesiarum pastores defraudentur. Quæ si fortè verè diceret (verè autem dici absit vt mihi persuadeam, tametsi in leuioribus etiam rerum perturbationibus talia multa non semper caueri poßunt) istud certè vt recte factum excusari, neque apud Dei tribunal, neque apud homines nulla ratione posset: & præsens remedium requireret, saltẽ vt huiusmodi hominibus omnis de vobis obloquendi occasio præripiatur. Sunt autem, quod vestra per se prudentia summa facilè animaduertit, inter cætera diligenter hic obseruandi & cauendi leues & rerum nouarum studiosi homines, à quibus si qui iã tales extiterint, quibus nihil nisi suum placet, nec rectum quidquam nisi quod ipsis libuerit, videtur: vtinam vos istic Dominus, & omnes vbique Ecclesias immunes seruet: ac deinceps faxit ne qui tales exoriantur.

Denique

Denique ne quis hac epistola mea offendatur quasi extra mei in hac mea Ecclesia muneris fines excurrerim, quanta possum animi demißione precor; Illustres Domini, ne hanc meam, in hac quantulacunque opella, Illustri & honoratißimę vestræ dignitati consecranda audaciam, aliunde profectam existimetis, quàm ex eo quòd vestram hanc sinceræ beneuolentiæ plenam, cum puris Ecclesiis Gallicanis, & speciatim cum hac nostra Geneuensi in eadem causa & contra eosdem hostes coniunctionem mecum reputans, non posse me iure culpari existimaui, si pro tenui facultatum mearum parte, conarer vos eius cõsolationis participes facere, quæ nobis pariter in hac resurrectionis Dominicæ victoria proponitur: vnica nimirum huius nostræ spei basi, qua fit vt qui tam firmo fundamento nituntur nunquam turpiter concidant. Huc accedit quòd pro Christianißima illa & plane singulari vestra charitate, factum fuit, vt durißimis etiam hisce & acerbißimis temporibus, quibus hæc belli flamma in intimis etiam visceribus vestris grassatur, iustißimæ Christianißimi Regis defensioni vos adiunxeritis: Regis, inquam, illius, quem cœlitus in terras videtur Deus demisisse, vt suam maximo illi & vobis proximo regno gloriam & amplitudinem restituat: & quidem inprimis, vt puras in eo regno Ecclesias confirmet. Quid amplius? hanc etiam summa certè liberalitate ciuitatem Geneuensem subleuastis, & etiamnum, in tantis rerum angustijs, quibus iam totum quadriennium versatur subleuare pergatis: Hæc ita-

que tantæ beneficentię publica etiam agnitio quã sine maximo ingrati animi vitio diutius differri non posse videretur, his causis impulsus ego, licet inter multos infimus, hanc quantulamcunq; nostram opellam, Illustri vestro præposito, boni ominis causa, nomine apparere volui: eâdem animi propensione qua Deum Opt. Max. precor, Illustres Domini, vt vestris omnibus consilijs intersit & præsit: vos gloriæ suæ zelo maiore in dies incendat: vos in tantis rerum motibus, rectissima intelligẽtia, & sanctißima prudentia, omni deniq; donorum suorũ agmine septos, & cõmunitos, inuicta sua potentia, & tutißimo præsidio in omnibus periculis protegat: denique vt, pro immẽsa illa sua bonitate, primo quoque tempore ex densißimis hisce tenebris serenißimam lucem iubeat exoriri, ad gloriæ suæ amplificationem: ad hostium suorum perniciem, si qui sese penitus insanabiles præbuerint: deniq; ad tot miserarũ tam duriter acceptarum gentium incolumitatem. Geneua, Calen. Ian. anno vltimi temporis CIↃ. IↃ. XCIII.

Illustri vestræ Dignitati & Amplitudini addictissimus
Theodorus Beza.



TH. BEZAE.

HOMILIÆ IN HISTORIAM RESVRRE-ctionis Domini noſtri Ieſu Chriſti.

HOMILIA PRIMA.

Matth.28.

1. *Extremo autē Sabbatho, quum luceſceret in primū [diem] hebdomadis venit Maria Magdalene, & altera Maria vt ſpectarent ſepulchrū.*

2. *Et ecce terræ motus factus eſt magnus. Angelus enim Domini quum deſcendiſſet è cælo, acceſſit & amouit ſaxū ab oſtio, ſedebátque ſuper illud.*

3. *Erat autem viſus eius vt fulgur, & veſtimentum eius album ſicut nix.*

4. *Cuſtodes autem perculſi ſunt præ ipſius timore, & facti ſunt ſicut mortui.*

PRIVSQVAM hác tam inſignem & magnificam Dominicæ reſurrectionis hiſtoriam aggrediar, incumbit mihi neceſſitas ſeriem explicandi, tum aduentus mulierum ad ſepulchrum, tum eorum quæ ad illud

Quibus modis conciliāda quæ in huius hiſtoriæ lectione prima fronte repugnātia viderentur.

conſpexerunt, ac tandem ab eodem etiam receſſus, quòd leuiter conſiderāti prima fronte pugnantia inter ſe videantur quæ ab Euangeliſtis recenſentur. In primis notandum, vt ipſe Diuus Lucas indicat, præter hic nominatas tres mulieres, Marc. 16. 1. Mariam putà Magdalenam, Mariam matrem Iacobi & Salomen, (quarum tertiam Matthæus omiſit) alias etiam ipſis adiunctas ad ſepulchrum fuiſſe comites. Deinde obſeruandum Euangeliſtas de profectione ab vrbe & ad ſepulchrum aduentu cōiunctim loqui, quæ diſtinctè tamen conſideranda nos hiſtoriæ ſeries admonet. Nam etſi videntur quidem omnes ſub tertij diei auroram ſe in viam dediſſe, vt D. Matthæus & D. Lucas narrant, tamen, quod Iohannes 20. v. 1. ſpeciatim obſeruat, Maria Magdalene venit ad ſepulchrum quum adhuc eſſent tenebræ: aliæ verò iam exorto ſole, Marc. 16. 1. ſeu prior illa vrbe egreſſa, ſeu comitibus illis ſuis diligentior, ſeu ab iiſdem explorandi ſepulchri cauſa præmiſſa fuerat. Præterea Matthæus vnius tātùm Angeli ſuper ſaxum ſepulchri ſedentis meminit, Marcus autem hoc omiſſo mentionem eius tantùm facit qui in ipſo monumento viſus eſt, quorum idem ad mulieres ſermo fuit: Lucas autem vtrumque in ipſo monumento coniungit, Luc. 24. 4. qua in re tamen nulla repugnantia nec contradictio eſt: ſed ex vno ſupplenda quæ in alio deſunt: manifeſtè Spiritu ſancto demonſtrante hac diuerſitate, non autem repugnantia, nullam Euangeliſtarum

rum in hac conſcribenda hiſtoria factam,non minus quàm in aliis, conſpirationem. Tertiò notandum ea quæ de terræ motu recenſentur & eorum qui ad ſepulchrum cuſtodias agebant pauore, ac eorundem in vrbem reditum, (cuius meminit Matth. cap. 28.11.& eorũ quę mulieribus contigerunt narrationi inſeruit) contigiſſe quum eſſent adhuc in via mulieres: ſic hæc omnia adminiſtrante Dei prouidentia,ne mulieres terræ motu qui ad ſepulchrum contigit, cuſtodúmque præſentia perterritæ, cœptam profectionem abrumperẽt. Accipite igitur, meo iudicio ſeriem huius mulierum profectionis.

Huius hiſtoriæ ſeries ex quatuor Euangeliſtarum collatione.

Domini corpus ſepulchro conditum ſub finem primi diei illorum trium quem diem hodie Veneris dicimus, manſit in eo primùm 24. horas diei naturalis Sabbathi, qui ex Iudæorum inſtituto à Solis occaſu diei Veneris cœperat, & ſequenti occaſu deſierat, & vocatur apud Matth.28. 1. Veſpera, id eſt extremũ Sabbathi,nobiſque eſt Saturni dies. Præterea, totam ſequentem noctem,quæ ex Iudęorum inſtituto primi diei naturalis hebdomades erat initium, quem diem Dominicum dicimus, in ſepulchro quieuit,vſque ad auroram primi illius diei, quo terræ motu facto, Dominus reſurrexit, vt ſumus deinceps demonſtraturi. Itaque mulieres iſtæ ſub finem noctis illius ſeſe ad iter ſummo mane egreſſuræ præpararunt. Interim ad ſepulchrum ſub ipſam auroram terræ motus accidit: Angelus ſaxum illud re-

uoluit ab ostio sepulchri: custodes metu perculsi facti sunt sicut mortui, & in vrbem rem vt erat gesta narraturi fugerunt. Maria verò Magdalene, cæteris diligentior, quum ad sepulchrum sub ipsum crepusculum (paulò post terræ motum, vt est verisimile) venisset, reuolutúmque ab ostio sepulchri saxũ eminus cõspexisset, repentè, vt erat feruidissima, ad Apostolos in vrbem, persuasa Domini corpus è sepulchro fuisse sublatum, excurrit. Aliæ verò mulieres, vt verisimile est, dum moram aliquam faciunt, aliæ alias præstolantes, & inter se deliberantes, quomodo sepulchrum, quod à Iosepho clausum aduoluto saxo magno conspexerant, Matth. 27.60. ingrederentur, exorto demum sole ad sepulchrum adueniunt, vbi Angelum saxo insidentem reperiunt, à quo fiunt eorum quæ contigerant omnium certiores. Matth. 28.5. quarum aliæ, quum eas Angelus vocasset, in ipsum sepulchrum magno metu perculsæ, statim nemini quicquam dicẽtes, aufugerunt, Marc. 16. 8. aliæ verò animosiores sepulchrum ingressæ, alium in eo Angelum præterea repererunt, à quo sunt iisdem quibus ab altero sermonibus compellatæ: ex quibus quum magnam consolationem percepissent, & in vrbem regrederentur, ecce ipsis *Dominus* obuiam factus, *discipulis* suis ipsas gesta illa omnia narrare iussit. Quæ sic omnia geri nõ nisi quodam horarum spatio interiecto potuerunt, interea dum Maria Magdalene iterum ad sepulchrum cum Petro & Iohanne aduenit,

nit, qui diligenter omnibus quæ in monumēto conspexerant expensis, incertiores quàm antè, domum reuersi sunt: nisi quòd Iohannes quiddam sibi iam tum de resurrectione cœpit persuadere. Verumtamen Mariam Magdalenem parui cuncta illa facientem, & ad sepulchrum constantius manentem, donec rei gestæ veritatem penitus perspectam haberet, Dominíque corpus furto ablatum sibi persuadentem, tandem est hac Dei filius gratia dignatus vt illi se priori conspiciēdum prębuerit. Marc. 16.9. antequàm aliis mulieribus quæ iam erant in reditu ad vrbem sese conspiciendum prębere̒t, vt ab hac & illis tandē Apostoli de Domini resurrectione certiores facti fuerint.

Tria capita præcipua ante huius historiæ explicationē consideranda.

Habetis, vt equidem sentio, & summam & seriem huius historiæ, ad cuius expositionem antequam accedo, primùm est nobis ista vox Resurrectionis expendenda, quotque sint illius in sacris Scripturis species, tum ad quam illarum Domini nostri resurrectio pertineat, ac tandem quis ad nos inde fructus redeat.

Prima species Resurrectionis corporis instauratione quod antè morte ceciderat.

Vox itaque Resurrectionis propriè significat eius quod morte ceciderat instaurationē: ac corporis tantùm est propria, quandoquidē hominis anima sua natura immortalis est, Deo solo qui à seipso Immortalis est, sic pro sua egregia in hominem voluntate statum ac conditionem qua illam initio iussit esse, conseruante. Verùm propterea quòd illa corporis à mortuis resurgentis instauratio fieri nisi ani-

mæ in ſuum corpus, iterum viuificandum, reditu non poteſt: idcircó vox illa Reſurrectionis de toto homine dicitur ratione totius, non autem diſtinctè ſingularum eius partium reſpectu. Idcirco in ſymbolo noſtro non ſimpliciter profitemur nos credere reſurrectionem, ſed expreſsè carnis reſurrectionem dicimus, ne Chriſtiani videantur eorum errori qui mortales cum corporibus animas ſtatuunt aſtipulari.

Secunda Reſurrectionis ſpecies ab ingenti aliquo periculo liberatio. Tertia reſurrectionis ſpecies pro deſtructione corruptionis & inſtaurationis imaginis Dei in anima.

Et illa quidem huius vocis propria eſt ſignificatio. Vt autem omittam eam loquēdi phraſin, qua reſurgere dicuntur qui ex maximis anguſtiis emerſerunt, aut ſummum periculum euaſerunt, obſeruandum eſt quòd quemadmodum purum intellectus lumen, voluntatíſque & aliorum affectuum integritas ac rectitudo ſunt velut animæ vitæ, hac ratione Deo Creatori ſuo, quæ vera vita eſt, adhærentis: ſic contrà priuationem iſtius puritatis lucis in intellectu, & in voluntate rectitudinis, à ſcripturis mortem animæ vocari: minimè quidem eſſentiæ ſuæ reſpectu, quæ ſemper eadem permanet, ſed quòd hac puritate & integritate deſtituta, ſui Creatoris gratia & fauore excidat, à quo non alium in finem Eſſe ſuum retinet, niſi vt in æternum hanc miſeriam ſentiat. Et quidem intelligendæ ſunt hoc ſenſu quæ toties in Scripturis occurrunt phraſes, homines naſci in peccatis mortuos, donec Spiritus ſancti gratia, quaſi denuò creati, viuificentur, ac noui fiant homines, pedetentim moriente to-

ta

ta natiua illa corruptione, quæ vetus homo dicitur, sic in anima tanquam proprio subiecto inhærente, vt secum etiam corporis corruptionem ac dissolutionem trahat, quemadmodum contrà spiritualis animæ resurrectionem corporis etiam resurrectio in vitam æternam est sequutura.

Præterea quum in Scripturis tum vitæ tum mortis etiam, ac resurrectionis primæ & secundæ mentio frequenter occurrat, age illa etiam enodemus, vt tota nobis hæc materia sit perspectior, & fructum necessarium ex ea percipiamus. Vita prior igitur, vita præsens est, quæ corporis & animæ separatione finitur, quam Apostolus vitã animalem, nobis quippe cum aliis omnibus animantibus communem dicit. Licet autem in nonnullis iterata sit hæc vita, vt in Lazaro & aliis in hoc mundo suscitatis, iterum morituris, semper tamen vita prior nũcupatur, vitæ secundæ opposita, nunquam finiendæ, quæ sunt electi tum corpore tum anima fruituri in illa cœlesti gloria, quam pluribus Apostolus explicat, 1. Cor. 15. hanc secundam vocans non animalem, vt priorem illam, sed spiritualem: futuram nempe communem electis tum corpore tum anima, cum beatis Angelis, Matth. 22. 30. & quidem in statu nobis hodie incomprehensibili. Isa. 64. 4. 1. Cor. 2. 9. *Quid vocetur in Scripturis vita prior & animalis, & vita secunda & spiritualis.*

Duabus illis vitis Scriptura duas mortes opponit, primam vnam, secundum alteram, per mortem primam intelligens separationem *Quid sit mors prior, & qua ratione tum*

electis tū reprobis sit communis. animæ & corporis, communem Dei filiis & filiis huius sæculi, cuius tamen longè sit dispar exitus. Nam Dei filiorum animæ à corpore separatæ ad Christum supra cœlos omnes efferuntur, iam tum quietis æternæ felicitatem, tantisper dum corporum resurrectio fiat, degustaturæ. Luc. 23. 43. Act. 7. 59. & 2. Cor. 5. 9. & Philip. 1. 23. Corpora verò sic dissoluuntur & liquantur in sepulchro, vt velut aurum excoctum, expurgentur & ad gloriosam immortalitatem præparentur: quam ob causam corporum ipsorum mors à Scriptura cum somno quieto & quiete placida comparatur. Quinimo, quòd mors quæ natura sua vergit ad eius quòd est mortuū interitum, contra naturā & vi potente Domini nostri Iesu Christi vertitur in vitæ præparationem, Iohannis 8. 81. Dei filij mortem nunquam conspicere, id est sentire, dicuntur.

Quid sit mors secūda, solis dānandis propria. Contrà verò improborum animæ statim ab illo suo excessu in æternæ maledictionis nobis hodie incomprehensibilem miseriam præcipites feruntur, Luc. 16. 23. & idcirco igni æterno confertur, ad quam ipsorum etiam corpora præparantur, quòd horrendissimus ille & maximè stupendus status, licet nec animas nec corpora filiorum huius seculi mors prima penitus absorbeat, aut in nihilum redigat, vitę nomine sit prorsus indignus. Quam ob causam Scriptura vitam ipsorum secūdam quam per resurrectionem, sunt consequuturi, non vitam, sed mortem secūdam dicit: quam

etiam ob rem Scriptura duarum resurrectionum, alterius ad vitam, alterius ad condemnationem meminit, Ioh. 5. 29.

Quid per primam & secundã resurrectionẽ sit intelligendum.

Supersunt nobis explicandæ voces prioris & secũdæ Resurrectionis, vt vocantur Apocalyp. 20. 5. quæ solis Dei filiis conueniunt. Itaque Resurrectio prima, esto nobis Regeneratio & Sanctificatio credentium, in hoc vitæ curriculo, in Domino nostro Iesu Christo iustificatorum, pérque ipsius Spiritum sanctificatorum, vti superius pluribus exposuimus: quæ in hac vita tantùm inchoata gratia, secunda Resurrectione corporúmque & animarum vltimo die futura coalitione perficienda est, quò secundùm mensuram suam quisque perfectissimè, & in æternum ipsis, ante iacta mundi fundamenta, Mat. 25. 34. præparato regno cœlorum perfruantur.

Domini Resurrectio propriè ad primã speciem refertur, quę corporis & animæ reunio est.

Diuersis igitur illis resurrectionis speciebus sic expositis, pergamus ad secundum caput à nobis propositum, ad quam nimirum istarum specierum Domini resurrectio sit referenda. Primùm itaque dicimus illam referendam propriè non ad eius Deitatem, in se infinitam & impassibilem, quæque non ipsa quidem resurrexit, sed suum ipsius corpus excitauit: non etiam ad eius animam, quippe immortalem: sed ad ipsius corpus, à quo anima triginta nouem horarum spatio separata (nẽpe tribus horis quæ ab hora nona primi diei, erant reliquę, deinde viginti quatuor horis secundi diei, qui fuit Sabbatum & duode-

cim horis noctis diei tertij sub cuius noctis horam vltimam resurrexit) hac tandem resurrectione iterum cum illo coaluit. Verùm nihilominus in symbolo nostro respectu vnitatis Personæ & Totalitatis Iesu Christi, profitemur Iesum Christum θεάνθρωπον resurrexisse. Nam sanè, ni hic qui resurrexit tã verus Deus esset, quàm verus homo, resurrectio ipsius nostræ fundamentum esse nequiret. Quibus adde corpus istud non ad Lazari & aliorum quorundam modum, iterum morti obnoxiũ, fuisse suscitatum: sed contrà mortem sua morte pernempturum, primùm in se ipso vitam cœlestem & perennem in æternum viuente, Rom. 6.10. deinde in omnibus membris suis vltimo die, quum transformabit corpus nostrum humile, vt conforme fiat corpori suo glorioso. Phil. 3. 21. & quum erit omnia in omnibus suis, 1. Cor. 15.28. prout ipse dixit etiam se resurrectionem & vitam esse, Ioh. 11.25.

Qua differentia sit tũ in causa tũ in effectu resurrectionis tam electorum quàm reproborũ.

Sin aliquis excipiat vim igitur illam & effectum inde promanans, perpetuam illam nimirum corporis & animæ coalitionem non esse tantùm propriam Dei filiorum, quum sint & alij vltimo illo die resurrecturi, in perpetuum etiam tum corpore tum anima in illo statu permansuri, ecce duas in promptu responsiones. Quarum prior est, omnes quidem reuera resurrecturos vltimo die animæ & corporis coalitione, nunquam in æternum dissoluenda: at resurrectionem, quam mors secunda sit exceptura, non manaturam à benedictione

patris

Patris in Iesu Christo, sed contra ab eius ira & furore, iustissimam suam sententiam prolaturi & executuri, iam olim aduersus eos in primi hominis condemnatione latam his verbis, Morte morieris, Genes. 2. 17. Nec enim hæ voces tantùm de ea corporis humani in puluerem dissolutione, quæ deinceps exprimitur, Genes. 3. 19. intelliguntur, sed primam & secũdam mortem complectuntur, vt superius diximus, *ad quam secundam mortem* damnati minimè quidem esse desinunt, sed tam horrendus est ac miserandus ille status, vt vitæ nomẽ minimè mereatur.

Altera est responsio, Iesu Christi Domini nostri potentiam esse bifariam cõsiderandam. Omnipotens enim est tum ad suos electos seruandos, tum ad inimicos condemnandos. Quatenus igitur suorum Seruator, vi spiritualis illius vnionis qua illi membra ipsius adhærent, (est enim hæc coniunctio iis solis propria quos pater ipsi dedit) solos eos etiam esse suscitãdos virtute viuifica sui capitis, qui vnicus est Christus Dominus, necessario colligendũ est. Quapropter hæc Apostoli conclusio, Si Christus resurrexit, nos etiam resurgemus, quòd si Christus non est suscitatus, non etiam suscitabimur, 1. Cor. 15. 17. & quod eiusdem capitis versu 22. dicit, sicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Chisto omnes viuificandos, ad solos Dei filios restringuntur, de quorum resurrectione non autem dè damnatorum eo loco Paulus Apostolus loquitur, vt ex ipsa contex-

Inter Iesu Christi seruatoris, & Iesu Christi Iudicis virtutem non parua differentia.

tus totius ſerie conſpicuum eſt. Suſcitandos tamen reprobos agnoſcimus Ieſu Chriſti potentia, ſed tanquam iuſti iudicis, virga illa ferrea, quam à Patre in hunc finem accepit, hoſtes ſuos domantis Pſal. 2. 9. condemnationis iſtius cauſa non à Iudice quidem, vt electorum ſalus, ſed à reproborum corruptione & malitia promanante.

Secunda reſurrectionis ſpecies ſpiritualiter conſiderata etiam de Christo quodammodo dici poteſt, quatenus nimirũ vitæ animalis infirmitates exuit.

Denique Reſurrectio, cuius in hac hiſtoria fit mẽtio, propria eſt corporis Domini noſtri, quod iterum cum anima in vitam ſpiritualem & ſempiternam coaluit. Sed præterea, licet reſurrectio quam animæ tribui diximus phraſi Scripturis vſitata (quatenus nimirum Dei Spiritus in nobis corruptionem noſtram, quæ altera eſt animæ mortis ſpecies extinguit) de Chriſto dici nullo modo poſſit, cuius ſanctiſſima puriſſimáque fuit humanitas ab ipſo ſuæ conceptionis momento, virtute ſancti Spiritus in vtero Mariæ Virginis, Luc. 1. 35. nihilominus tamen quatenus corporis & animę per reſurrectionem coalitione vitæ huius animalis omnes infirmitates exuit, quibus ſe noſtri cauſa ſubiecerat excepto peccato, hoc etiam reſpectu dici reſurrexiſſe quodámodo poteſt, vitæ qualitate tũ corporis tum animæ longè à priore diſſimili: cuius reſurrectionis, ſpiritualiter conſideratæ in animæ & corporis qualitatibus, vi & efficacia, factus eſt primitiæ dormientium, in vitam nempe ſuſcitandorum, 1. Cor. 15. 20. & eorum qui eiuſdem perpetuæ gloriæ & felicitatis in ſecunda reſurrectione

futuri

futuri sunt participes.

Quòd enim à resurrectione cum discipulis edit ac bibit, nequaquam necessitate coactus edendi bibendíque fecit ad corporis alimoniam, sicut prius in hac animali vita quam iam deposuerat. Nec verò magis visio illa fuit aut apparitio ecstatica vel illusoria. Nã id si esset, quinam, obsecro, hic esus & potus certissima resurrectionis veri & eiusdem quod in cruce spiritum emiserat corporis τεκμήρια fuissent? At licet corpus ipsius iam tum vitam viuens spiritualem alimentum ex eo cibo potúve minimè percepit, sed eum sicuti visum est ipsi dissoluit, verè tamen vt antea solebat edit ac bibit: eousque sese demittens vt discipulorum suorum eorúmque omnium quibus ad finem vsque seculorum eius resurrectio prædicaretur, infirmitati diffidentiæque consuleret. Cõtrà verò vt perspicuũ faceret se resurrectione sua longè alterius qualitatis à Priore diuersæ vitam assequutum, cuius in transfiguratione speciem extraordinariam quandam eius Apostoli conspexerant, clausis ostiis ad suos Apostolos ingressus est, modóque illis variis formis apparuit, modò subitò ab ipsorum oculis disparuit: quæ omnia vitæ spiritualis, gloriosæ & sempiternæ, non autem animalis propria sunt, ita tamen vt natura eius humana nullam mutationem, nec quòd ad substantiam, nec quòd ad eius proprietates essentiales patiatur.

Dominus à sua resurrectione non edit nec bibit, aut ex necessitate, aut illusoriè.

Cæterum præter superiora duplex maximi *Primum*

inter Domini resurrectionem & membrorũ ipsius discrimen, quod sua ipsius virtute resurrexit.

momenti discrimen obseruandum est inter Domini resurrectionem & nostram vltimo die futuram. Primum in eo quòd resurrecturi sumus efficacitate potentiæ roboris patris in filio suo Domino nostro Iesu Christo, Ephes. 1. 19. excitati Archãgeli tuba, 1. Thes. 4. 16. quum contra Iesus Christus tanquam verus Deus Patri & Spiritui sancto coëssentialis, eiusdémque cum illis potentiæ ac virtutis animam ipse suam deposuerit ac resumpserit, non aliunde accepta, sed sua ipsius vi ac potestate, Ioh. 10. 18. quod certissimum est & indubitatum essentialis Diuinitatis testimonium, Rom. 1. 4.

Alterum in ipsius gloria mẽsura.

Alterum discrimen non in sola qualitate situm est, sed in mensura quæ gloriam istius qualitatis à resurrectione comitata est. Nam etsi nequaquam eius Humanitas in Deitatem euasit, nec ab hac gloria absorpta est, vt olim Eutychiani somniarunt, & hodie docent vbiquitarij: sed creatura mansit finita, suísque proprietatibus essentialibus tum corporis tum animæ circumscripta, tamen in supremum gloriæ gradum est etiam super omnes res creatas, supremas medias & infimas euecta, Phil. 2. 9. & 10.

Quo sensu sit adorandus Christus tum secundùm Deitatem, tum secundum Hu-

Quapropter etiam propter vnitatem personæ in duabus naturis, quum hæc humanitas sit Filij Dei humanitas, adorandam eam dicimus, etiam ab ipsis Angelis, & adoratione quidem religiosa Dei filio debita: quòd nimirum nequaquam sic ab eius diuinitate distin-

cta

cta sit humanitas, vt humanitas & Deitas duas personas constituant, sed quòd diuina natura sic assumat humanam in vnitatem personæ. Hoc igitur respectu hæc adoratio etiam religiosa. Toti personæ debetur Christi, quem vna implet gloria, Deitatis nimirum respectu directè quatenus verus est Deus: humanitatis verò obliquè, quatenus nimirum hæc humanitas Dei Filij est humanitas. Nam exempli gratia, si Regem coronatum, sceptrúmque gestantem ciuiliter adorandum dicimus à subditis, nempe & animo & gestu externo colendum: hac adoratione non separante Regem à sua corona, nec à sceptro suo, sed propriè tamen Regis personam respiciente, coronam autem & sceptrum obliquè, nimirum tanquam signa & testimonia Regiæ ipsius Maiestatis: quantò magis eiusmodi adoratio propriè ac simpliciter Iesu Christi Deitati, quatenus ipse Deus est, & humanitati eius obliquè quodammodo, idest non simpliciter humanitatis respectu (nam detestanda esset idolatria, quantumlibet in seipsa excellentem & gloriosam eam agnoscamus) sed quatenus eam Deitas illa Dei Filij assumpsit: minime quidem tanquam vestimentum, quod extra personam est eius qui eo vestitur, & quod etiam quoties ei sic videbitur exuit, sed vt inseparabiliter sit vnus noster Mediator, Deus homo, & homo-Deus, in vnitatem personæ.

manitatem in vnitate persona.

Deinde quum Patri visum sit in persona Filij per interuenientem eius humanitatem

Omnis honor & reuerentia ipsi

Christi humanitati in sese & distinctè considerata debetur.

res omnes administrare, Ioh. 5. 27. in qua venturus est etiam visibiliter vltimo die ad iudicandum viuos & mortuos, vt in symbolo nostro profitemur, Act. 1. 2. dico hoc etiam respectu eum esse cuius Humanitati, præter religiosam obliquam illam adorationem Deitatis vnius propriam, maior quàm vlli rei creatæ honor ac veneratio debeatur, quandoquidem, etiam quatenus homo, nomẽ accepit quod est supra omne nomẽ, ad quod omne genu se flectat cœlestium ac terrestrium & subterraneorum, Philipp. 2. 10. putà Iudicis ac Gubernatoris rerum omnium in cœlo & terra, Matth. 28. 18. quo spectat illud Prophetæ, osculandum esse Filium admonentis, Psal. 2. 12.

Supputationum dierum intra quos se resurrecturũ Dominus dixerat.

Denique vt tertium istud caput absoluamus, enodanda nobis occurrit, in dierum istorum trium supputatione difficultas, & quidem maximè quòd ipse Dominus eam aperuerit, Matth. 12. 40. vbi ait, sicut Ionas fuit in ventre Ceti tres dies & tres noctes, ita fore Filiũ hominis in corde terræ tres dies & tres noctes. Itaque quum ipse Dominus, tertio se die resurrecturum dixerit, satis ostendit non intelligendum tertium diem integrum. Nam si ita esset, non tertio, sed quarto die resurrexisse dicendus esset. Phrasis autem illa, *futurum in corde terræ* non ad sepulturam est restringenda, quum de toto illo vltimo exinanitionis suæ tempore, & summa Crucis infirmitate dicatur, quæ Psalm. 68. 3. cum gurgite comparatur. Hæc igitur vera supputatio est. Trium isto-

istorum dierum prior, quorum quisque viginti quatuor horas continet, diem videlicet & noctē, initium capit à nocte qua captus fuit, vinctus & abductus ad Annam, inde ad Caiapham, summóque mane condemnatus, & apud Caiapham, colaphis & omnis generis cōtumeliis impetitus fuit: deinde ad Pilatum deductus, & ab eo ad Herodem, rursúmque ab Herode ad Pilatum reductus, flagris cæsus, morti addictus, crucifixus, modis omnibus illusus, donec spiritum emitteret: tum etiam licet mortuus, latus lancea perfossus, ac tandem sub eiusdem diei finem sepultus, ac reuera in ipsis terræ penetralibus in cauerna inclusus, vbi totum secundum diem quieuit, totámque deinceps noctem à qua tertius dies initium capiebat, ad cuius auroram resurrexit: vt ita Domini veritas in omnibus eius verbis sit conspicua.

Superest explicandus scopus ad quem est tota hæc historia referenda, fructus nimirum nobis ex hac Domini resurrectione, sicut ex aliis omnibus quæ pro nobis præstitit percipiendus: illum autem primùm in genere & pluribus tractaturi sumus, quòd nostro seculo maligni quidam spiritus hanc doctrinam maximè si alias vnquam adulterarint.

Dei Filius non sibi propriè carnem nostram cū eius infirmitatibus induit, sed no

Hoc igitur esto primum fundamentum, hunc Dei Filium coæternum non sibi propriè carnem esse factum. Nam quî fieret, obsecro, maior qui naturâ verus est Deus? Humanitas autem eius inde à conceptionis momento, quum

bis quantúmque sit istud mysterium. vnita personæ Filij fuerit, annon iam tum erat dignissima quæ super omnes res creatas eueheretur, & non opus ei esset sese eousque demittere, vt sese etiam morti Crucis subiiceret? Ingens igitur istud mysterium, in quod ipsi Angeli cupiunt introspicere, 1. Pet. 1. 12. cuius etiam dimensiones nemo consequi potest, Ephes. 3. 18. An non enim istud est obsecro, in omnibus admirandis maximè admirandum, ita Deum miserum hunc mundum dilexisse, vt vno & eodem opere Dei coëssentialis Filius eousque se pro hominibus demiserit, vt esset θεάνθρωπος in vnitate personæ, vt hunc eousque eueheret vt esset ἀνθρωπόθεος: Deumque permisisse hominem sua ipsius culpa in ipsos vsque inferos sese dare præcipitē, vt gratia & misericordia in ipsum vsque Dei thronū eueheretur? atque adeò vt fide facti caro ex carne eius, & os ex ossibus eius, Ephes. 5. 30. tandem ipsius etiam cohæredes fiamus? Nobis igitur hic infans natus est, & hic Filius nobis datus est, inquit Propheta, Esa. 5. 9. & Angeli canunt, Luc. 2. 11. quorum minimè naturam induit, sed semen Abrahami, Heb. 2. 16. immo ipsam Adami carnem, Luc. 3. 38. Nobis igitur etiā ille mortuus, ille sepultus, ille suscitatus, ille nobis in cœlum ascendit, & sedet ad dextram Patris, pro nobis in cœlis apud Patrem intercedit, inde venturus etiam ad viuos & mortuos iudicandum.

Duarū naturarum vnio perso- Ab hac igitur vnione Deitatis Filij cum nostra natura, dependet nostra cum ipso spiritualis

tualis communicatio, vt tum ipse tum quicquid pro nobis præstitit, & quicquid habet communicandum fiat nostrum, etiam ipsa eius gloria cœlestis, vt omnino perficiamur in ipso, Coloss. 2.10. immo vnum cum ipso fiamus, sicut ipse Patrem hoc ipsum rogauit, Ioh. 17. 22, & 23.

nalis fundamentum est nostræ cũ Christo cõmunicationis, & eorũ omnium quæ pro nobis fecit.

Absit autem propter hanc vnionem & communicationem, vllam substantiæ vel animæ vel corporis ipsius in nos transfusionem cogitemus, ne quidem oralem (qualem tamen crassissimam falsissimámque consecutionem necessariò Transsubstantiatorum, Consubstantiatorum, Vbiquitariorúmque doctrina secum trahit) aut essentialiter nobis Spiritus sancti personam communicari, quod falsò sibi quidam hodie fingunt: aut excellentissimas illas perfectissimásque qualitates quibus humanitas Domini prædita est, realiter in nos infundi ac defluere, veluti aqua fontis in suos riuos influit, aut vitis interior vis in sarmenta diffunditur: vt hodie quidam phanatici homines imaginantur, libenter idipsum omnibus persuasuri. Nam in harum similitudinum aut aliarum istiusmodi loquutionum in sacris crebrò occurrentium expositione, veluti capitis & membrorum, eadem anima viuentium, res naturales spiritualibus nequaquam accommodant (quod factum tamen oportuit propter quandam analogiam rerum cum istis similitudinibus) sed contrà res spirituales naturalibus subiiciunt, non minùs crasso errore

Triplex falsissimus ac perniciosissimus error in doctrina communicationis Domini cum suis.

quàm quum Anthropomorphitę Deo manus, pedes, aut os tribuunt, quòd Scriptura nonnunquam ita de Deo figuratè loquatur.

Pater Filiũ nobis communicat, id est nobis offert in verbo suo & Sacramentis, vt noster fiat cũ omnibus iis quæ pro nobis præstitit, fideles autẽ eum instrumento fidei recipiunt in Iustificatio nẽ & Sanctificationẽ gratuitam.

Non sic igitur nobis Filium Pater communicat, idest donat & nostrum facit, & omnia cum ipso, Rom. 8. 32. sed quatenus & quoniam quemadmodum Filius is est in quo, sicuti nos elegit ab æterno, Ephes. 1. 4. ita nos ipsi donat certa vocatione, Ioh. 10. 29. & ipse vicissim sese ipsum nobis cum omnibus suis bonis donat, à nobis, ex fœderis Euangelici formula, modo spirituali & fidei instrumento recipiendum.

Domini passionis peccatorum nostrorum pœnis satisfacientes: eiusdẽ perfecta obedientia, qua iusti fiamus iustitia quam lex requirit: perfectáque nostræ quã assumpsit naturæ sanctitas, qua purissimi reperiamur, quum gratuitò dẽtur & imputentur

Hoc igitur respectu, putâ, quatenus Pater non intuetur nos in nobis ipsis, sed in illo Filio, cui per coniunctionem spiritualem adhæremus, fit, primùm vt quicquid ipse tanquam sponsor noster pro nobis passus est, credentibus imputetur, tanquam si ipsimet illud ipsum passi essent: perfecta verò illa obedientia qua Legis vtramque tabulam perfectissimè impleuit nobis itidem imputatur, non modò vt suo sanguine deletis omnibus nostris peccatis, ab iis absoluamur coram Dei tribunali: sed etiam vt perfecta Legis obedientia quæ soli ipsi inest, nostra etiam facta ex dono & gratia, in ipso vita æterna, solis perfectis Legis obseruatoribus promissa, digni cõperiamur, vt hac vnica ratione corã Dei tribunali sancti & irreprehensi & inculpati in hoc agno sine macula, Coloss. 1. 22. immo etiam in ipso completi sistamur, Col. 2. 10. Deinde, quum perfecta sanctitas, qua nostram humanitatem assum-

ſumptam pleniſſimè pro nobis exornauit, etiam nobis imputetur, noſtráque fiat, inde fit vt præter peccatorum ex naturali corruptione promanantium abolitionem, corruptio etiam illa penitus deleatur coram Deo, vt nulla ſit ampliùs: quod beneficium Scriptura ſacra vocat gratuitam Iuſtificationem, in qua ſola noſtrarum conſcientiarum pax eſt poſita, Rom. 5. 1. quandoquidem efficit vt in nobis nulla ſit condemnatio, Rom. 8. 1. & 2.

credētibus, tres ſunt eſſentiales noſtræ iuſtificationis partes qua ſolæ coram Dei tribunali conſcientiæ pacantur.

Tertiò quod minimè conſequimur hanc gratiam vt corrupti & vitiis dediti maneamus (quod ſi eſſet nunquam ea gloria ad quam hac iuſtificatione ſumus ab eo prædeſtinati frueremur) bonus ille Pater ſic nos per Filium Iuſtificatos & ſibi reconciliatos incipit præter ſuperiora omnia beneficia quum primùm vera ipſum fide apprehendimus in nobis per ſanctum ſuum Spiritum Patris & Filij virtutem coeſſentialem operari, ſuíſque verè cœleſtibus ac diuinis benedictionibus cumulare. Diſcuſſis enim noſtris tenebris in nobis veræ ſapientiæ cognitionem magis ac magis accendit, Epheſ. 1. 8. Deinde voluntatem noſtram & affectus immutare incipit, cor purum creans in nobis, Pſal. 51. 12. vt efficiat in nobis velle & efficere pro gratuita ſua beneuolentia, quò nos paulatim filio ſuo conformes ac cohæredes faciat, Rom. 8. 9. Secundum autem iſtud beneficium, quod variis nominibus in Scripturis deſignatur, nempe Sanctificationis, Regenerationis, Nouæ creationis: quódque mo-

Sanctificatio, ideſt donum illud Dei quo corruptio noſtra in nobis interit, Deíque imago inſtauratur, & quod iā Patri, tum Filio, tum Spiritui ſancto vario reſpectu tribuitur, quū tribus vicibus in nobis perſiciatur nec ab electione diuellatur, non poteſt noſtras conſcientias coram Deo propriè pacare.

dò Patri tribuitur, quòd ipse spiritum illum Filij emittat in corda nostra, clamantem, Abba, id est, Pater, Gal. 4.6. modò Filio, quòd ab eo sicut à Patre spiritus hic procedat: modò ipsi Spiritui sancto hanc veritatem aperiente, & in nobis obsignante, tribus vicibus perficitur. Nam in hac vita primùm, sicuti modò diximus, inchoata sanctificatio, prout Spiritui sancto visum est in nobis operari, pro vocationum & donorum varietate, 1. Cor. 12. 4. & 11. continuatur separatione animę à corpore, qua carnis & spiritus lucta illa finitur: tandem perficienda vltimo illo die, quo mors, vltimus ille noster hostis, in plenam victoriam absorbebitur, 1. Cor. 15. 28. & 54. Hac verò Sanctificatione, nullo modo coram Dei tribunali consciētiæ nostræ pacantur, cui satis est si nostram iustificationem & electionem quibuscum inseparabiliter cohæret testatam faciat. Tantùm enim inchoatur in nobis, & quidem ita vt minimè sit nobis cogitandum, partem vnam intelligentiæ nostræ regeneratam, plenè oculatam esse, alteram verò cæcam: voluntatem vero nostram ex parte puram & rectam, sine vitio quidem, sed tamen imperfectam: ex parte verò alia prorsus fœdam. Sed tenendum potiùs dum hac vita præsenti fruimur, maximè regeneratorum intelligentiam esse mixtam ignorantia in eo ipso quod intelligit: fidémque mixtam diffidentia: voluntatémque quantumlibet puram, multis impuris passionibus permixtam ac pollutam: denique regeneratorum

ope-

opera optima non paucis carnis pollutionibus esse infecta. Nec enim eodẽ modo de hac re iudicandum ac de frumenti aceruo, in quo zizania bono frumento permixta sunt, ita tamen vt frumentum à zizaniis distinguatur & secernatur: sed tanquam de liquore ex vino & aqua constante, sic vt nec aqua pura sit, nec vicissim merum, sed ex aqua & vino mixtio quędam, etiam ad minimas vsque potionis istius particulas: licet ita temperari possit vt aliquãdo vinum superet, quod regeneratis contingit, spiritu Dei in ipsis dominante: contrà verò nonnunquam sic aqua superet, vt vini vix aliquis gustus sit, quod accidit carne superante. Et hoc sæpe nimis contingere minus imperfectis ipsa nos satis experientia docet, vt meritò nobis sit exclamandum cum Propheta, Ne intres in iudicium cum seruo tuo: quia non iustificabitur in conspectu tuo vllus viuens: tantùm abest vt falsæ illi & sophisticæ distinctioni inter opera fidem præcedentia & subsequentia locus vllus sit.

En igitur quis sit tantorum mysteriorum sensus: sed age, vt ex iis fructum percipiamus, quînam morte Christi placatam Dei Patris iram erga nos diceremus, si morte obrutus, ac proinde sempiternæ Dei Patris iræ propter peccata nostra mansisset obnoxius, tanquam sponsor noster qui non esset soluendo? Quomodo verò iusticia ipsius perfecta iustificaremur, si mors (rebellionis pœna quam ipse subiit peccata nostra perferens in corpore suo su-

Sine articulo resurrectionis nihil eorum quæ ad salutẽ necessaria sunt cõsequi possumus.

per lignum, 1. Pet. 2. 24.) illi perpetuò dominata esset? Ac proinde quomodo nos Sp. S. cuius vi & energia caro hæc concepta est in Mariæ virginis vtero, quíque plenè templum istud sanctificauit, in quo habitat omnis plenitudo Deitatis corporaliter, Coloss. 2. 9. sanctificaret, ac tandem gloria & vita æterna tanquam membra ipsius exornaret, si in caput istud qui Sanctus sanctorum est, mors perpetuum obtinuisset imperium? Denique quomodo membra suscitarentur hac ipsa virtute qua Caput ipsũ resurrexit, si caput morti succubuisset? Immo quînam nostrorum corporum corruptio, Iesu Christi corporis communicatione aboleretur, si corruptionem sensisset? Et hoc ipsum D. Petrus in eximia illa prima sua concione nos docuit, Act. 2. 31. Non igitur abs re Paulus Apostolus hæc distinguēs, peccatorum nostrorum remissionem morti Domini, nostrámque Iustificationem, eiusdem resurrectioni tribuit, Rom. 4. 25. nostrámque proinde glorificationē: quũ hæc inter se nexu inseparabili connectantur, Abac. 2. 4. & Rom. 8. 29. Idcirco etiam plerumque non modò vitam æternam, sed etiam noui hominis creationem in hac vita inchoatam ad Domini resurrectionem refert, sine qua, inquit tum Euangelij prædicatio, tum spes nostra futuræ sint inanes, 1. Cor. 15. 14.

Conclusio in istius historiæ vsum ac fructum. Quum igitur, fratres, tanta sit harum rerum certitudo, tantúmque pondus, Deum ac patrem nostrum Opt. Max. supplices precemur, vt

vt noſtras mentes in ſanctæ huius hiſtoriæ intellectum ducat, quam tot indubitatis teſtimoniis fecit nobis teſtatam: vt eam vera viuáque fide amplectétes, non ſolùm aliqua ipſius cognitione ac ſcientia fruamur, ſed vt eius magis ac magis in nobis potentiſſimos effectus ſentiamus: primùm vt quandiu vitam in his terris agimus, tam iuſtificati & pacem in conſcientiis noſtris habentes, quàm ſecundum veterem hominem mortificati, nouum autem viuificati, noua ſubinde in fide ſpe & charitate faciamus incrementa: tandémque per gratiam & miſericordiam Dei noſtri Patris Optimi, Maximi, perueniamus ad vltimam illam Reſurrectionem, in æternum cum noſtro capite tum anima tum corpore reſurrecturi, cui noſtro Capiti, vt Patri & Spiritui sãcto omnis honor & gloria ſit in ſempiternum. Amen.



HOMILIA SECVNDA.

Matth.28.

1. *Extremo autẽ Sabbatho, (.i. exeunte iam Sabbatho) quum luceſceret in primum [diem] hebdomadis, venit Maria Magdalene, & altera Maria vt ſpectarent ſepulchrum.*

2. *Et ecce terræ motus factus est magnus. Angelus enim Domini quum descendisset è cœlo, accessit, & auoluit saxũ ab ostio, sedebátque super illud.*

3. *Erat autem visus eius vt fulgur, & vestimentum eius album sicut nix:*

4. *Custodes autem perculsi sunt præ ipsius timore, & facti sunt sicut mortui.*

Marc.16.

.9 *Quum autem resurrexisset Iesus, manè primo die hebdomadis, apparuit primùm Mariæ Magdalenæ.*

Ioh.20.

1. *Primo verò die hebdomadis, Maria Madalene venit mane, quum adhuc tenebræ essent.*

Dominus suscitatus est sub finẽ noctis, à qua ex Iudæorum instituto primus dies hebdomadis, mortẽ Domini sequentis quẽ diem Dominicũ dicimus, initium capiebat.



Ic primùm memorat Marcus Euangelista qua hora Dominus resurrexerit, manè videlicet tertij diei: quod expressius etiam exprimitur à Iohanne, purà sub illius diei summũ diluculũ. Quandoquidẽ enim Maria Magdalene veniẽs ad sepulchrum quum adhuc essent tenebræ, iã tum tamen apertum sepulchrum reperit, quod signum erat absentis ab eo Iesu Christi corporis, sequitur quod dixi, sub finem noctis summo adhuc diluculo ipsum resurrexisse, cuius noctis vespera erat tertij diei, quem Dominicum dicimus, initium ex Iudæorum instituto, quo tempore re-

reliquæ mulieres adhuc erant in itinere. Hoc igitur mométo quo dies ſeptimus & vltimus hebdomadis præcedentis finiebatur, & à quo ſequens ſeptimana ſumebat initium, vt D. Matthæus loquitur (minimè quidem ipſe nominatim de Reſurrectione loquens, aut ipſius tempus notás, ſed tamen eã ponens, quum de terræ motu illo, de ſaxo ab Angelo auoluto, de Cuſtodum denique pauore verba facit) Dominus extra omnium hominum conſpectum reſurrexit.

Dei prouidentia nec impediri, nec retardari poteſt, ſiue euentũ ſiue tẽpus & mædia aſpicias, cuius doctrinæ ſciẽtia maximi eſt vſus: ignorantia verò magnopere pernicioſa.

Nec verò abs re tempus nominatim exprimitur. Primùm enim Dominus quod ante mortem ſæpe prædixerat tertio die ſe reſurrecturum ratum fecit. At ſanè poterat ille quidem Meridie, aut ſub eiuſdem diei veſperam reſurgere: ſed illud ei tempus maximè placuit, quo minus ſopitos cuſtodes oportuit, aut defeſſos vigilando, quum per interualla noctis quietem carpere potuerint, ſiquidem nox in multas plerunque vigilias, præſertim apud Iudæos diuidebatur, Luc. 12. 38. Et ita quidem ſuam potentiam magis ac magis patefecit, aduerſus quam tantum abeít vt vlla vis aut dolus hoſtium aliquid efficerint ad eorum quæ prædixerat, quęque hoſtes ipſi ſatis intellexerãt, effectum impediendum, Matth. 27. 63. vt contrà ne tantillam quidem ipſis moram adferre potuerint. Quinimò tam cuſtodes ipſi quàm ad monumentum appoſita ſigilla magnum ad Reſurrectionis ipſius veritatem confirmandam & pudorem illis adferendum pondus at-

tulerunt. Hinc igitur elicienda nobis excellentissima maximéque necessaria doctrina ad omnem diffidentiam non modò oppugnãdam, sed etiam superandam, opposito nimirum illi hoc fidei clypeo, quo maximè prętcr reliquam πανοπλίαν Apostolus Christianũ militem instruit, 1. Thess. 5.8. & Ephes. 6.16. Nec enim vera fides tantùm in genere Deum posse ac velle promissis stare: verùm etiam cum præfixo statutóque tempore promissa pręstare, & quidem quibuscunque mediis ipsi videbitur, facilè superatis omnibus impedimentis ac difficultatibus, credit. Sic Israelitæ eâdem nocte qua anni illi triginta & quadringenti finiebantur, de quibus Abrahamum ipse Dominus expressè præmonuerat, Genes. 15.13. Ægyptum egressi sunt, Exod. 12.41. quod si tempus Moses benè cognouisset aut supputasset, non ita proculdubio properasset. Act. 7.25. Cuius etiam properationis pœnam exilium annorum quadraginta sustinuisse ipsum non temerè dixerimus. Domino tamen tam longo temporis interuallo, tũ ipsi Moysi prospiciente, cuius oportuit hac ratione patientiam qua in isto populo regendo maximè opus habuit, exerceri: tum ipsi populo consulente, nimium adhuc saturo & deliciis abundante: tum denique suorum iudiciorum æquitatem in Ægyptios *tam citò* beneficiorum à Iosepho acceptorum immemores patefaciente. Sic oportuit Babylonicæ captiuitatis annos septuaginta compleri præcisè, vt dixerat Dominus, quod patienter exspecta-

ctauit Daniel, antequam eximiam illam & tam expressam precationem, quæ nono historiæ suæ capite continetur, ad Deum funderet. Atque adeò si Scribæ qui sapienter Herodi responderunt, nasciturum Messiam Bethlehemi, Matth. 2. 5. tam diligenter reuelatas Danieli septuaginta septimanas supputassent, ad salutem proculdubiò cognouissent eum, quem in condēnationem suam reiecerūt. Portò lōgè præstantior & laude dignior eorum fides ac perseuerantia videtur, qui Domini promissis fidem adhibentes, sine vlla temporis quo liberandi essent limitatione, patienter ad finem vsque per medias tempestates perrexerunt. Exemplum esto singulare nobis Dauid, non abs re dicens, Psalm. 40. 1. Expectando expectaui & inclinauit se ad me Deus. At hæc non sine lucta, fateor, ingenti, non tantùm aduersus difficultates, quibus nascentibus promissorum effecta videantur nunquam suum finem assequutura, sed etiam aduersus nostram impatentem curiositatem. Atque huius rei testes habemus ipsos Apostolos, qui de Messiæ aduentu ac populi Dei restauratione minimè dubitantes, scire tamen satagebant num illa statim contingerent, eóque ipso momento quo videbant eum suscitatum, Act. 1. 6. At Magistri responsum eiusmodi fuit, vt sit aduersus quālibet impatientiam præsentissimum remediū, nempe ei relinquenda illa qui tempora & opportunitates in sua solius auctoritate posuit. Eadem impatientia tandem etiam incredulos

facit, ac deinceps irrisores ac contemptores, de quibus D.Petrus loquitur 2.Per.3.4.

Periculosum est in tempora & media quæ nobis Deus occultauit velle inquirere.

Hic verò nobis alia Satanæ fraus summopere cauenda est, qui si hac via non potuit, ad incredulitatem nos impellere, alia ad eundem tamen scopum collimante incautos aggreditur. Propterea quòd enim sępenumero Deus sese ad captum veteris illius rudioris populi accommodans, cum per Prophetas consolabatur, prædictis per eos liberationis ipsorum temporibus & opportunitatibus, suscitauit etiam immundus ille spiritus sæpenumero pseudoprophetas, qui veros simularét, qualis ille Iosaphati temporibus Sedechias, 1. Reg. 22.24. & Ananias Ieremiæ seculo, Ierem. 28. quales item fuerunt à quibus miserandus hic populus reiecto vero Messia, vt testantur historiæ, delusus est, vt liquet ex Act.cap.5.36.& 21.38. licet tam accuratè à Domino præmonitus, Matth.24.23.Marc.3.17.Luc.17.23. vnde fit vt quum experientia falsitatem illarum prædictionum detegat, eodem loco etiam deinceps verbum Dei habeant ac fabulas, quibus nulla fides adhibenda. Hoc iampridem in Ecclesia Christiana Satan molitus est in doctrina de Domini secundo aduentu, iam inde ab Apostolorum temporibus, 1. Thess. 5 1. & 2. Thess. 2.2. ad quod opus promouendum iamdudũ abusus est viris quibusdam alioqui bonis & eruditis, sed hac in parte nimiùm decipi facilibus, in temporum eorum supputatione quæ nobis Deus abscondit, aut ita in Apocalypsi

ypsi fidelis serui sui reuelauit, vt experientia teštatum fecerit certam eorum cognitionem non nisi in ipso exitu nobis expectandam: quamobrem etiam qui sapiunt sibi hac in re temperant, hoc potius satagentes, ne in vltimo illo Domini die reperiantur dormientes, aduenturo quum minus exspectabitur, quàm curiosiùs indagantes secundi illius aduentus tempora, quę Dominus Angelis ipsis occultauit, Matth. 24. immo ipsi Filio, distinctæ nimirum humanitatis ipsius respectu, eiúsque sciētiæ quam à seipsa, & sine reuelatione potest habere. Quid igitur fiet impostoribus illis, tam futurorum diuinatoribus, quàm temporum ex arbitrio supputatoribus, quibus hodie terrarum orbis scatet? Nos verò pro deliris illis temporum aucupibus, quæ Deus nobis occultauit, Dei promissiones vera fide amplexemur, de ipsarum veritate, tum quòd ad eius minas aduersus impios & incredulos exequendas, quantumlibet tardare videatur, tum ad promissionum credentibus & pœnitentibus factarum impletionē, magis ac magis persuasi, quæcunque tandem ad fidem labefactandam difficultates & impedimenta sese nobis offerant. De tempore autem & modo, fateor equidem, quò magis mundus in omnem desperatam rebellionem fertur, & quò plura tum in cœlo tum in terris à nobis signa iam olim a Domino prædicta conspicimus, eò propinquiorem esse aduentum Domini, ac summopere cauendum ne idem nobis cōtingat quod

Noachi temporibus quibus cataclyſmus pri mi ſeculi homines incautos & inopinante obruit:ſed viciſſim etiam aio Deo arcanis ſui relictis, quę nobis occuluit, ad eum corda noſtra attollenda, & animas noſtras cum ſilenti & patientia poſſidendas, & vigilibus oculis n ſomno ſopiti deprehendamur, ſalutem eiu expectandam.

Admirãda conueniẽtia inter lucis creationem hoc mundo creato, & Domini, veræ futuri ſeculi Lucis Reſurrectionem.

Sed ad hiſtoriá noſtram reuerſus, à qua paululum digreſſus ſum, (adigente me temporum in quæ incidimus neceſſitate, quibus quum nos, cum tota Domini Eccleſia, tam diuturnam & aſperam tentationem feramus, hæc doctrina valde eſt neceſſaria) circunſtantiam temporis, quo Domino reſurgere viſum eſt, aio non leuiter eſſe prætereundam, ad primam nimirum auroram eius diei qui primus hic dicitur, non ſanè tantùm illius hebdomadæ reſpectu, quaſi nouam hebdomadarum ſupputationem Iudæi finxiſſent, ſed quòd mundi creatio ſeptem diebus peracta, à tali die cœpit, ſemper in orbem redeunte. Hac enim circunſtantia nobis eximia & admiranda cõuenientia, repræſentatur primæ illius creationis mundi quem Adami primi parentis noſtri peccato corruptioni ſubiectum, ſentimus, cum eiuſdem in perpetuam ætatem renouatione poſterioris Adami virtute: vt propterea non immeritò Prophetæ nouorum cœlorum ac nouæ terræ futûræ in aduentu Domini meminerint: & Apoſtolus ad Hebræos, ca. 2. v. 5. Mundum futurum vocet. Aio igitur quemadmodum

modum lux corporea primo die mundi corruptibilis esse cœpit, ingentem illam terræ molem & aquarum gurgitem à quo vndique tegebatur illustrans, cuius administrationi deinde magna il la duo luminaria præfecta sunt: sic Domini Resurrectionem ad auroram primi diei noui huius mundi spiritualis ac æterni factam, primum fuisse radium veræ huius Lucis spiritualis, tam densas illas tenebras à mentibus & animis, tam miseri huius populi in vmbra mortis sedentis, Esa. 9. v. 1. quàm aliarum nacionum omnium, Esa. 49. 6. quas tot retro lapsis ætatibus suis ipsarum viis incedere Deus siuerat, discutientis, Act. 14. 16. Nam etsi sub vetere fœdere Dominus electos suos suæ cognitionis luce, primùm, inquam, patriarchas, deinde populum istum ab Abrahamo oriundum donauit, non eadem gratia nationes omnes dignatus, Deut. 4. 6. Psalm. 76. 2. verè tamen Lucem illam dixeris Lunæ potiùs radiationem, quodammodo noctis tenebras illustrantem, quàm Solis verè φωσφόρε splendorem: quæ licet vera lux Dominus noster Iesus Christus, Ioh. 1. 9. & 11. iam suis præsentia sua in carne, & prædicatione salutis innotuisset, Ioh. 8. 12. & 12 35. velum tamen carnis ipsius adhuc infirmæ plurimum de ipsius splendore detrahebat. Cuius rei fidem facit nobis charissimorum maximéque familiarium ipsius disci pulorum incredulitas, vt non frustra sit ipsis à Christo dictum expedire ipsis vt abeat ad Patrem, quò meliùs ipsis per sanctum Spiritum

ſuum innoteſcat, Ioh. 16. 7. Nos verò miſeras Gentes, etſi Deus non paſſus eſt ſe apud eas expertem eſſe teſtimonij ſuæ Deitatis, tum in cœlo & terra, tum in huius orbis adminiſtratione potiſſimum apparentis, Act. 14. 17. fuit tamen illa Lux inſtar fulguris, ſtatim euaneſcens & in denſiores tenebras deſinens, Rom. 1.19.20.& 21. Vt non immeritò dixerim, Domini reſurrectionem ad primam auroram primi illius diei ſeptimanæ, quum cœpiſſet finem adferre tam cognitioni illi vmbratili veteri populo datę, ſub Legis vmbris ac figuris, quàm denſiſſimis illis & opaciſſimis tenebris, quibus orbis terrarum obruebatur: atque adeò manifeſtationi illi adhuc obſcuræ perſonæ ſuæ, velo infirmitatis carnis adhuc tectæ, reuera fuiſſe veluti primam auroram puriſſimam & lucidiſsimam diei à quo nouus hic mundus ſpiritualis & æternus initium docit. At quemadmodum adueniens aurora paulatim noctis tenebras ſucceſsione temporis in hoc orbe aſpectabili diſsipat: ſic veri huius Solis exortus mundum pedetentim, tantum alioqui ſplendorem non ferentis, ſuis radiis illuſtrauit. Et quidem Ieroſolymam die Pentecoſtes hic ſplendor irradiauit, tandémque prophanas nationes, quum poſt Stephani martyrium Eccleſia diſperſa Sol ille iactis hinc inde ſuis radiis micare cœpit, Act.8.4. vt prædixerat ólim Eſa.60.capite, & ipſe Simeon poſt Zachariam Ieſum Chriſtum Orienti ex alto comparantẽ, Luc.1.78. hunc euentum declararat, Luc.2.32.
Ad-

Admirandam ac consolationis plenam con gruentiam circunstantiæ primæ auroræ diei illius quo Dominus resurrexit, nouum mundum æternum inchoās, cum Lucis creatione, primò die primi mundi corruptibilis audiuistis. Ad hanc aliam non minus admirandam adiicimus, in eo quòd sicuti primus homo, à quo genus humanum per carnalem & animalem generationem ortum habet, Genes. 1. 28. veluti duabus vicibus formatus est, Genes. 2. 7. primùm videlicet, materiali eius corpore ex terræ limo conflato, vitæque huic animali subiecto, tandémque per peccatum tot infirmitatibus, ac tandem etiam dissolutioni in puluerem obnoxio: deinde anima in ipsum indita, essentia quidem sua spirituali & immortali, sed non ita multò post peccato & morti secundæ subdita: sic secundus hic Adam, scaturigo omnium hominum per generationem spiritualem noui mundi perpetui incolarum ac ciuium futurorum & iam existentium, duabus veluti vicibus creatus est, minimè quidem sanè quòd ad corporis aut animæ ipsius essentiam, sed duarum istarum, non modò diuersarum, sed etiam contrariarum qualitatum respectu. Venit enim primùm in illo suo infirmitatis statu nobis simillimus in omnibus, excepto peccato, initium capiente hac eius cōditione ab ipsius conceptione in Virginis vtero, & in eius sepultura desinēte: deinde in statu gloriæ, ab eius Resurrectione capientis initium, licet hanc suam maiestatem adhuc se-

Aliā admiranda conuenientia creationis prioris Adami duabus vicibus cū duabus diuersis & successiuis cōditionibus posterioris Adami, qui Christus est secūdùm carnē, tum in ipso; tum in membris ipsius.

misepulcrā per quadraginta dierum spatium occuluerit, ad suam vsque Ascensionem, & ad Patris dextram Sessionem, futura etiam hac gloria sempiterna. Talis est duabus vicibus, generatio spiritualis Dei filiorum sese Capiti suo conformantium, primùm in hoc tam infirmo statu, quem Apostolus corpus mortis dicit, cuius se respectu miserum exclamat, eóque se liberari desiderat, Rom. 7. 24. 2. Cor. 5 4. Phil. 1. 23. deinde verò in statu illo gloriæ & incorruptionis, nonnisi duabus item vicibus perficiendo in Dei filiis, primum anima post separationem à corpore cum Iesu Christo recepta, Luc. 23 43. Act. 7 59. deinde corpore & anima post resurrectionem in immortalem illam gloriam euectis: quemadmodum Christus antequàm in regni sui plenam ac perfectam possessionem ingrederetur quadraginta in his terris à resurrectione dies egit. Qua in re iterum admiranda, sed tamen admodum inęqualis inter priorem ac posteriorem Adamum congruentia conspicitur, quòd prior Adamus in amœnissimo illo paradiso collocatus, ab eo tandem per peccatum exulare coactus sit, terrenúmque miserum & infectum domicilium habitare, posterior autem Adamus noster, terrenum hunc mundum ingressus, & quidem in stabulo natus, & in pręsepi reclinatus, Luc. 2. 7. minimè tamen sordibus vllis inquinatus, licet nostris omnibus miseriis onustus, excepto peccato, tandem longè supra omnes cœlos, Ephes. 4. 10. eo suos ad se tractu-

rus

rus aſcenderit, Cant.1.4. & Ioh.12.32. in felicitatem æternam, vera de arbore vitæ victuros, Apoc.2.7. quam ob cauſam alter iſtorum locorum alterius figura eſt, putà hortus ille terreſtris, diluuio cum reliqua terræ parte inundatus, alterius cœleſtis ac perpetuæ habitationis vt commune ſit illis Paradiſi nomen, quorum ille prior, Geneſ. 2. 8. hic verò poſterior, Luc. 33.43. 2. Cor.12.4. & Apocal.2.7. quarum ſimilitudinum ampliorem expoſitionem habetis, Rom.5. & 1. Cor.15.

Prior mundus creatus in tempore, dierũ numero & continuatione, durat: at poſterior mundus vna dies eſt perpetua, quæ à Domini reſurrectione cœpit, et ſi non eadẽ vbique lucis menſura fulgeat.

Denique notandum & illud præterea, nobis quidem primum illum hebdomadis diem, ad cuius auroram reſurgere Domino viſum eſt, repræſentare principium Lucis ſeculi venturi, ſicut diximus: at non eandem eſſe creationis vtriuſque rationem. Prior enim mundus ſex dierum naturalium, viginti quatuor horarum, quæ in noctis tenebras & diei ciuilis lucem diuiduntur, ſpatio creatus, alternatione & circumuolutione ſeptimanarum, menſium & annorum, Solis & Lunæ orientium & occidẽtium circuitu, cum infinitis mutationibus fouetur & adminiſtratur. At noui mundi ſpiritualis dies vnus perpetuus futurus eſt, nullis egens corporeis luminaribus: in quo nihil caducum aut tranſitorium, ſicuti Prophetæ nobis eum adumbrarunt, Eſa.19. Dan.12.3. Matth. 13.43. Apoc. 21.23. & 22.5. Hoc ſanè præ ſe fert eximius ille Filiorum Lucis titulus, qua excitantur qui dormiebant, ne ampliùs tenebrarum operibus communicent, Epheſ. 5. 14. ſed

in occursum sponsi cum lampadibus ardentibus conuiuij thalamum ingressuri cum ipso, veniant, Matth. 25. 10. in perpetuum ibi cum ipso futuri, 1. Thessal. 4. 17. Fateor quidem nihilominus perpetuam hanc Lucem perpetui huius tam amœni diei à Domini resurrectione initium accipientis, vti diximus, non nisi pedetentim animaduerti in Lucis filiis, quandiu in his terris peregrinantur: atque adeò in Ecclesiæ administratione quam hæc Lux agit, multas & admirandas mutationes ac reuolutiones, immo & opacissimas Eclipses, in huius Ecclesiæ maxima parte videri, quod nostro seculo conspicuum est, vt videatur Lux ista mundum fugata reliquisse: quod ipse Dominus suam Ecclesiam tot ante lapsis seculis præmonuit, fore nimirum vt in vltimo suo aduentu vix fidem in terris reperiat, Luc. 18. 8. sed quemadmodum quum opacæ nubes & in altum surgentes, séque modò minùs, modò magis expandentes, nostris oculis Solis splendoré eripiunt: non propterea tamẽ Solis splẽdorem imminuunt, in superiorem partem suos radios emittentis: atque adeò longè semper maximum inter noctis tenebras, & eiusmodi nubibus, quantumlibet opacis, obnubilatum diem, est discrimen: sic dies ille Domini spiritualis ac perpetuus idem est in se suíque semper similis permanet, tum in iis quorum iam spiritus illo frui contigit, tum in iis qui vitam adhuc in his teris agunt: ac licet nonnunquam istæ tenebræ splendoris eius men-

menſuram alterent, tamen ſpiritualis illa ſempiternáque Lux in corda credétium ſuos ſemper radios iaculatur, quibus nunquam penitus deſtituuntur. Immò tum maximè quum videtur iſta nubium opacitas, oculis tantùm carneis iſta tuentibus, ſplendorem iſtum penitus obruiſſe, quod ſęuiſſimarum perſecutionum temporibus accidit, Lucis filij Solis iſtius radiis longè maiore vi ac efficacitate illuſtrati, toti collucent, mundi ac tenebrarum filios arguentes, non aliter quàm terra Goſen olim Ægypto tota denſiſſimis tenebris obruta reſplendebat. At quæcunque tandem eleuentur nubes, tandem eximius ille dies Filiis Lucis ſplendebit, ſemel omnibus tenebris diſcuſſis in perpetuum, addicto tenebris infernalibus & ſempiternis Principe tenebrarũ, cũ omnibus qui pertinaciter oblatam Lucem reſpuerint.

Tranſeamus ad ea quæ extraordinariè & παρὰ φύσιν Domino reſurgente contigerunt, ex quibus eius Reſurrectio tanto glorioſior & plenior Maieſtatis appareat. Ingens igitur terræ motus ad ſepulchrum, dum eſſent in itinere mulieres factus eſſe dicitur. En igitur apertiſſimum teſtimonium nihil huius à mortuis ſuſcitati potentiæ detractum eſſe à morte, ſed contrà potius, quum non haberet priùs in terra vbi caput inclinaret, Luc. 9. 58. è ſepulchro exeuntem in totius terræ dominium ac imperium venire, quam ex ſuæ voluntatis arbitrio commoueat. Sic reuera conſpicimus prædicationis Euangelij tonitru, terrarum orbem

Terra tremens ſub Ieſu Christi reſurgentis pedibus, tanquam ſuum Creatorem ac Dominũ agnoſcit & veneratur, tanquam fide & homagio facto, cunctoſq́; ad idem officiũ mortales inuitat.

vniuersum concussum, quasi à fundamentis ipsis conuelleretur, vt ante prædixerat, Agg. 2. 7. Quemadmodum igitur terra, pendente in Cruce Domino mota fuerat, hominum ingratos animos, aut potius tam detestandorum hominum impietatem abominata, &, vt ita dicã, potius in imam abyssum hiatu suo descendere se paratam testata, quàm diutiùs pondus illud Crucis in qua suus Creator ac Dominus pendebat sustinere; sic Resurgentem ipsum agnoscit ad eius obsequium promptissima, testante etiam ipsa Morte nullas sibi vires in hoc mortuo retinendo, nec aliis etiam quorum sepulchra patuerunt, vt huius resurrectionis participes fierent: vt iam tunc profiteretur hoc Caput resurgens membris suis viam aperire, Matth. 27. 52. ita Morte se victam fatente, quum ne corruptione quidem Dominum læsisset à qua immunis fuisset. Porro si terra, quæ sensu & anima caret, Domini tamen Resurgentis gloriam ac Maiestatem agnouit, coram ipso tremens, quas dicemus eorum esse partes in quorum salutem resurrexit? Ac si is in quem speramus terram ipsam concutere potest, quinam aduersus ipsum insurgentes stabunt? siue caput ipsum directè, siue membra ipsius petant, in quibus se pati persecutionem profitetur? Act. 9. 4. Hic igitur ille Filius est à nobis deosculandus: hic ille nobis omni veneratione colendus quam postulat eius Maiestas, cum fiducia quam ex eius bonitate concipimus, vt Psal. 2. 11. docemur.

Sequi-

Sequitur apud historiam Angelum eodem momento fulgureo suo aspectu, & vestis splẽdore qualis esset testantem, visibiliter è cœlo descendisse, saxúmque illud ab hostio sepulchri deuoluisse: quibus docemur huius à mortuis Suscitati vim & imperium terræ finibus non contineri, sed supra cœlos ipsos, etiam secundum eius humanitatem ferri: quam eius dominationem ac Maiestatem ipsi etiam Angeli, iacente adhuc ipso puerulo in præsepi, futuri nimirum ipsius nuntij agnouerint, Luc. 2. 9. Quibus omnibus hoc adiiciamus, tantam nimirum istius Domini beneuolentiam, támque egregiam erga suos esse voluntatem, vt quemadmodum ad Patris dextram sedet, sic electos suos ad suam dextram sedere velit, Mat. 25. 14. disponens illis regnum vt Pater ipsi disposuit, Luc. 22. 29. tãquam suis cohæredibus, Rom. 8. 17. quòd demum reipsa perficietur, quum vltimum illud decretum pronuntiaturus est, Venite benedicti Patris mei, vobis ante iacta mundi fundamenta regnum præparatum possessuri. Quàm magnum igitur quámque pretiosum Christiani nomen, ex quo nos magnus ille Dominator cœlestium exercituum pro fratribus agnoscit, etsi nihil hic terrarum orbis eo vilius aut magis abiectum existimet? Annon igitur potiùs quàm vllo timore percellamur, licet nos vndique tot tantíque ac tam diuersi hostes aggrediantur, cum Dauide sumus dicturi, licet multæ me myriades coactæ circumsepserint, non expauescam?

Angeli huius Resurrectionis nuntii, testãtur huius Imperiũ Suscitati supra cœlos omnes ferri: quam sit gloriam cum membris suis cõmunicaturus,

Psal.3.7. & iterū, Iehoua Lux mea(Iehoua,inquam,pro me mortuus & suscitatus)quem timebo?Iehoua robur vitæ meæ,à quo trepidabo?Psal.27.1. Nam si vnus Angelus vna nocte primogenitos omnes in Ægypto cæcîdit,Exo. 12. 29. & alter vna etiam nocte centum octoginta quinque hominum millia in exercitu Assyriorum sustulit: Réxque ille ac defensor noster tot Angelorum myriadas ad suorum tutelam in procinctu habet,qui manibus reos sublatos gestent, ne fortè ad vllum lapidem offendamus,Psal. 91.11.ecquid erit tandem superorum aut inferorum à quo nobis metuamus,si suscitatus hic à nostris partibus steterit? Rom.8. 30. Hoc autem à nobis tantùm requiritur vt fidos subditos illi nos præbeamus:ac si à fortioribus standum est,ad hunc vnicum tā-quam certissimum ac tutissimum asylum ac perfugium accurramus,quem scimus omnem potestatem habere in cœlo & terra,Matth.28. 18. atque adeò in medio hostium suorum dominari, Psal. 110. 2.sub cuius pedes oportet omnia subiici,1.Cor. 15. 27. mundúmque insanum,& ipsa vanitate magis vanum relinquamus. Quod si factum erit à nobis, ecquis erit nobis metuendus hostis in superis aut inferis, quum,præterquàm quòd Suscitatus hic à mortuis verus est cum Patre Deus,Ioh. 5.20. etiam ipsi quatenus primogenitus noster est,Rom.8. 29.res creatas omnes superas, medias & infimas oporteat subiici, Dominúmque confiteri,Philip.2.10?

Deni-

Denique, quò ſit huius Crucifixi Suſcitati vera virtus in huius hiſtoriæ circunſtantia notior & illuſtrior, age nonne noſtro ſeculo veritatem hanc obruere maximè nituntur ij qui ad Eccleſiæ Chriſtianæ gubernacula ſedent, non meliore conſcientia quàm Caiaphas cum aſſeclis, Ieſu Chriſto iterum condemnato & crucifixo in miſeris ſuis membris, ac ipſa Dei veritate tanquam ſepulchro condita mundóque nunquam apparitura? An non ad hoc efficiendum bullis illis ſuis fulminant, quæ ſigilla quorum hic fit mentio repræſentant, & viribus omnibus vtuntur quas ab Herodibus ſuis ac Pilatis mutuantur? At nonne præfixo à Deo diluculo, missi cælitus Angeli potiùs quàm homines, Flammeũ illũ verbi diuini gladiũ vibrãtes, & puro veritatis Euãgelicæ ſplẽdore coruſcantes, impedimenta omnia ſophiſtices & idololatriæ reuoluerunt, vt veritatem illam iterum mundo repræſentarent, Dei filiis magis ac magis illuminatis, & cæcorum tenebris ingeminatis? Norint igitur iſti rebelles, ſibi inuicem ſuccedentes, non aliam fore ſuam conditionem quàm eorum quos in tam deſperata rebellione ſectantur: Deíque veritatem, vel ipſis inuitis in Dei domo reſplenſuram, donec plena Lux illa perpetua in ſecundo aduentu noſtri Domini ſuſcitati à mortuis appareat, Filiis Lucis perpetuæ, in ſempiternam Principis tenebrarum, & ſuorum ſatellitum confuſionem.

Quemadmodum reuoluto ab Angelis ſaxo ab oſtio ſepulchri, fracta ſunt eorum conſilia quĩ Ieſum Chriſtum ſepulchro retinere cupiebãt: idem hodie per nuntios ſuæ veritatis Dominus perfecit.

Cæterum hic quæri ſolet, an Chriſtus clau- *Ex hac hi*

storia colligi non potest Christū ante reuolutū saxū fuisse suscitatum. Quod si esset, nihil tamen eorum falsam doctrinam adiuuaret qui præsentiam realē essentialem Iesu Christi in Cœna statuunt, aut eius corporis Vbiquitatem imaginantur.

so sepulchro resurrexerit, saxo illo penetrato: an verò facta sibi via per Angelum aperto sepulchro exiuerit. Harum prior opinio iam dudum apud plerosque ex veteribus inualuit, quod hodie nobis obtrudunt, qui sibi & aliis persuadent præsentiam corpoream ac realem corporis & sanguinis Iesu Christi, alij quidem in Missa, Catholici nimirum hodierni Romani, alij verò in pane & vino sacrosanctæ Cœnæ Domini, esse Vbique in cœlo & in terra, vt docent hodie noui Eutychiani Vbiquitarij. Quibus quum responderur pręterquàm quòd modus ille pręsentiæ non modò nulla ratione conuenit cum spirituali Iesu Christi & membrorum coniunctione, cuius istud Sacramentum est sigillum, etiam ex diametro realem illam præsentiam repugnare & contradictoriam esse fidei nostræ articulis, veræ incarnationis, resurrectionis, & Ascensus Domini à terris in cœlos, & ab iisdem quem speramus Reditus, regerunt Christum licet ex virgine intemerata natum, verum tamen humanum habuisse corpus: & clauso adhuc obsignatóque sepulchro resurgentem: & post resurrectionem clausis hostiis ad discipulos ingredientem. Sed esto, concedantur ipsis hæc omnia, non tamen quod volunt efficient. Longè enim inter se differunt quæ præter ordinem naturæ fiunt, & quæ rei alicuius essentiam, qua est id quod est & non aliud quippiam, euertunt. Exempli gratia, Aquæ natura sua liquidæ & deorsum tendentes, præ-

ter

per naturam ſubſtiterunt in rubri maris tranſi-ſu, vi diuina & extraordinaria, Exod. 14. 22. & Iordanis Ioſ. 3. 16. inſtar muri in aceruum conſiſtentes. Eædem ſub Ieſu Chriſti pedibus, immo & Petri ſuper eas incedentis, ſolidatę ſunt, Matth. 14. 25. & 29. Nec propterea tamen amiſerunt aut immutarunt aquarum eſſentialem proprietatem, quemadmodum factum eſt quū in verum ſanguinem verſæ ſunt, Exod. 7. 19. & in vinum, Ioh. 2. 9. propterea quòd liquidum & fluidum eſſe non ſit de aquæ eſſentia, quod ipſa docet experientia, quum licet glacie concreta atque adeò dura vt magna vi ſæpe confringatur, eſſe tamen aqua non deſinat. Simili modo prophetarum ſecuris aquis ſupernatans, 2. Reg. 6. 6. vi ſupernaturali, ferream eſſentiam non perdidit, quòd grauitas non ſit eſſentia ferri. Quum agitur itaque de corporis eſſentiali veritate, magnum aut paruum eſſe, durum aut molle, graue aut leue, craſſum aut tenue, huius aut illius coloris, iſtis vel illis cōſtans lineamentis, non ſunt de corporis eſſentia. At Materiatum eſſe, ſuíſque dimenſionibus circunſcriptum, altitudine, longitudine, latitudine, ex eſſentiali definitione, ac proinde viſibile, & certis ſpatiis quocunque loco ſit contineri ac circunſcribi, propria ſunt corporis ἀχώριστα. Quum igitur Dominus verum humanum corpus aſſumpſerit, pluribus ſimul eſſe locis non poteſt, nec inuiſibilis ac impalpabilis in ſe dici, quin veritate ſui corporis

ſpolietur, quod ſi eſſet, ſalutis noſtræ ſpem funditus euerteret. Nec verò quicquam eos glorificati corporis effugium iuuat. Nam ſi eò vſque glorificatio extenderetur, nequaquam ornamentum eſſet iſtius corporis, ſed abolitio contra & deſtructio. Sed ipſe præterea Dominus quum poſt reſurrectionem diſcipulis ſuis apparuiſſet, & diſertis verbis dixiſſet, Venite, videte, Palpate, vt oſtenderet per reſurrectionem corpus ſuum tantùm animalis vitæ infirmitates exuiſſe, non autem veritatem ipſius animalem, ſatis teſtatur illam diſtinctionem corporis glorificati & non glorificati, inanem eſſe prorſus ac nullius momenti hac in parte. Quid amplius? quòd viſibiliter exceſſit, & è terris ſupra cœlos omnes euectus eſt, vt apertè docet Aſcenſionis hiſtoria: & quod ipſe Petrus expreſsè dicit, oportere illum cælis, ſupra quos aſcendit, contineri, vſque ad tempora reſtitutionis rerum omnium, Act.3.21. quódque Angeli declararunt conſpiciendum ipſum redeuntem ad iudicandum viuos & mortuos, ſicuti conſpectus eſt cœlum aſcendens, nobis omnem dubitationem eximunt, tum de veritate corporis ipſius, tum de eiuſdem manſione nunc ſupra cœlos omnes, & non ampliùs in terris: ſicuti nemini dubiũ eſt eius humanitatẽ quandiu in terris cũ diſcipulis verſaretur, in cœlo nõ fuiſſe: nec Angelũ eſſe mentitũ quum clarè & apertè diceret, ipſum egreſſum ſepulchro, non ampliùs ibi eſſe: quemadmodũ non erat in ſepulchro quũ eſſet in Cruce, nec Hiero-

rosolymis quum esset Capernaum. Nam quid erit alioqui Domini ascensus quàm disparitio? & eiusdem reditus quàm apparitio? Quod Ecclesia Christiana sanè nunquam credidit: sed detestandi Marcionitę. Sed demus ista nullius esse momenti, quorsum tandem ista glorificatio, quum Cœna sit à Domino instituta, summæ suæ infirmitatis tempore: & tam Catholicos Romanos, quàm Vbiquitarios, Trāssubstantiatores & Consubstantiores oporteat agnoscere hæc verba, Hoc est corpus meum, & Hic est sanguis meus, non aliter esse vera in administratione, seu Missæ, qualem imaginantur, seu Sacrosanctæ Cœnæ, quàm fuerint tempore primæ huius Sacramenti institutionis? At verò realis & essentialis corporis Iesu Christi à terris absentia, ad vltimum vsque ipsius reditum quem expectamus, nihil detrahit de veritate & effectu præsentiæ Sacramentalis, per quam nobis repræsentatur, non tantùm nunc essentialiter in cœlis & non alibi existens Iesu Christi humanitas, sed eius etiam mors ac passio, immo quicquid pro nobis fecit ac passus est, licet illa quidem in sese iam præterierint. Exhibentur autem illa nobis minimè quidem tanquam reuera hîc in terris vbi sumus existentia, & non alibi: nec etiam per somnium, aut vanam aliquam imaginationem: sed intellectui nostro offeruntur fide illustrato, res illas omnes spiritualiter ad salutem intuente ac percipiente, quatenus easdem nimirum in iis quæ fidei credentium significantur & offeruntur, tum in Sacramentali

verbo, tum in additis signis. Habetis quid de hac tota controuersia aduersus supradictos errores Ecclesia Dei, ex Dei verbo semper docuerit & adhuc doceat. Sin aliquis ampliùs quærat, quomodo igitur contigerit realis illa penetratio corporis Domini, sine vlla continui dissolutione aut apertura, nec intemeratæ Virginis, nec saxi sepulchri, nec denique ianuarum clausarum, differam hanc quæstionem in locum illum, in quo de ianuis clausis dicturi sumus. Hoc tamen hîc obiter dicam, quicquid plerique ex veteribus senserint, non posse ex hoc loco, nec alio vllo Sacræ Scripturæ erui, Iesum Christum ante reuolutum saxum exiuisse de sepulchro: quum sit illud potiùs verisimile Dominum vsum esse ad istud opus Angeli ministerio: minimè quidē quasi per se istud Dominus non posset efficere, (quū istis longè maiora præstiterit) seu per Omnipotentem suam Deitatem, seu per Humanitatis etiam instrumentum ac mandatum: sed vt gloriæ suæ Maiestatem redderet illustriorem, cui ipsos etiam Angelos ex officio ministrare oporteat.

Cur Dominus voluerit ab Angelo saxū reuolui, & sigilla cōfringi, videntibus ac sciētibus qui ad sepulchrum excubabāt.

Supersunt explicanda in historiæ serie quæ militibus contigerunt ad sepulchrum excubantibus, vt ipsum Deum ac Iesum Christum mendaces facerent. Nam etsi non erat hæc eorum mens, quatenus nimirum Iesum Christum non pluris quàm mortuum hominem facientes, sibi cum solis eius discipulis esse negotium arbitrabantur, Matth. 27. 64. tamen si

vou

vóti compotes essent facti, Deum oportuisset, qui hanc per Prophetas resurrectionem prædixerat, & Christum qui toties eandem támque expresse declararat, mendaces inueniri. At contrà Deus semper esto verax, omnis autem homo in vanitate sua mẽdax. Quis igitur strenuis istis militibus animos abstulit? quis manus eorum stupefecit? quis velut mortuos in terram prostrauit? An discipulos dixeris, quos nihil minus cogitasse certum est? Petrúm-ne qui vnius ancillulæ voce tantopere percussus, non cogitabat de gladio euaginando, sed de grauissimo peccato suo potiùs deflendo? Non denique Iosephum, non Nicodemum: sed eum aduersus quem nihil efficit dolus, nec vllæ vires, qui ad hunc effectum tum terræmotu vsus est, tum Angeli è cœlis descensu, qui cum fulgureo aspectu saxum deuoluerat miro impetu laceratis & confractis signis ac sigillis, à bonis, scilicet, istorum militum dominis sepulchro appositis. Longè igitur factum istud admirabilius fuit quàm si opera hominum ad id vsus fuisset Dominus: quos etiam poterat ille quidem funditus vel sola sua voce, sicut antea perterrefecerat eos qui comprehensuri ipsum accesserant, Ioh. 18. 6. (at erant isti prorsus indigni, quem suscitatum audirent, viderent-ve) vel alia quapiam ratione & modo perdere. At verò Dominus admiranda sua prouidentia voluit istos conuictos teneri sensibilibus & non dubiis testimoniis: nuntiúmque suis ferre magistris, quo tum de innocentia, tum de po-

tentia eius quem Cruci affixerant coarguerentur tam magiſtri quàm milites, atque adeò de ſuſcepto quod deinceps audituri ſumus conſilio conuincerentur.

Conformitas inter mortem, ſepulturã & reſurrectionem Domini, tótque Eccleſiæ ipſius afflictiones, oppreſſiones & ab iiſdẽ liberationes, & quidem plus quàm humanis & verè cœleſtibus mediis.

Diſcamus igitur primùm ex hoc loco, Dominum ſi quum tam ſæpe ſuam Eccleſiam ſemiſepultã, vt ita dicam, reperiat, nec tam repentinum quàm optaremus auxilium adferat, non indigere tamen nec viribus nec egregia in ipſam voluntate, ſed inſigniorem eius eſſe liberationem velle, mediis vtendo nec præuiſis nec expectatis, cuius rei non hæc tantùm hiſtoria, ſed infinitæ aliæ fidem nobis faciunt. Et ne procul excurramus, quæ nos ipſi noſtris oculis inſpeximus, & adhuc inſpicimus, nonne ſunt tã inſignia, vt væcordẽ eſſe oportat qui non animaduertat? Faxit igitur Deus Opt. Max. vt nos bonos in hac ſchola diſcipulos præſtemus, animáſque noſtras in ſilentio & patientia poſſideamus. Nam, quicquid tandem ingruat (ſicut iam ſupra diximus, ſed iſta decies repetita placent, diligenter meditanda) tam parum promouerunt aut promoturi ſunt, quicunque aut vi aperta, aut occultis conſiliis ac dolis impedire nituntur quominus Eccleſia Domini ſepulchrum iſtud & antrum idololatriæ ac ſuperſtitionum, in quo tam diu iacuit, quàm potentiſſimè ac magnificentiſſimè perrumpens egrediatur, quam iſti ſigillis ſuis, ſaxo ingenti ac illi cuſtodiendo ſatellitibus adhibitis promouerunt in impedienda aut retardanda ne tantillum quidem præfixo

mo-

momento Domini resurrectione.

Denique sicuti nos hic terræ motus, Angelique ministerium docet, in omnibus periculis in huius Suscitati pro nobis robur ac potentiam recumbere, veluti supra docuimus: contrà etiam hinc discendum nobis quos oporteat timere, quum verissimum illud sit antiqui Doctoris dictum, Vis nihil timere, Deum time, & tutus eris: quem si non times, omnia time, immo etiam minima quæque, ranas, inquã, muscas, pediculos, quibus vltoribus Ecclesiam suam à Pharaonis tyrannide Dominus vindicauit: tum ingentes illos exercitus locustarum, bruchorum & erucarum, de quibus Ioel. 2. 25. & alibi. Quis enim non tremat rugiente in syluis leone? Amos 3 8. Dominum igitur nostrum reuereamur, sub alarum eius perfugio quieti: supplicésq; precemur ipsum, vt nostris cordibus ad debitam ipsi obedientiam formatis, nos magis ac magis protegat, & in suos hostes pessima ipsorum consilia retorqueat ad Nominis sui gloriam, & suorum quam ipsis expedire nouit tranquillitatem. Amen.

Iesu Christi inimici ij sunt quibus omnia sunt metuenda, & qui sibi ipsis ruinam & exitium adferunt.



HOMILIA TERTIA.

Matth.28.

1. *Extremo autẽ Sabbatho, (.i. exeunte iam Sabbatho) quum lucesceret in primum [diem] heb-*

domadis, venit Maria Magdalene, & altera Maria vt ſpectarent ſepulchrum.

2. *Et ecce terræ motus factus eſt magnus. Angelus enim Domini quum deſcendiſſet è cœlo, acceſſit & auoluit ſaxũ ab oſtio, ſedebátque ſuper illud.*

3. *Erat autem viſus eius vt fulgur, & veſtimentum eius album ſicut nix.*

4. *Cuſtodes autem perculſi ſunt præ ipſius timore, & facti ſunt ſicut mortui.*

5. *Reſpondens autem Angelus dixit mulieribus, Vos [verò] ne timete, ſcio enim vos Ieſum crucifixum quærere.*

6. *Non eſt hic: reſurrexit enim, prout dixit. Adeſte, videte locum vbi iacebat Dominus.*

7. *Et citò profectæ dicite diſcipulis eius eum ſurrexiſſe à mortuis. Et ecce præit vobis in Galilæam: illic eum videbitis, ecce dixi vobis.*

8. *Tunc egreſſæ citò à monumento cum timore & gaudio magno, currebant vt renuntiarent diſcipulis eius.*

Marc. 16.

1. *Et exacto intercedente Sabbato, Maria Magdalene, & Maria Iacobi [mater] & Salome, emerant aromata, vt venientes vngerent eum.*

2. *Et [egreſſæ] valde mane, primo die hebdomadis, veniunt ad monumentum, exorto ſole [Maria nempe mater Iacobi & Salome: nam Maria Magdalene, aut quòd alias præceſſerat, aut gradũ accelerarat, venerat ad monumentum, quum adhuc eſſent tenebræ & repentè in vrbem redierat, Ioh. 20. 1.]*

3. *Dice-*

3. *Dicebántque inter sese, Quis reuoluet nobis saxum ab ostio monumenti?*

4. *Intuitæ verò conspiciunt saxum esse reuolutum: nam erat magnum valde.*

5. *Ingressæ autem in monumentum, viderunt iuuenem sedentem ad dextram, amictum stola candida: & expauerunt.*

6. *Ipse verò dixit eis, Ne expauescite: Iesum quæritis Nazarenum, illum qui fuit crucifixus: resurrexit, non est hic: ecce locus vbi posuerant eum.*

7. *Sed abite, dicite discipulis eius & Petro, [ipsum] præire vobis in Galilæam, illic eũ videbitis, prout dixit vobis.*

8. *Tunc abeuntes citò fugerunt à monumento, tenebat enim eas tremor & stupor: neque cuiquam quicquam dicebant: timebant enim.*

Luc. 24.

1. *Primo autem die hebdomadis, profundo diluculo iuerunt ad monumentum, ferentes quæ parauerant aromata: & nonnullæ cum ipsis.*

2. *Inuenerunt autem saxum auolutũ à monumento.*

3. *Et ingressæ non inuenerunt corpus Domini Iesu.*

4. *Et factum est, dum in ea re hæsitarent, ecce, duo viri superuenerunt eis, induti vestibus fulgurantibus.*

5. *Quum autem expauefactæ inclinarent faciem in terram, dixerunt eis, Quid inter mortuos quæritis eum qui viuit?*

6. *Non est hic, sed surrexit, Mementote vt*

loquutus sit vobis quum adhuc in Galilæa esset.

7. *Dicens, oportet Filium hominis tradi in manus hominum peccatorum, & crucifigi, & die tertio resurgere.*

8. *Recordatæ sunt igitur verborum illius.*

9. *Et reuersæ à monumento annuntiauerunt hæc omnia illis vndecim & reliquis omnibus.*

Quæ in hac historia de mulieribus coniunctim recitantur, distinctè sunt intelligenda.



PERO neminem miraturum aut falsam iudicaturum textus huius dispositionem meam, historiæ seriem accuratè considerantem, sicuti ante quindecim dies à me fuit declarata. Ostendi enim has mulieres quæ hic nominantur cum aliis nonnullis, vt Lucas loquitur, non dedisse se in viam simul, nec simul etiam ad sepulchrum peruenisse, nec ex eodem simul digressas esse: sed distinctè intelligenda quæ coniunctim in huius historiæ principio de ipsis à tribus Euangelistis memorantur: & illud quod de Angelorum visione Lucas coniunctim recitat. Itaque istis omissis transeo ad historiæ expositionem, in qua tres enodandæ nobis difficultates occurrunt.

Cur Dominus hoc modo resurgere séque patefacere voluerit, & non alio.

Prima, cur Dominus mando suam Resurrectionem patefacturus, ad suorum hostium confusionem, Dei filiorum autem consolationem, non egressus sit sepulchrum, videntibus eius custodibus, nec deinde palàm sit Hierosolymam ingressus, ipsúmque templum atque Pilati prætorium: quo facto sceleratos illos ac impios redargui, & omnes ad eius cognitionem

nem

nem perduci potuisse fortasse viderentur. Hęc enim sunt de Christi factis eorum iudicia qui in Dei sapientiam inquirunt, quam eos adorare potius oportebat. At longè aliæ sunt Domini in perficiendis operibus suis viæ quàm istorum ferat sententia. Nam à minimis principiis, magna sua opera & duratura solet ordiri, vt sapientes & robustos huius seculi pudefaciat, eligendo quæ in mundo stulta sunt & infirma, immo quæ non sunt, vt ea quæ sunt aboleat, vt ne glorietur vlla caro coram eo, 1. Cor. 1.27.28. & 29. Inimicos verò Domini multò magis aio, & cum maiore dedignatione, conscientiarúmque morsu acriore conuictos, tum resurrectionis tum infinitæ potestatis ac Maiestatis illius Crucifixi & suscitati, per Apostolicæ prædicationis effecta, (quam frustra pro viribus oppugnarunt, quum toties potius sibi exprobari animum ingratum clarè & apertè senserint, quoties illam audire vel inuiti coacti sunt, Act. 2.22.23. & 24. & 4.10. & 5.30. & 7.51. & alibi) quàm si oculis suis illa conspexissent. Ac sane se illius conspectu reddiderunt indignos, qui tamen in iusti furoris Domini diem vltimum differtur, quo visuri sunt quem transfixerunt, Ioh. 19.37. & Zachar. 12. 10. & ad montes vociferaturi, Cadite super nos, & abscondite nos à conspectu eius qui insidet throno, & ab ira Agni. Apoc. 6. 16. Filiis verò Dei non defuerunt quadraginta dierum spatio, quibus à Resurrectione in terris commoratus est, crebræ subinde apparitiones, Act. 1. 3. De-

nique tempus aduenerat quo non ampliùs erat quærendus nec cognoſcendus Ieſus Chriſtus ſecundum carnem, vt loquitur Apoſtolus, 2. Cor.5.16. id eſt, oculis carnis, & in ſtatu infirmitatis vitæ huius animalis, à quo tamen ipſi Apoſtoli nimium pendebant, vt ipſe Dominus Thomæ exprobrat apud Iohannem 20.29. Sic Deus omni tempore conſueuit operari, ſiue in Eccleſiæ ſtructura generali, ſiue in ſingulorum fidelium ſalute promouenda: ita mūdi huius ſapientiam, aut potiùs inſaniam pudefaciens: vnde etiam Euangelium, quod eſt potentia Dei ad ſalutem cuiuis credenti, Rom. 1.16. his quidem ſcandalum, illis verò ſtultitia eſt, nimirum pereuntibus, 1. Cor.1.18.& 23. Abſit igitur, fratres, vt ita deſipiamus, ſed potiùs Dominum, quacunque deduxerit, ſequuti, ſtultitiam noſtram in nobis agnoſcamus; vt in Deo ſapiamus, 1. Cor.3.18. ſæpe in memoriam reuocantes acrem illam obiurgationem Domini, qua diſcipulum etiam chariſſimum, ꝑpoſtero zelo ipſi conſulere tentātem, excepit, Matth.16.23. Caueamus, inquam, nobis ne in grauiſſimum errorem illum delabamur, in quem præcipites ruerunt olim, & hodie ruunt non tantùm profani illi homines qui religionem ſibi fingunt partim ex Dei verbo, partim ex Philoſophorum lacunis ſcientiæ nomen ementitis conflatam, contra quod Apoſtolus tam expreſsè præmonuerat, Coloſſ.2.8. ſed etiam, ij delapſi ſunt & hodie delabuntur qui cum ſummo Eccleſiæ Domini detrimento,

proh

proh dolor! multum paleæ ac fœni Ecclesiæ fundamento superstruxerunt, tam in doctrinæ puritate, quàm in Sacramentorum administratione, & Ecclesiæ gubernatione: egregiis illis scilicet coniecturis & humanis inuentiobus nixi, quibus tandem Ecclesia Christiana in tantam támque horrendam confusionem deuenit, vt ne eam quidem ad hunc vsque diem, ignis verbi Domini consumere potuerit.

Mulieres minus incredulæ fuerunt quàm Apostoli.

Et hoc etiam responso satisfactum esto mirantibus, & querentibus, cur se Dominus mulieribus istis potiùs conspiciendum, quàm suis Apostolis aut quibusdam aliis discipulis præbuerit. Voluntas enim Dei vnica & perpetua omnium rectè factorum dictorúmque regula ac norma esto. Sed præterea, satis perspicuè docemur in hac historia, mulieres istas, etsi multa in ipsis meritò, vt deinceps visuri sumus desiderata sint, & Apostoli tãtùm in iis in quibus lapsi erant, infirmitate peccauerint, vt in historia passionis ostédimus, plus tamé fidei & constantiæ quàm Apostolos ostendisse, quę mortuum & sepultum Dominum erant comitatæ, nunc autem eundem in ipsum vsque monumentum profectæ quærebant, discipulis contrà sic attonitis, vt penitus suum Magistrum obliuioni tradidisse viderentur, atque adeo dubitantibus num falsò sibi persuasum esset illum esse Messiam patribus promissum: & quidem accepto iam à mulieribus resurrectionis ipsius nuntio, Luc. 24. 21.

Deus extra ordinariè vtitur magis abiectis quum sic ipsi videtur, ad maiores deiiciendos.

Non tantùm igitur expediebat, sed etiam veluti necessarium erat sic ipsos à Domino corripi, ac quodammodo pudefieri, velut in eorum locum his mulieribus surrogatis. Sic olim Iudicum temporibus Schamgarem bubulcum excitauit, qui stimulo quo boues agitantur percussis hostibus populi Dei, ab ipsorum eos tyrannide vindicaret, Iud. 3. 31. Sic Deboram & Iahelē illustres fœminas impulit, vt grauissima cēsura procerū populi sui segnitiē increparet, Iud. 5. 16. 17. 18. & 23. Quid amplius? Iephte nothus rebus stupendis agēdis electus est, Iud. 11. 1. Quid inter ipsos etiam Prophetas, annon Amos ex bubulco vocatus est Propheta, ad summæ & infimæ conditionis homines increpandos? Sic lapis pretiosus quem reprobarunt ædificantes, à duodecim electis Apostolis maxima ex parte prius piscatoribus & idiotis ac illiteratis hominibus in caput totius ædificij positus ac erectus est, Act. 4. 13. ad quos tertius decimus accessit, obscurus tabernaculorum artifex, quo tamen organo electo Dominus sapientissimorum stultam sapientiam confunderet, Act. 18. 3. & 9. 15. & 2. Cor. 10 4. Quid verò nostris temporibus? Nonne ingentem illum Goliathum miser monachus oppugnauit? Qui si non penitus est expugnatus, per quem stat, obsecro, nisi per mundum suæ visitationis tempus non agnoscentem? Quot tamen eximias Ecclesias hac ratione nostro seculo plantatas conspeximus? Immo per quos maximè Dominus triumphum egit in mediis flam-

flammis, nisi per obscuros & tenuissimæ conditionis homines? Annon vilissimorum coram hominibus homuncionum chartis ac monumentis ingentes ignes suffocati sunt?

Ordinaria vocatio quã diu ipsi locus est, sanctè & inuiolatè est obseruanda. Sed eam cessantem aut deficientẽ. Deus per quos ipsi visum redintegrat.

Nec propterea tamen cuiuis licere dicimus se ipsum obtrudere, aut non eligendos esse ex Dei præscripto, quantum fieri potest ad amussim quam dedit Apostolus, eos quibus aliquod munus in Ecclesia Dei sustinẽdum est: sed hoc tantùm obseruandum vigente ordine à Deo constituto, & licet parte aliqua ædificij Domini labefactata, sæpe tamen nondum prorsus euulsa & destructa: quod contigisse videmus in Ecclesia Dei toto Christianismo, veniente ingenti illa apostasia quam Apostolus ante prædixerat, 2. Thess. 2. Omnia igitur ordine inuiolato fiant, 1. Cor. 14. 40. & habeantur fures ac latrones quicunque per fenestram ingrediuntur, aut ostium, si quod est, perrumpunt, Ioh. 10. 1. & omnes schismatici, & altare contra altare erigentes, & nouarum sectarum auctores. At quum fures & latrones, ipsum adhuc hæredem in miseris membris suis cædentes vineam inuaserunt: & quum excubitores, sponsam quærentem sponsum suum cædant, quam ad ipsum eos oportuerat adducere, Cant. 5. 7. denique quum de destruendo Damasi altari agitur, vt Domini collapsum restituatur: annon obsecro licebit Domino vineæ fures illos ac latrones extra suam vineam eiicere per eos quorũ ad id opera vtitur, eámque melioribus vinitoribus committere à quibus

ſuo tempore fructus percipiat? Matth. 21. 41. Annon etiam tunc nouos Eſdras & Nehemias ſuſcitaturus eſt, quibus ducibus iterum ædificet primùm templum ſuum, deinde vrbis ſuæ Hieroſolymæ circuitum, etiam ex ea eiectis peregrinis mulieribus, & earum liberis peregrinam linguam & populo ſuo ignotam loquẽtibus, ideſt primùm doctrinam verúmque Dei cultum inſtauret, vt ſuas hinc inde diſperſas Eccleſias iterum colligat, vt vnum corpus efficiat ſanctam ſuam Ciuitatem: totámque illam diuini cultus ab hominum cerebro manantem farraginem aboleat, partem ab Ethniciſmo, partem à Iudaiſmo iam abolito trahentem, quod olim Prophetæ tantopere támque grauiter reprehenderant, Eſa. 29. 13. & ipſemet Dominus, Matth. 15. 3. & alibi non ſemel? An verò putamus Domino propterea maturandum reditum vt cauponatores iſtos tertiò magnis flagrorum ictibus domo ſuo eiiciat, quaſi verò non poſſit oris ſui ſpiritu domum ſuam repurgare? 2. Theſſ. 2. 8. An verò noſtro tempore cœperit iſtud opus, & quidem magna virtute ſui ſpiritus, ipſi iudices ſunto qui oculis ſuis, ſi quos habent, iſta intuentur, & de operatoribus ex opere ferre iudicium poſſunt: ſolis peccatis noſtris opus Domini impedientibus, aut ſaltem remorantibus. Eia verò, fratres, ne nos ita geramus, immo, inquam, quod non ſine dolore poſſum dicere, ne ampliùs ita pergamus, ne duriùs quàm alij vapulemus, Luc. 12. 47. neue quum Spiritu inceperimus

carne

carne perficiamur quod Apostolus Galatis exprobrat, Gal. 3.3: sed contrà Filium illum osculemur, Psal. 2. 12. qui verè nos ex alto inuisit, Luc. 1. 78. qui nos virga sua & pedo fretos tam opiparè, videntibus ipsis suis & nostris hostibus, tum corporis tum animæ cibis aluit, Psal. 23.5. qui tam potenter fouit hactenus & fouet, tam intus aduersus tot hostiũ nostrorum proditiones & occultas molitiones: quàm foris aduersus tam potentes & barbaros hostes, quos sæpe nobis intuentibus obruit ignominia & dedecore: qui denique tam patienter nos ad resipiscentiam inuitans tolerat, quam vtinam ex sua ingenti misericordia nobis largiatur, vt in infirmitate nostra Dei virtus perficiatur, déque mundi sublimitate triumphet. Amen.

Cur Dominus ante quam se conspiciendum præberet, suam resurrectionem tum terræ motu, tum Angelorum nuntio patefecit.

Sed ad historiam reuertor, in qua quæritur, & non immeritò quidem nec nimis curiosè, cur Dominus priùs quàm ipse se ipsum conspiciendum præberet Angelorum ministerio suam resurrectionem patefecerit, quum satis esset ei nota discipulorum tarditas, immo duritas ingenij, qui etiam videntes eum suis oculis vix ipsum esse sibi persuaserint. Aio itaque factum id, vt verisimile est, primùm, vt custodes ipsos conscientia sceleris magis argueret, multóque magis Caiapham & eius asseclas, calumniam illam deinceps confingentes, qua facti huius veritatem obruere conati sunt. Matth. 28.13, Deinde vt tum Apostoli tum tota Dei Ecclesia pluribus extraordinariis & non

dubiis testibus de Domini resurrectione certiores essent in omne venturum æuum, quam ipse terræ motus,& Angeli è cœlo descendentes, nullo modo suspecti testatam facerent. Hinc igitur eximia & necessaria doctrina nobis elicienda,qua nostram impatientiam frænare discamus,Domino non ex nostro desiderio & arbitrio, seu Ecclesiam conseruante, seu mundum administrante.Nam,quicunque tādem euentus sequatur,experientia sani iudicij homines docet ac fateri & agnoscere cogit, bene ipsum fecisse quæcunque fecit, Marc. 7.37.

Non mirandum quòd sese pedetentim Christus patefecerit, sed potiùs quid vlli se conspiciendum præbere post resurrectionem dignatus sit.

At quæ in historia deinceps notantur, de mulierum in suscipiendo hoc itinere proposito,spei resurrectionis ex diametro repugnante,satis docēt nos pro eo quod nouum aut insolens Domini sese pedetentim conspiciendum præbentis consilium videretur, contrà potius in eo infinitam & admirandam eius bonitatem & misericordiam intueri: resurrectionem suam vlli mortalium, viro vel fœminæ patefaciētis: quum dignissimi potiùs essent omnes vt relicto sepulchro repente in cœlum ascenderet, mundo suis densissimis tenebris relicto.Nam obsecro,vt de desperatis eius hostibus nihil dicam,quem ex suis istam resurrectionem, sine qua tamen Euangelij tota doctrina vana est, expectasse putas? An mulieres illas, quæ tā familiariter ipsum in Galilæa nouerant, quæ toties declarantem ea quæ sibi Hierosolymis erant euentura, tertióque die futu-

futuram suam resurrectionem audierant? quæ ad mortem vsque comitatæ fuerant & mortuum fleuerant? quæ denique mortuum tanto amore complectebantur? Minimè gētium. Nam eâdem cura qua reliquos mortuos aromatibus conditum sepulchro condere cogitabant. Non Petrus etiam, qui tamen eum iam ante diu Dei Filium agnouerat, & singulari amore prosequebatur, licet eum infirmitate lapsus abnegasset. Non alij denique Apostoli, tam fideliter tamen ab eo de rebus istis omnibus præmoniti. Quid de aliis igitur cogitandum putamus tum Hierosolymis, tum in tota regione dispersis? Magnum igitur est istud infinitæ Domini misericordiæ argumentum, quòd eousque se demiserit vt in hoc mundo quadraginta dies adhuc à resurrectione maneret, antequam in gloriæ suæ possessionem veniret: & tot rationibus hominum incredulitati ac diffidentiæ dignatus sit occurrere.

Singulare innatæ in nobis rebellionis exemplum in his mulieribus, tum in ipsis Apostolis.

Nos verò, fratres, in istis exemplis miseram à natura nobis insitam rebellionem intuiti, discamus magis magísque detestari, Deúmque à quo solo mutari potest, supplicibus votis interpellare, vt in nobis per sanctum suum Spiritum magis ac magis operetur, vt discussis tenebris, in hac luce crescamus, & in ea indefesso cursu ad metam vsque decurramus. In istis etiam tanquam in speculo contemplemur, quò vsque labantur etiam meliùs edocti, & qui maiores aliis fecisse progressus videbantur, si sibi ipsis fidant, momento facturi iactu-

ram eorum quæ longo tempore didicerant. Cauendum autem summopere ne quibusdam obuiis exemplis abutamur, Dauidis putà post patrata tot atrocia flagitia, in gratiam tamen recepti: aut Petri post abnegatum Dominum redintegrati: aut Apostolorum denique post tantam incredulitatem, alios ad fidem adducentium. Nam illis ex particulari gratia ista contigerunt, cum dono resipiscentiæ coniuncta, quod non datur omnibus, 2. Timoth. 2. 16. ac speciatim non conceditur contemptoribus qui dicunt, Peccemus, vt magis abundet gratia, Rom. 6. 9. sed iis qui Prophetę exhortationem audiunt, Psal. 95. 7. & 8.

Ablutio & vnctio mortuorum in Dei populo, & sub initium Ecclesiæ Christianæ, professio fuit fidei ac spei resurrectionis.

Cæterùm morem illum sepeliendi mortuos aromatibus códitos, ex Scripturis apparet in Dei populo fuisse vsitatissimum, etiam ante datam Legem, prout mortuorum erat qualitas & conditio, quorum etiam corpora lauabantur priusquam vngerentur: quem morem initiò Christianam Ecclesiam retinuisse colligimus ex Actorum capite nono v. 37. Neque verò cogitandum est id omne quod circa mortuorum funera gerebatur à fidelibus solo superstitum animi erga defunctos studio & affectu profectum, multò minùs vana quadam opinione cadauerum à corruptione vindicandorum, nec etiam ambitione, ad maiores suos aut nobilitatem inuita morte ostentandam, vt apud prophanos populos, & nominatim inter Ægyptios factitatum illud est, Gen. 50. 3. & veteres historici & Latini monumentis suis testantur,

ſtantur: fidémque hodie faciunt ea quæ inde adferuntur corpora, quibus vtuntur qui Medicinam faciunt. Minimè, inquam, exiſtimádum hunc fuiſſe populi Dei animum in hoc more obſeruando, ſed fuiſſe potius ſuperſtitib. quandam reſurrectionis mortuorum teſſeram, ac fidei profeſſionem, quaſi mortuorum corporib. purè & pretiosè in lecto iacentibus, & ad reſurrectionem vſque dormituris, non autem in ſepulchro perituris.

Huius rei fidē facit Apoſtolus, vſus argumento huius ceremoniꝺ ad reſurrectionis teſtimonium. 1.Cor.15.29. in quo loco hæc verba *baptizandi ſuper mortuis*, malè iam pridem expoſita ſunt de Sacramento Baptiſmi, quum ablutionem mortuorum ſignificet, ſicuti vox etiam Baptiſmi vſurpatur. Marc.7.v.4.& Heb.9.10. *Locus Apoſtoli perperam de Baptiſmo intellectus.*

Sin autem quærat quiſpiam, an hodie retinenda ſit illa conſuetudo, quam in monaſteria videmus introductam aut ſeruatam: aio, quum Domini reſurrectione reali noſtra reſurrectio nitatur, non poſſe ſine ſuperſtitione ceremoniam illam reuocari. Teſtis eſto abominatio aquæ illius non luſtralis, ſed infernalis, quæ quum pars aliqua ſit ſuperſtitioſæ ceremoniæ illius Legalis quæ Num.19.9. deſcribitur, mox in deteſtandam idololatriam abiit, aut impietatem potius abominandam: vt cui tribuatur virtus quę vnico filij Dei fide apprehenſo ſanguini debetur, non autem aſpergillo reſperſo, ſed viuis applicato ad eorum peccata delenda, mortuis autem ad reſurrectio- *In ſepulturis obſeruanda quæ ratione nituntur, & ad ædificationem ſpectant.*

nem in gloriã, vt docet Apostolus 1. Petrus 1. v.2. Regum verò, Principum aliorúmque Dominorum corpora sic lauari cōdiríque, si è republica est, aut ad familiarum memoriam seruandam facit: aut eorum etiam erigi monumenta, non sanè simpliciter reprehendero, sed magnopere verendum dico ne sic vanitas & ambitio, quæ, morientibus aliis vitiis, mori nō possunt, foueatur, quod nec in summæ nec in minimæ conditionis hominibus probo.

Differētia in exteriore vita austera Ioannis Baptistæ & communi Domini nostri Iesu Christi: & summa cōgruentia eiusdem ad eundem scopum & effectum collimantis.

De vnctione porro pretiosa illa Domini, fateor pro vitæ austeritate, qua Iohannes Baptista verū vsum docuerat sensus iræ Dei, in hanc nationem incumbentis, ob quam decebat eos cibi ac potus, vt ita dicam, oblitos, atque adeò vitæ huius, pœnitentiam agere, & Liberatoris aduentum expectare, Dominum nostrum Iesum Christum vitam hominibus communem egisse, sed sanctam illā & modis omnibus absolutam, quicquid eā hypocritæ ipsius aduersarij calumniati sint, vt etiam, flocci factis illis contumeliis, bis se passus sit vnguento deliniri in conuiuio, quod solebant diuites in deliciis habere: semel apud Simonem Leprosum Capernaumi, à muliere quæ fuerat in vrbe peccatrix, Luc.7.37. deinde Bethaniæ à Maria sorore Lazari, Ioh.12.3. vnguento pretiosissimo. At in vtroque conuiuio longè in alium finem quàm putarent adstantes conuiuæ, putà inusitatum, disertis verbis exposuerat se vnctionem illam gratam habuisse. Minimè nimirum se passum hoc, quod erat alioquin respectu

quo-

quorundam ἀδιάφορον, vt superfluas illorum delicias comprobaret: sed prima vice factum ad Pharisæi fastum arguendum, cui ex diametro miseræ istius peccatricis contritio erat opposita: altera verò, vt adstantibus mortis suę ac sepulturæ conditionem repræsentaret, de quibus, licet imminerent, tamē parum ij quos alloquebatur cogitabant, Ioh. 12. 7. Denique licet omni honore dignus esset Dominus, vt ipsemet discipulos docuit, Ioh. 13. 13. nihilominus qui se eousque demiserat vt discipulorum pedes lauaret, semper à talibus se alienum esse demonstrauit: exemplum præbens iis quos honore spiritualis ministerij dignatur, expressè à mundi gubernationibus distincti, Matth. 11. 8. & Luc. 12. 14. & 22. 23. quæ hac in re sint eorum partes: ac proinde quo loco sint habēdi, tum qui crepidam deosculandam præbet cum comitatu suo aurato & argentato, tum qui Episcoporum Christianorum nomen præ se ferentes, non verentur tamen Principum ac Dominorum instar viuere, specioso videlicet prætextu Euangelij ministerium honorandi. O impudētiam intolerandam, quam ipse Dei Filius toties tam expressè verbis & re ipsa redarguit: totiúsque Ecclesię, quandiu viguit aliquis ordo in ipsa, calculo damnatā: ac sanè Dominus tantum abusum suo tempore condemnare & pœnis coërcere non morabitur.

Porro quòd ad vnctionem qua de hic agitur, non est vsus ea Dominus Iesus Chri- *Cur Dominus passus sit ad se con*

diendum aromata cō parari: illis autem nec vngi nec condiri voluerit.

stus, licet iam eius ſepulturam Nicodemus attuliſſet miſturæ myrrhæ & aloës libras quaſi centum, & iam tum eius corpus linteis cum eiuſmodi miſtura ſepulchro fuiſſet conditum, Ioh.19.39. & 40. Nam quæ de aromatibus dicuntur, in ſequentem diem ſunt intelligenda fuiſſe præparata, quandoquidem exiguum temporis ſpatium, quod ab eius ex Cruce depoſitione & in ſepulchro locatione ad diei vſque Sabbathi principium, ſupererat, vix otium illis dederat quæ in talibus ceremoniis requiruntur perficiendi. Quibus & hoc adde hanc vnctionem fieri ſolitam cum interiorum partium corporis exenteratione, quod ſibi tamen integrum Dominus conſeruauit, vt non paſſus ſit oſſa tibiarum ſuarum, cum latronum illorum tibiis confringi. Præterea, nequaquam fidei propriè aut obliquè fuit iſtud opus, ſed ex amore mixto ignorantia inexcuſabili reſurrectionis Domini, quo impellente mulieres iſtæ hoc opus aggreſſæ in viam ſe dederunt: licet in hoc toto negotio nihil ſine Numinis prouidentia geſtum ſit, quo apud homines etiam tanquam honoranda commendaretur eius ſepultura, quem in Cruce ipſius hoſtes tantopere calumniis & probris proſciderant. At Dominus hunc omnem defectum tolerans, & ſincerum affectum harum mulierum intuitus, quo viuum & mortuum ipſum proſequutæ fuerant, & poſt mortem adhuc eundem retinebant, eos a quibus condemnatus erat condēnantes, nō eſt eas dedignatus

ſe-

ſed ſeſe meliùs ipſis quàm antea cognoſcendũ exhibuit. Ac proculdubiò niſi Dominus ex immenſa ſua miſericordia excuſaret vitia quę iuſtiſſimorum etiam optimas intentiones, ſermones & geſta fœdare ſolent, ſed ad iudiciorum ſuorum trutinam, quæ Lege continentur examinaret, quis mortalium coram ipſo ſubſiſteret, aut eius iræ iuſtiſſimæ ferendæ par eſſet? Teſtis Abraham eſto credentium pater, quem nulla opera, nec ante, nec poſt fidem quam acceperat à Domino, iuſtificarunt, vt illis coram Deo iuſtus & gratus eſſet: ſed ſola fides, id eſt, ſolus fide receptus Dominus, cuius diem vidit & gauiſus eſt, Rom.4.1.& Ioh.8.56. Sola enim hæc eſt tranquillandę pacandæque conſcientiæ ratio, Rom.5 1. Quam doctrinam qui non nouit nec admittit, ſanè nec Dei iudiciorum ſeueritatem, nec legem, nec Euangelium, nec ſeipſum nouit. Sin autem quærere aliquis pergat, cur Dominus vngi ſe non paſſus ſit: aio ſic teſtatum ipſum fuiſſe ſeſe ſua ipſius virtute à corruptione immunem fuiſſe, non vnguentorum aut aromatum vlla vi. Quînam enim ſperaremus ab eo liberationem à mortis corruptione, cui ipſemet ſuccubuiſſet? Præterea mortis imperium non tantùm in ſeparatione corporis & animæ, ſed etiam in corporis inanitione & corruptione conſiſtit. Quapropter Dominus vt ſciremus animam ipſius morientis verè fuiſſe à corpore ſeparatã, quòd ita voluiſſet, nulla vi mortis coactus, mortis etiam robur ipſum fregit, & quidem

omnino fregit respectu corruptionis sui corporis. Denique hac ratione certi sumus, nos hac eadem virtute qua factus est immunis à corruptione, tandem etiam à nostra liberandos esse, nec vllis aromatibus opus ipsi esse ad hoc efficiendum, quum ipse sit pretiosissimum in vitam æternam balsamum: quo respectu sponsa in suo Cantico ait, propter vnguentorum tuorum odorem, nomen tuum est instar vnguenti diffusi, Cant. 1. 4.

Dei Prouidentia se colentibus sic adest, vt tā præuisis, tū non præuisis difficultatibus prouideat.

Sequitur apud historiá, Marc. 16. 3. has mulieres in itinere inter se colloquutas, quæsiuisse quis saxū illud eis à monumento reuelleret, quum nominatim tres Euangelistæ priùs dixerint, eas diligenter locum sepulchri, & quomodo corpus eius ibi fuisset collocatum, obseruauisse. At hic miranda mulierum istarum simplicitas occurrit, quòd non cogitassent antea de hoc saxo reuoluendo: aut si cogitauerant, quomodo non inuenta ratione illud reuoluendi sese in viam dedissent. Quæ sanè simplicitas, etsi non omnino laudanda, tamen non est parui momenti ad testimonium ipsarum extra suspicionem omnem conspirationis ponendum: non frustrà monente nos alioqui Domino, simplicitatem nostram esse prudentia temperandam, Matth. 10. 16. modò tamen è pura scaturigine manet, & ad bonū via recta feratur: cuius rei multa passim in sacris occurrunt exempla, præsertim autem Apostoli, Act. 23. 6. & 17. Cæterum ex historia perspicuum fit has mulieres ignorasse sigillo

saxum

ſaxum obſignatum, aut ſepulchrum à militibus cuſtodiri: ac longè magis de hoc impedimẽto, id ſi ſciuiſſent, laboraturas fuiſſe, quàm de lapide reuoluendo: atque adeò vix procul ad monumentum acceſſuras fuiſſe. Hoc autem eas ignoraſſe non eſt mirum. Trium enim horarum ſpatium à morte Ieſu Chriſti interceſſerat ad quietem vſque Sabbati, intra quod tempus oportuit Ieſu Chriſti corpus à Pilato rogantibus illud concedi, de Cruce deponi, linteis inuolui, atque ſepulchro condi, vt vix aliquod ſpatium Iudæis ſuperfuerit Pilatũ adeundi, ſaxum ſigillo obſignandi, cuſtodes præficiendi, niſi ſerò admodum, omnibus iam in vrbem receptis. At verò Dominus, ne fortè iſtarum rerum apprehenſio mulieribus metum adferret, quominus hoc iter ſuſciperent, quas tamen primas ſuæ reſurrectionis nuntias eſſe volebat, antea prouiderat, terræ motu excitato, terroréque percuſſis militibus, & iam in vrbem reuerſis, quum adhuc eſſent in itinere mulieres, quæ demum exorto Sole ad ſepulchrum peruenerunt, Marc. 16.2. ad quod veriſimile eſt ipſas non auſuras accedere, ſi cuſtodientes monumentum milites imò, ne ſi ſemimortuos quidem humi proſtratos conſpexiſſent. Sic agit plerunque Dominus cum ſuis, non tantum difficultatibus præuiſis & ἀμηχάνοις καὶ ἀπαλάμοις apparentibus occurrens: ſed multa impedimenta non præuiſa nec viſa tollens, quòd veriſſimum illud ſit apud Prophetam, Pſal. 12. Non dormitat neque dor-

mit custos Israël. Quapropter soli Dei filij verè, postquam vociferati sunt, Quàm multi me coarctant, possunt cum Propheta gloriari, Cubabimus tamen, & somnum capiemus & euigilabimus, quoniam Iehoua tuetur nos, Psal. 3. 2. & 6. secundum Abrahami patris nostri satis notam tesseram, DOMINVS PROVIDEBIT, Genes. 22. 8.

Nunquam frustra Dominus quæritur, etiã occurrens ipsum non quærẽtibus, vbi & sicut oportuit.

Dum igitur hæ mulieres de hoc impedimẽmento cogitant, ecce duos Angelos offendũt, alterum sedentem supra saxum, alterum in ipso monumento quo viso territas fuisse vehementer verisimile est, si præsertim in fulgureo illo aspectu se conspiciendos prębuerunt: mulieribus longè adhuc magis pauidis & tanto splendore terreri quàm illi milites facilioribus: quum præsertim eiusmodi visionibus ex insperato occurrentibus, fortissimi quíque facilè terreantur. Sed præterquàm quod verisimile est Angelum ipsis cum vultu facili ac benigno apparuisse, quum tam comis & placidus ipsius sermo, satis testaretur non offendendi, sed tutandi potiùs causa, si quis lædere niteretur ipsum præsentem adstare, adeo sunt animis confirmatæ, (exceptis iis de quibus Marcus loquitur 16. 8. quæ metu aufugerunt, & nemini quicquam eorum quæ viderant dixerunt) vt etiam sepulchrum ingredi veritæ non fuerint, sicut ab Angelo fuerant inuitatæ: atque ita quum essent magnopere recreatæ ex ex iis quæ viderant & audiuerant, non aliarum quæ fugerant vestigia sequutæ sunt, sed celeri gra-

gradu Apostolis,quod erant iussæ nuntiarunt:
hoc beneficium assequutæ vt redeuntibus in
itinere Christus ipse fieret obuius.Hinc itaque
discamus primùm quousque se Dominus ad
infirmorum sincerè quærentium captum tum
verbo suo tum etiam effectis ipsis accommo-
det, & quidem aliquando quum sic ipsi vide-
tur, illis à quibus vbi non est quæritur sponte
occurrens: in cordibus sic erga se affectorum
efficiens quod in his mulieribus hac extraor-
dinaria apparitione fecit. Quot verò istiusmo-
di diuinæ bonitatis exempla conspeximus in
cuiuscunque conditionis homines,quos ad sui
cognitionem Dominus etiam lectione libro-
rum mendacium & falsitatis plenorum traxit,
eum quem minimè quærebant, & qui etiam
ibi non erat,reperientes? Contrà etiam non ra-
rò contingit eos qui quotidie sacras scripturas
voluunt, qui locus est in quo Dominus hodie
quærendus, indoctiores & incertiores quàm
dudum recedere, quòd nimirum pro sincera
affectione & docilitate,falsa sua præiudicia &
conclusiones ad hanc lectionem afferant. De-
nique nunquam Dominus frustra quæritur,
quoties sincerè quæritur, quum etiam fugien-
tibus ipsum vltrò nonnunquam occurrat: te-
ste Adamo, Genes. 3. 8. teste Saule de tam cru-
deli persecutore facto tãto Dei præcone, Act.
9.1.& 2.& 15. testibus iis denique de quibus a-
pud Prophetam Deus, Inueniri, inquit, feci me
iis à quibus non quærebar, Esa. 65.1. Et hoc i-
psum mulieribus istis contigit, nihil minùs

quàm quod inuenerunt, quærentibus, Angelos nimirum, Iesúmque Christum à mortuis suscitatum, quem vt mortuum vncturæ quærebant in sepulchro. Ac sanè priores esse Domini semper hac in re partes oportet, quandoquidem ipse non à nobis eligitur, sed ipse nos eligit, 2. Thess. 2. 13. Quam gratiam si Deus istis largitur, annon eam multò magis est erga eos continuaturus, qui semel inuentum nunquam deserunt, sed propiùs semper accedunt, eidemque semper magis ac magis cohęrent, sicuti de se vera illa sponsa loquitur, Cant. 1. 1. & 4.

Contraria effecta sensus diuinæ Maiestatis humilibus aut superbis apparẽtis.

Hinc deinde discamus quantum inter se Dei filij, & ij qui prauam conscientiam fouent, in maiestatis & potentiæ diuinæ apprehensione differant. Nam quando Deus se qualis est magnum ac fortem præbet, sanè rem creatam tremore concuti par est, quādoquidem montes ipsi & cœli maiestatis ipsius sensu perterriti, velut in sudorem soluuntur, Psal. 68. 9. & beati ipsi Angeli faciem ante tribunalis huius magnificentiam operiunt, Esa. 6. 1. Hoc ipsum historiæ sacræ docent maximis & sanctissimis viris contigisse, putà Danieli, 8. 17. & D. Iohanni, Apocalyp. 1. 17. & 19. 10. At pauor hic subitò sedatus, Dei filiorum cordibus solam sanctam reuerentiam relinquit, cum tantò maiore spe coniunctam, quantò maiorem supremæ huius Maiestatis ac potentiæ cognitionem habent, qua vna nituntur: quod ex sanctorum precibus in Sacris Scriptis, ac nominatim in maxima

ma Psalmorum parte comprehensis fit conspicuum. Et quidem hic scopus est ad quem tam pretiosa Angeli verba feruntur, sic mulieres illas compellantis, Vos ne timete: pro vobis enim hic mortuus est & resurrexit. Contrà verò maximè superbos & indomitos Dei hostes contingit, postquam furorem suum vomuerunt, vbi vel minima diuinæ Maiestatis scintilla oculos ipsorum irradiat terreri, & velut capitis reos coram sui Iudicis tribunali trepidare. Sic perfidi Angeli coram eius vultu subsistere non potuerunt. Sic Cain ille ferox de superbia statim remisit, Genes. 4.9. Sic potens ille ferúsque Nebucadnezar repentè in feram mutatus est, Dan.4.30. & 33. Sic Balsasar ille animi impotens in mediis dapibus, quibus Deum Israëlis ludibrio habebat cum Nobilibus, momento risum & gaudium in trepidationem vertit, cuius etiam suorúmque Nobilium præterea luctuosissimus fuit exitus, Dan. 5. 6. & 23. & 30. Sic custodes isti Angelo conspecto, semianimes prostrati iacuerunt, contrà mulieribus consolationem ab eodem Angelo capientibus, & erectis. Erat enim illis sanè metuendus qui superbis maximè resistit, nam reuera Sapientis illi dicto locum esse oportet, fore vt domum superborum Dominus destruat: & elatum animi hominem Deum abominari, Prouerb. 15. 25. & 16. 5. atque etiam Domini nostri sententiam illam perfici, Quisquis se ipsum extulerit, deprimetur: qui verò depresserit, humilitate non fucata, quæ

inter Dei filiorum notas non vltima est, extolletur à Domino.

Qualis sit & esse debeat fundamentum eorū quæ nobis credenda sunt ratione præteritorū, & speranda futurorum respectu, ne in salutis nostræ negotio decipiamur.

Cæterùm obseruatione dignissima sunt horum Angelorum Dei verè nuntiorum & seruorum verba, quibus istis mulieribus quæ acciderant, quæque sunt inter articulos fidei nostræ præcipua, Domini nimirum resurrectionem persuadeant. Igitur sui nuntij fundamentum ponunt, id ipsum quod voce sua Dominus toties ipsis disertis verbis prædixerat, fore nimirum vt postquam condemnatus & crucifixus esset tertio die resurgeret. Tum ad huius sui sermonis maiorem fidem addūt quę ipsęmet oculis intuebantur, sepulchrum vacuum, lintea sic disposita vt furto sublatum fuisse corpus ne suspicari quidem vllus potuerit: vt etiam Angelorum ipsorum maiestatem omittam. Quam viam si semper institissent quos Deus hoc Angelorum, idest verbi sui præconum titulo dignatur: nunquam in deuia sic aberrassent, nec miseram plebem in tot errores secum traxissent, quod in hoc populo factum sæpius ante Domini aduentum, ac deinceps post eius aduentum in toto Christiano orbe, proh dolor! aspicimus. Nunquam igitur obtrudendus fuit, est, aut erit vllus Ecclesiæ Dei fidei articulus, nisi ex verbi diuini puris ac indubitatis fontibus exhaustus. Nihil, inquam, pro fidei articulo obtrudendum, nisi quod Apostolorum ipsorum temporibus tam perspicuè támque fideliter in symbolum quod Apostolicum dicunt, relatum fuit, erutum tam ex im-

impletis Prophetiis per Iesum Christũ, quàm ex iis quæ ipsimet ex suo magistro didicerant, & in eodem viderant, tum rerum iam impletarum respectu, tum adhuc implendarum, putà reditus è cœlo ad viuos & mortuos iudicandos, resurrectionis carnis, & eorum quæ hanc consequutura sunt. Hæc itaque si ad amussim obseruata fuissent, quânam porta, quæso, infinitæ corruptiones articulorum fidei nostræ in Ecclesiam irrupissent: infinitæ fabulæ sacrarũ historiarum veritatem polluentes? denique omnis generis falsitates, verbo Dei mutato, truncato, ampliato, non tantùm ex pastorum (quorum alij crassissima ignorantia, alij superstitione laborarunt, alij verè impostores ac diuinæ maiestatis contemptores fuerunt) sed etiam non semel ex cuiuslibet voluntate & arbitrio?

In rebus igitur quas præteritas esse & impletas credendum est, verbum Dei & impletionem earum fidem illis oportuit facere, non quæ hodie viderentur ipsis oculis, quemadmodum quod tunc in sepulchro videbatur, sed quæ verorum Christi discipulorum non dubiis scriptis niterentur, quales sunt fidei nostrę articuli Symbolo Apostolico comprehensi. In iis autem quæ adhuc exspectamus, effectis nimirum spei nostræ, positum hic ab Angelis fundamentum sufficiat, Dominum dixisse: ac proinde certò persuasi simus ipsum suo illud tempore perfecturum, cuius vna & eadem est veritas præteritorum ac futurorum.

Ignorantiæ non excusant negligētia vel diffidentia, præsertim hoc tempore.

Et hæc quidem hactenus dicta, tum pastōribus, tum ouibus normam esse oportet, quam secuti tum doctores tum auditores Dei veritatem ducem sequantur. Porro non sunt Angeli mulierum defectum arguentis verba hæc leuiter prætereunda, *Quid viuentem quæritis inter mortuos?* Meritò enim responsuræ videbantur mulieres, non hanc esse suam mentem: sed cōtrà mortuum à se in mortis domo, sepulchro nimirum quæri. At maiorem reprehensionem ita responsantes incurrissent. Nec enim Iesum Christum vt mortuum inter mortuos quærere posse videbantur, quin se incredulitatis accusarent, aut obliuionis: quum sæpius ab ore Domini audiuissent ipsum tertio die resurrecturum, nec ampliùs in mortuis futurum. Sic plerunque contingit nos lapsibus nostris ignorantiam prætexere, qua magis premimur; quum ad ignorantiam accedat aut negligentia aut contemptus. Age verò, quum ab hinc annis octoginta Deus tam clarè, tam apertè, tam patienter mundum compellarit, superatis omnibus impedimentis, dolis ac fraudibus & occultis machinationibus, & vi omni, quò ab omnis generis, ætatis, sexus ac conditionis hominibus audiretur, an potest ignorantiam vllam prætexere qua coram Deo excusetur? quū presertim repulsam patiatur, his quidem illum vi trudētibus, illis verò contemnentibus: aliis verò, à quibus erat exceptus, pessimè ipsū tractantibus, & hac in re infaustam vrbem Hierosolymam imitantibus, quæ tanto cum gau-

dio

dio die Dominica missum à Domino quum excepisset, paucis post diebus cum tantis vociferationibus ad Crucem flagitauit, vt etiam à Iudice, contra ipsius conscientiam, ad id supplicium cōdemnationem extorqueret. Quum verò simus ex eorum numero quos Deus erudiit, eius etiam opem & auxilium supplices imploremus, ne in iis reperiamur qui malo vno spiritu fugato, septem aliis longè peioribus portam aperiunt, Matth. 12.45. cuius rei, proh dolor! nimium hodie frequentia exempla conspicimus. Ac si nos obliuio quædam eorum cœpit, quæ priùs didiceramus, quod his mulieribus ac discipulis ipsis contigit, earum etiam exemplum sequamur, quæ reuocatis in memoriam iis quæ obliuioni tradiderant, Luc. 24. 8. ex hac admonitione non parum profecerunt.

Iesus Christus adhuc inter mortuos quæritur à superstitiosis sepulchrum eius hodie visitātibus, & aliis non paucis.

At si meritò hæ mulieres corripiuntur, quòd Iesum Christum mortuum, & sepulchro conditum adhuc esse reputarent, quòd viuentem & sepulchrò egressum, inter mortuos quærerent: nunquam eum in sepulchro nec mortuum nec viuentem quæsituræ, si hoc scissent, quam tandem excusationem adferent miseri illi superstitiosi, immo cæci & insani prorsus, qui Iesum Christum in cœlis hodie viuentem quęrunt, non in verbi sui prædicatione, Sacramentorúmque administratione, non in vera Hierosolyma cœlesti, Domini Ecclesia, quocunque terrarum loco Dominus cognoscitur & colitur, sed desertis vxoribus, liberis, patria pe-

peregrinantur, ac terrenam Hierosolymam petunt, vt antrum istud inuisant, quod nonnisi ex opinione, si non falsa, tamen incerta fuerítne Domini sepulchrum scitur, propter maximas paulò post secutas tum vrbis tum vicinæ regionis mutationes & vastationes? Esto veró, de loco certo constet, quo tamen fundamento nititur hæc superstitio, quæ in maximis votis habetur, vt nonnisi Papæ ipsius ore suscepta semel dispensetur? Iesus enim Christus semel illud egressus, non est amplius illic, nec in æternum futurus est. Ac si in terris quærendus est, spiritualiter in verbo & Sacramentis quærendus, in quibus vbique locorum reperitur; in quibus in spiritu ac veritate colitur, vt non sit opus, in has aut illas oras excurrere, sicuti Legis, & templi Hierosolymitani tempore factitatum est: vt ipse Dominus tam expresse nos admonuit, Ioh. 4. 20. & Apostolus ipse Mosis verba referens, Rom. 10 8. vt non sit aut cœlum conscendendum aut mare tranādum. Instructio verò si quæritur ad ædificationem, quæ tandem à muto & sensus experte saxo sperari potest? Terrenum igitur Iesu Christi sepulchrum hodie quærant qui sepultum fuisse nolunt credere, nisi suis oculis illud intueātur: Iesúmque in hoc sepulchro quærant qui suscitatum à mortuis persuaderi sibi non patiuntur. Nos verò Iesum Christum in terris loquentem audiamus, vbicunque sacrosanctum eius verbum purè annūtiatum personat: quæramus autem non carneis oculis, aut pedibus

ſed fidei, loca ſuperna, in quibus ad dextram Dei Patris ſedet, ex Apoſtoli exhortatione, penetrantes, Coloſſ.2. Quanta fuit igitur patrũ noſtrorum cæcitas, qui ducibus aliis cæcis, vitam & facultates expoſuerunt, vt Sarracenis, aiebant, ſanctum ſepulchrum eriperent: ſolis hac in re quęſtum faciẽtibus Indulgentiarum præconibus? At ſi tanta hæc eſt cæcitas: & Deo noſtro Opt. Max. gratias immortales agere debemus, quòd tantas impoſturas & impoſtores nobis detexerit, quid futurum putamus iis qui millies adhuc hebetiores, minimè quidem mendicãt, ſed chariſſimè peccatorum ſuorum remiſſionem, vitæque præſentis commoda, immo vitam æternam, mercantur à mortuorum ferculis, reliquiis ac oſſamentis, eorum quorum fortaſſe maxima pars in inferos eſt detruſa, quibus tamen animarum mangones ex arbitrio ſuo nomen imponunt: & quæ habent præcipua ſui Chriſtianiſmi capita, Chriſtianorúmque præcipuas notas? Quid verò ſum ad hæc ego dicturus? niſi vt tu, Deus, propter ſanctum nomen tuum, breui manum admoueas, nec ampliùs ſinas cœlum ac terram tam deteſtandis idololatriis pollui?

Donorum omniũ Dei communicationem, ex veræ charitatis affectu, inter Christianos eſſe oportet niſi ſacrile-

Denique ſupereſt adhuc nobis magni momenti caput explicandum in hac hiſtoria, mandatum nimirum expreſſum quo iubentur hę mulieres Apoſtolis iſta nuntiare: in quibus duo ſunt quæ ſcire & in vſum noſtrum referre nos operæpretium eſt. Horum prius eſt, quæcunque beneficia Deus in nos confert ſiue

gij rei esse velint.

temporalia siue spiritualia sint, ad communem totius Ecclesiæ corporis ædificationem esse referenda: quod ni vera fide & charitate præstiterimus, sacrilegi sumus, & in eius condemnationis partem venturi, quam minatur Dominus acceptum ab ipso talentum abscõdenti, Matth. 25. 30. Quòd si charitas singulos ad hæc obligat, quid iis futurum putamus, qui præter hanc vocationem generalem, etiam speciali vocationi ad hoc vel illud munus temporali vel spirituali, non respondent?

Deus sine personarũ acceptione, quibuscunque ipsi visum est, vtitur, vt tamẽ in domo Dei stabilitus ordo non violetur.

Alterum est, licet in Ecclesia Dei non omnes Prophetę sint nec Apostoli, vt non erant etiam hæ mulieres, & in domo Dei cuncta fieri ordine oporteat, 1. Cor. 12. 29. & 14. 40. esse tamen ex officio Christianorum sese inuicem docere, monere, hortari, arguere, consolari priuatim, ac mutuis dextrarum amplexibus vnà in Domini templum ascendere, sic alij alios cohortantes, Eamus, ascendamus, in templum Domini, vt quæ prædicta sunt, Mich. 4. 2. impleantur. Ideò verò summopere cauendũ nobis ne imitemur eos qui ipsos arguenti Domino exprobrabant cognatos, quos sibi notos aiebant, & fabrilem artem quam cum fabro lignario Ioseph exercuerat, Matth. 13. 55. & Apostolis vilem conditionem, quòd non essent ex Iudæorum præcipuis, Ioh. 7. 48. nec in ipsorum scholis eruditi, Act. 4. 13. Contrà, Deum per quemcunque volet nos alloquentẽ audiamus, quandoquidem Apostolos à mulieribus semel doceri voluit, atq; adeò Petrũ nominatim

natim qui hîc, nó honoris ſanè gratia, nominatur, ſed quòd eius eſſet quàm ſociorum grauior lapſus. Dauidē ſanè Abigail vna à ſummo facinore auertit, quod ipſemet ingenuè fatetur, 1.Sam.25.33. Huius verò rei, quàm multa quæ lubens omitto exempla, nobis iſtud ſeculum noſtrum ſuppeditat?

Huius doctrinæ vſus.

Agite verò, fratres, quum ex hac hiſtoria, tanquam ex ampliſſimo theſauro, multum auri, multúmque pretioſiſſimarum gemmarum eruerimus, faxit Deus Opt. Max. vt hæc probè cognoſcamus, laudemus & in vſum noſtrum quiſque ſecundum ſuam vocationem reuocemus, fide ſincera in hunc verè Suſcitatum è mortuis recumbentes: & eius potentiam ac virtutem quibuſlibet intus ac foris tentationibus opponentes, vt eius gloriæ ac honori penitus nos conſecremus: duo in primis extrema fugientes, ne nimirum in oculis noſtris ſapiamus, & contrà, ne per ſocordiam & ignauiam ab officio recedamus, quod harum mulierum nonnullis contigiſſe videmus, de quibus agitur, Marc. 16. 8. quæ timore perculſæ, nemini verbum facientes, quum domum rediiſſent, non ſunt etiam à Domino hanc gratiam conſequutę quam ſociæ ipſarum, vt Dominum ipſum in itinere offenderent, & ab eo conſolationem acciperent. Agite igitur, inquam, fratres, rectam viam ſemel ingreſſi decurramus ad metam vſque, ibi demum coronâ immarceſſibili coronandi. Amen.



HOMILIA QVARTA.

Matth.28.

9. *Quum autem proficiscerentur vt [hoc] nuntiarent discipulis eius, ecce, Iesus occurrit eis, dicens, Auete. Illæ autem accesserunt & prehenderunt pedes eius, & adorauerunt eum.*

10. *Tunc ait eis Iesus, Ne timete, abite: annuntiate fratribus meis vt abeant in Galilæam, illic me videbunt.*

Harum mulierũ error, aliũ Iesum Christũ, & alibi quàm esset, quærẽtium earũ testimoniũ minus suspectum facit.



Vò magis errarunt hæ mulieres, Iesum Christum alium quàm esset, & vbi non erat, quærentes, & quidem errore: non excusabili; eò minùs est suspectum minúsque eleuari potest editum ab ipsis resurrectionis testimonium: tantóque maior & ineffabilior apparet Domini bonitas, suorum infirmitatem, quam nulla excusatio tegebat, benignè tolerantis: quò maximè hæc historia spectat. Verùm Spiritus sanctus nobis hoc exemplum, etiã aliquid amplius edocturus, proponit. En igitur mulierum turbam candẽ, quarum eadẽ mens, & eadẽ via, sed tamẽ à recto aberrans, qua de re monentur à duobus tãto dignis Magistro nuntiis, Angelis. Et harum quidem aliæ duces Angelos sequutæ, plus etiam quàm sperabant inuenerunt: aliæ subito perculsæ timore

re fugerunt, & hoc beneficio ſeipſas priuarunt. Age igitur, quînam hoc contigerit expendamus.

Autoritas imperandi conſcientiis (quod vnius Dei proprium eſt) & fidelium obſequium prōptum, veræ Eccleſiæ ſunt fundamenta.

Huius ſeculi ſapientes pulchrè ſanè dixerunt, domos, familias, ſtatus omnes tum recta imperandi ſcientia, tum obedientia ſtare: qua in re non mirum eſt ſi in negotiis terrenis vtrinque grauiter peccatur, aliis quidem ad benè imperandum aut ineptis, aut æquò ſegnioribus, etſi nemo non regios animos gerit: aliis verò ferè omnibus, aut paucis admodum exceptis, rectam ac ſinceram obediētiam detrectantibus. Idem in Domini domo plerunque cótingit, in qua, vt omittā hypocritas & contemptores, plerique omnes Chriſtū quęrūt, & non reperiunt: & quidem ſuo protſus inexcuſabili errore: aliis quidem adeò in imperando audacibus, vt hi quidem conſcientiis ipſis figendi Leges autoritatem ſibi vendicent vnius Dei propriam: illi verò Deum & ius omne ac æquum contemnant, ſéque ipſos & alios ex ſuo arbitrio & libidine regere poſſe ſperent. Alios verò, quorum obediendi ſunt partes, videas, præter quàm quòd omnes naturâ Deo rebelles naſcimur, partim tam ſtupidos ac hebetes, partim tam ſuperſtitioſos in iis quæ cóſcientiam & ſalutem ſpectant, vt facilè ab animarum ſuarum mangonibus, id nequaquam in rebus humanis, etiam exigui momenti, facturis, pendeant.

Qualeſit paſtorū officium in

His maximis erroribus, quos horrenda & ineuitabilis ruina comitatur, veram Eccleſiam

Magistri præceptis docēdis & omniū in recipiendis: vt suā quisque vocationem sequatur.

in sempiternum permansuram opponamus. Ea est quæ sic vnico Regi huic sese subiicit, vt ij quorum ad alios docendos vtitur ministerio, intra sibi commissi muneris cancellos sese contineāt, illud fideliter adhibitis necessariis admonitionibus, exhortationibus & increpationibus exponant: &, tanquam à Domino missi, iubeant, quod fieri iussit, inhibeant autem quæ fieri Deus ipse prohibuit, Matth. 28. 20. & 1. Cor. 11. 23. vt fideles arcanorū Dei dispēsatores, 1. Cor 4. 1. Oues contrà veri Pastoris per ministros suos eos alloquentis vocem audiant & sequantur, non autem alieni, Ioh. 10. 4. & 5. Quemadmodum autem in bene constitutis omnibus Rebuspublicis, legibus fixis parere singulos non confuse, sed ex cuiusque vocatione par est, ad vitandam confusionem: sic in vera Ecclesia, singulos oportet Dei voluntati sese subiicientes diligenter expendere vocationem suam, qua Dominum colant & proximo inseruiant, quod non temerè toties Apostolus inculcat, quum ex huius ordinis violatione tot confusiones & calamitates procul dubio promanent.

Satanæ cū filia quibus homines à vocatione auertat, expenduntur.

Quoniam autem nostræ salutis hosti & eius satellitibus ista mirum in modum displicent, vt vix aliquid inuenias difficilius quàm hominem esse frugi (quod est viam illam de qua loquimur insistere) contrà obfirmandus est animus, vt de Dei voluntate certò persuasi, & vocationis testimonio freti, in cœpto curriculo decurramus, donec tandem metam & indefes-

so

ſo curſu currentibus propoſitam coronam, adipiſcamur. Quamobrem eſto nobis etiam ad hanc laudem ſtimulus, meditatio tot excellentiſſimarum in hac lucta victoriarum, ex quibus agnoſcamus quàm felix ſit ſtadium iſtud decurrentium exitus, iſtiúſque iacturæ ac detrimenti quod ſibi accerſunt, qui metus ſibi fingentes ab officio reſiliunt: multóque magis qui animum ab eo aduertunt ad quod eos aduertere maximè decebat.

Et quidem hæc hiſtoria, quam die poſtrema Dominica non abſoluimus, vtrorúmque nobis exempla ſuppeditat. Pars enim harum mulierũ præſenti animo ſepulchrum ingreſſarũ duobus nuntiis recreantur, & accepto mandato, rem totam diſcipulis nuntiandi, plenæ inſigni gaudio, parentes, aliud à Domino beneficium conſequuntur, vt obuiam ipſis fiat, & ipſe coràm quæ ab Angelis duobus audiuerant, rata faciat, vt hoc nuntio Apoſtolorum ipſorum, vt ita dicam, Apoſtolæ, cum immenſo & ineffabili gaudio factæ ſint. Pars contrà, de quibus agit, Marc. 16. 8. formidine perculſę fugientes, ſuſcepti itineris fructum ſibi & aliis tum perdiderunt, quas meliùs deinceps edoctas fuiſſe veriſimile eſt.

Huius hiſtoriæ applicatio ad ſuperiora.

Hinc etiam eruenda nobis ſingulis horis doctrina perneceſſaria. Nam hæ mulieres paruerunt mandatis quæ primùm ab Angelis duobus acceperant, deinde à Domino, ipſo coram modo externo & in ſenſus incurrente, licet tamen extraordinariis ſignis. Nos verò hanc

Qua ratione cuiuſque conſcientia confirmari poßit in ſua vocatione: & quid hic opus facto ſit.

hodie rationem ne expectemus, & à Satanæ fraudibus caueamus, phanaticis hominibus persuadentis somnia sua, seu deliria, vigilantiũ aut dormiẽtium, esse diuinas reuelationes. Ne, inquam, hæc oracula nobis fingamus. Nã tempus illud, Ecclesiæ Christianæ administrationis respectu, preteriit, semper tamẽ Deo prout ipsi visum est operante. Viam igitur Regiam sequamur: vt opus aliquod aggressuri, aut aliquid dicturi, primùm diligenter excutiamus, illúd ne sit à Deo vel non, hoc autem ex eius voluntate in Lege patefacta facillimè cognoscemus. Deinde an vocationi respondeat, expendamus: purà an id de quo suscipiendo deliberatur sit eiusmodi, vt si fecerimus, obsequamur Deo, nisi autem fecerimus ab officio vel in totum vel ex parte resiliamus. At Deo præterea gratiam hanc largiente, vt non modò conscientia probè erudita suadeat aut dissuadeat quid agendum fugiendúmve sit, sed accedat externè mandatum, quo de Dei volũtate certiores fiamus, tum maximè, si aliàs vnquam, Spiritus discretionis à Domino, suis eum nunquam recusaturo, precibus est impetrandus.

Exempla insignia ex quibus superiorum vsum discamus:

Huius rei duplex in Apostolo exemplum adferam, eximiũ exẽplar quod in difficultatibus, in quas quotidie fideles Dei serui incurrũt intueamur: ad quod accedet tertium in re ad nos fallendos valde procliui. Prius esto factum illud Apostoli, qui quum per biennium ex sua vocatione feliciter Ephesi promouisset opus

Domini

Domini, virtutes multas per manus eius operante Domino, tandem coorta seditione per Demetrium illum statuarium, prodire in populum apud se constituerat. Ecquis autem non dicat Paulum ab incœpto non auocandum, qui, si vllus vnquam inter Dei seruos, Dei spiritu in vocatione ageretur? At discipuli non sinerũt eũ prodire, séque ipse regi hac in re ab ipsis passus est, Act. 19. 10. & 30. & 20. 1. Cõtrà in vltima Hierosolymã profectione, pręmonitus ab Agabo propheta, vincula & afflictiones eũ ibi manere, per singulas Ecclesias rogatur vt profectionẽ illã abiiciat: sed tamen obfirmato animo pergit, nó quidẽ pertinaci, sed qui sciret quo spiritu ageretur, vocationi suæ prorsus conformi: & quòd sola pericula imminentia illi obiicerentur, Act. 20. 23. & 21. 13. At verò duodecim Domini discipuli, non sanè Dei zelo, sed ex indignatione & cupiditate vindictæ, specioso tamen prætextu studij erga magistrum, & pœnarum quas loci illius incolę, Dominum excipere dedignati, merebãtur, & quidem pro se adferentes Eliæ simile exemplum, grauissimè à Domino, his verbis corripiuntur, Nescitis quo Spiritu ducamini, Luc. 9 54. Quæ si ante nostros oculos exempla versentur: facilè quid in istiusmodi negotiis facto sit opus, modò affectiones rectæ sint, etsi aliquo defectu laborantes, iudicabimus.

Ad has mulieres reuertamur, quæ parentes mandato quod ab Angelîs Domini acceperant, non tantùm se dant in viam nuntium il- *Vera obedientia prõptitudinem & zelum*

moderatum requirit.

lud perlaturæ, sed cum festinatione currunt, ex quo discimus fugiendum nobis teporem illum quo laborantes Dominus euomit, Apoc. 3.16. ac potius in violentorum illorum qui vim regno cœlorum faciunt esse nos oportere, Matth. 11. 12. zelum habentes scientiæ qualem hæ mulieres.

Dei benedictiones supra omnem spem eis qui benefaciendo nunquã defatigantur, sed tamen ex mera gratia, cõtingunt.

Ecquid autem hic amplius? quum Dominus ipsis occurrisse dicitur, non ipsæ Domino: docemur quum Dominus nobis ipsum quærentibus & obsequentibus occurrit, ex mera gratia id facere, nosque præuenire primùm vt velimus quærere: deinde voluntatem quam effecit in nobis bonam comitari. Discimus insuper ex iis quæ istis mulieribus contigerunt, idem hic accidere quod in rebus humanis, vt docent cum experientia sapientes, sæpe artem versando tyrones in magistros euadere, seu fabricando fabros fieri, sic etiam salutis viam continuo cursu terentes ex fide in fidem progredi, donec tandem speratam omnibus beatam hanc viam insistentibus metam assequantur, felicem nimirum ac beatum illum Domini, hoc longè feliciorem occursum, qui ab Apostolo describitur, 1. Thess. 4. 17. quum rapiemur in nubes in occursum Domini, cum ipso futuri in sempiternum.

Dicere Domini Facere est: nisi illud effectum incredulitas impediat.

Porro Domini benignitas in hoc occursu longè adhuc maior apparet in his verbis, *Auete*, aut, *Gaudete, & ne timete*. Et horum quidem verborum ab ore Domini manantium longè alia vis est & effectus, quàm si ab hominum ore,

ore, licet corde cum ore consentiente profecta essent. Nec aliud homines possunt quàm amicis bene precari, & eosdem hortari. At dicere Domini, Facere est.

Quomodo nobis occurrenti Domino respondendum.

Nec sanè dubitandum est quin hæ mulieres intus perceperint eorum fructum quæ auribus hauriebant: illud externo facto testatæ, non tantum Dominum adorantes, sed etiam pedes ipsius amplexantes, quasi sic eum compellarent, Vah! Domine, quàm feliciter abs te sumus in maxima nostra socordia & incredulitate deceptæ. Nam obliuioni traditis iis quæ tam expressè prædixeras, quæque iam impleta cernimus, ibamus ad te tanquam ad nos ampliùs non reuersurum: at te ipsum iam nobis occurrentē vltrò conspicimus. Vngendum te cum mortuis in sepulchro quæsiuimus, tu nos alio consolationis vncturus ades balsamo. Supplices veniam deprecamur, culpam fatemur: te Dominum ac Magistrum nostrum ad pedes prosilientes salutamus. En quis iste beatus occursus vtrinque fuerit. Eia verò, fratres, quid obstat quominus eodem felici occursu Domini fruamur? Quoties enim in calamitatibus Dominus occurrit, seu internis consciētiæ motibus, seu quauis alia ratione, sed in primis anima pœnitente in gemitus illos inenarrabiles, de quibus Paulus Rom. 8. 26. erumpēte, quos sanè beatissimos occursus Domini dixeris, quis oro nobis esset felicior, harum mulierum exemplum imitantibus, & oblatum beneficium eadem reuerentia recipientibus,

ac eandem habentibus aduersus quæcunque pericula fiduciam, quam in eiusmodi visitationibus Dominus secum adferre solet?

Benedictiones Dei filiorũ propriæ sunt quibus immorandũ, etsi hac in parte filij huius seculi dupliciter hallucinentur.

Etsi verò ab hac vnica scaturigine omnia beneficiorum genera promanant, ab eo nimirum qui Solem suum oriri facit super bonos & malos, tamẽ de benedictionibus filiorum Dei propriis ac peculiaribus ista dicta sunto. Quapropter solos in hoc mundo filios mundi spe sua excidere videas, non modò vana specie mundi deceptos, 1. Cor. 7. 31. sed etiam sibi persuadentes se bonis perfruituros, peccatis suis eum prouocãdo, in cuius vnius potestate sunt, vt ex suo arbitrio vel largiatur illa vel auferat, quum præter eum solum Deus alius non sit. Et tamen sic hodie viuitur in mundo, cum sua quam quærit vanitate perituro. Nos verò cõtrà, si vera Domini Ecclesia sumus, idest à mũdo separati, pro comperto habentes pietatem solam habere promissiones tam præsentis quàm futuræ vitæ, hunc qui nobis occurrit, à quo vnico tanquam vero fonte bona illa promanant, 1. Tim. 4. 8. amplectamur & retineamus, noctésque diésque versemus in his negotiis certissimum hoc asylum, Quærite primùm omnium regnum cœlorum & cætera omnia vobis adiicientur, Matth. 6. 33. & pretiosissimam aliam illam Apostoli sententiã, Si proprio filio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit eum, quî non etiam cum eo omnia nobis gratificabitur? Rom. 8. 31. At coniunctim ea cum ipso flagitemus. Nam sine ipso nul-

nullæ maiores aut grauiores maledictiones Dei benedictionibus, quum quis ipsis abutitur.

Hæc verò verba, *Ne timete*, quum tali ore proferantur, quis satis expenderit? Nullam enim esse passionem qua magis homines percellantur, quàm metum, nemo dubitat, quum sæpe nocentior sit re ipsa quæ metuitur. Quot verò quantísque periculis, & quidem sæpe ineuitabilibus, misera hæc vita nostra, quoquo nos conuertamus, est obnoxia? At leuia illa, respectu terrorum conscientiæ, quæ flagitiosis & sceleratis hominibus quantumuis repugnãtibus, est accusator, testis idoneus, iudex & carnifex: vt à se accusatum, conuictum, iudicatum nunquam esse quietum sinat. Aduersus pericula autem nobis exterius in his terris imminentia, remedia prout Deo visum est, inueniuntur, non tamen aduersus mala quælibet, nec semper tuta, nec ad statum tempus: & plerunque periculi vnius fugam aliud excipit. Conscientiæ verò terrores quis sedauerit, nisi solus qui offensus est, Deus æternus? Et quidem hoc vno solius Christianæ religionis veritas innotescit, falsitatis redarguens alias omnes, quotquot vnquam aut sunt, fuerunt olim, aut futuræ sunt religiones. Hoc enim retinẽt quidem omnes fundamentum, necessariò placandum esse Deum, & hoc nituntur superstitiosorum deuotiones ab hominibus excogitatę. Sed vt falsorum deorum multitudinem omittam, esto, feratur totus ille cultus in verum Deum,

Variæ metus species: & verũ ac vnicum remedium aduersus periculosissimũ metum, conscientiæ nimirum terrores.

vanus tamen omnino futurus est. Aliæ enim religiones omnes falsa duo fundamenta ponunt, nempe Deum ab homine offensum, posse ab eodem oblato dono placari: Deúmque sic nobis lapsus nostros, vt solent homines alij aliis condonare, vt tantundem de sua iustitia remittat. Quæ sanè nullo modo Dei naturæ, rei nullius indigæ, conueniunt: quandoquidem omnia sunt ipsius & in ipso, in sese perfectissimo, nullíque passioni obnoxio: nec retineret Deus id quod est (summè iustus nimirum, non minùs ac summè bonus) si peccatum vllum impunitum secundum suæ iustitiæ seueritatem dimitteret. At sola Christiana religio verum Deum agnoscens & colens nouit summam eius misericordiam cum summo iure conciliare, in eo qui nobis à Patre datus est, & qui ideo seipsum fratrem nostrum fecit, & tanquam sponsor noster, tum corpore tum anima pœnas luit pro peccatis eorum omnium quos ipsi Pater dedit, tanquam verus homo, & gratissimus persolutor, pro nobis, non autem pro se, homine iustissimo, & sine vlla peccati macula: sic tamen vt pretium istud pro peccatis suorum Patri offerens, non sit eius ira absorptus: erat enim ille sicuti est, futurúsque est in sempiternum, verus cum Patre Deus, Omnipotens.

Quibus modis conscientiæ pauores sedari possunt.

Quo igitur metu verus Christianus percellетur, hunc sponsorem & vadem nostrum vera fide amplexatus, ex Patribus promissi fœderis formula, tandem suo tempore mundo exhibiti,

ti, & rati facti per oblationem perfectam, semel ab hoc nostro præde ac sponsore factam? Hic igitur verè mulieres compellans dixit, *Ne timete*: idémque quotidie singulis huius Ecclesiæ veris membris occinit. Nec enim spiritum emittens frustrà clamauit, nostræ salutis omne mysterium impletum esse, Iohan. 19. 30. Si verò Deus pro nobis, quid iis omnibus futurum qui sunt contra nos, Rom. 8. 30. Quæ verò nos afflictio terruerit, quum iis qui Deum diligunt omnia simul conferre dicat Apostolus, Rom. 8. 28. quos neque sublimitas, neque profunditas potest à Dei charitate separare quæ est in Christo quem nobis dedit, Rom. 8. 38.

Timor igitur ille Domini, tantopere nobis in sacris commendatus, qui est diuinæ Maiestati debita veneratio, longè alius est quàm metus ille ac pauor, quo homines iram Dei aut ingens aliquod damnum dum metuunt, torquentur & excruciantur. Absit autém Christianos saxis similes faciamus, vt periculis imminentibus nec tangantur nec moueantur, ex naturæ affectione, quæ sibi contraria timet ac fugit. At licet Dei filij ex ossibus & carne vt alij homines compositi hanc apprehensionem habeant, tamen sibi placatum eum sentientes sine cuius arbitrio & voluntate nihil aduersi ipsis contigerit, sic à Spiritu sancto, suorum consolatore sustentantur, vt sit ipsis hæc apprehensio stimulus ad preces tantò ardentiores. Porro qui dixit Deus, Inuoca me in die tribulationis & eruam te, Psal. 50. 15. nunquam

Longè inter se differunt Timor Dei & panores de quibus hic agitur.

patitur à tentatione constantiam, quam suis largitur, superari: atque adeò ingruẽtibus maximis propter nomen ipsius persecutionibus, tum maximè veri Dei filij de timore & pauore ex Domini mandato, Matth.5.11.& Apostolorum exemplum Act. 5. 41. sequuti, triumphant. Quid ni verò triumpharent, quum sit ipsis hæc persecutio speciale testimonium gloriæ ipsos manentis, quandoquidem capiti cõformes in afflictionibus, etiam eiusdem gloriæ fieri participes oportet? 2.Tim.2.12. At Deo iustas pœnas de peccatoribus repetente, quid quæso tunc facto opus est? Nonne tunc saltem ex iræ Dei apprehensione, terrori locus est? Omnino sanè: & tanto quidẽ vt illi sæpe quò se vertant dubij sint: quorum exempla frequentissima, etiam sanctissimorum preces & suspiria. Verùm nec ista superius à me dictis repugnant: nam longo interuallo duæ istæ conclusiones inter se distant, Christiano nihil metuendum, &, Christianus adhuc aliquid timet: quum prior illa conclusio de iis qui iam victoriam reportarunt, hæc verò de luctantibus adhuc intelligatur. Ac proinde quum in diuersa subiecta cadant hæ conclusiones, non sunt inter se contradictoriæ. Quid miramur igitur adhuc, si, quum fides in mediis huius vitę tempestatibus tantum inchoata sit, & adhuc oppugnetur à diffidentia: & spiritus regenerationis aduersus carnem luctetur, nondum perfectè verborum istorum, *Ne timete*, fructus in peccantibus producitur? Verumtamen fiducia

ciæ tandem cedit timor, nósque cum Dauide in hæc verba cogit erumpere, *Quàm bonum mihi fuit à Domino affligi*, Psal.119.71. quandoquidem hæc castigatio testimonium ipsius paterni amoris est, Heb.12.6. & Apoc.3.19. nonnunquam suos in ipsos vsque inferos trudentis, inde tandem educendos, 1.Sam.2.6.

Quomodo mandatum istud eundi in Galilæā intelligendū & cur Dominus noluerit suos adhuc Hierosolymis excedere.

Adiicitur deinceps mādatum, quo discipulis dicere iubentur vt eant in Galilæam, eum ibi visuris: quod & ipsum ab Angelis mandatum acceperant, & ab ipso Domino paulò ante mortem erat prædictum, Matth. 26. 32. Ne verò putetis ista de subita profectione intelligenda extra Hierosolymam, vt in Galilæam se reciperent in vrbem non ampliùs redituri. Contrà enim deinceps audituri sumus eum iubentem ipsos in vrbem conuenire, & ibidem Sancti Spiritus missionem expectare: nam oportebat, sicut erat à Prophetis prædictum, ab Hierosolymis Euangelij prædicationem, in vniuersum orbem terrarum propagandam, manare: sic volente Domino in suorum hostium confusionem, & suorum consolationem, throni sui Maiestatem ibidem vbi Crux eius plantata fuerat erigere, Esa.2.3: Mich. 4. 1. Hæc igitur ipsis nunciata sunt, vt non esse confictum à mulieribus hunc nuntium ex his signis agnoscerent: ac proinde ad Domini & Magistri sui conspectum magis excitarentur ac præpararentur: tum verò maximè vt intelligerent, se, licet in ipsa Hierosolyma, velut horum tigridum & leonum antro & faucibus versarentur,

à quibus erat verisimile non meliorem expectandam discipulis quàm Magistro conditionem, eius tamen præsidio fore aduersus eorum ferociam tutos. Neque verò semper eos in hoc versari metu ac periculo voluit: quos sanè mirum est tanto terrore perculsos, & nihil minùs quàm Domini resurrectionem sperantes, non procul aufugisse, sed vnà omnes Hierosolymis coactos substitisse. Arcana igitur Domini prouidentia gesta hæc sunt omnia, discipulorum infirmitatem sustinentis.

Satan persequens greges Domini instrumentum est quo Deus vtitur ad eos ipsos cogendos quos dispergere Satan moliebatur.

Et quidem ab omni æuo se talem præstitit erga suos, ita suorum hostium consiliis in contrarium versis, vt quos Domini greges dissipare suscitatis persecutionibus nitebantur, eosdem cogerent tantò arctiùs inter se vnanimes coniungendos. At si fortasse quædam dissipatio contigit, nouis Domino gregibus excitandis inseruiit: quod à Stephani morte factum videmus: qua veluti malleo minimè cõtusæ sed excussæ sunt hinc inde scintillæ ignis oris Domini, ad salutem etiam ad longinquas & remotas nationes propagandam. Quot verò, obsecro vos, istiusmodi exempla Dominus nostro seculo conspicienda, tum in afflictissimo Galliæ regno tum in inferiore Germania nobis exhibuit? Sed ne procul abeam, mecum fratres, expendite quis nos ex tam diuersis nationibus in hunc locum coëgerit. Annon enim maxima ex parte persecutorum Dei hostium rabies? Et quidem Dominus nos in hunc locum (ausim dicere, & soli Deo laus sit) tan-

quam

quam nouam Hierosolymam coactos ita protexit, vt non solùm ipsis nostris & suis hostibus videntibus, tam opiparè nobis hic victum corporeum & spiritualem porrexerit, sed etiam præpararit & efformarit eos quorum opera suum Euangelium à Septentrione in Meridiem, & ab Oriente in Occidentem propagauit. Eheu verò quantopere nobis cauendum ne miseræ Hierosolymæ similes simus, cuius tantò fuit atrocior pœna, quantò maior fuerat rebellio: contrà viribus omnibus nitendum, vt per eius misericordiam pars simus veræ illius Hierosolymæ cœlestis, licet adhuc in terris ex parte commorantis, cuius illa propria promissio est, Requies ipsa mea est in perpetuum: habitabo in ipsa, quoniam mihi grata est: quod vtinam faxit Deus.

Fraternitas inter Iesum Christum & veros fideles, est in se immutabilis, & si nonnunquã per interualla interrumpatur.

Sed præter illa superiora diligenter istud aduertendum elogium quo suos discipulos ornat, his verbis, Ite, nũtiate fratribus meis eant in Galilæam. Nam quæ fraternitas intercedit Domino cum iis à quibus erat desertus, & qui tam statim obliuioni tradiderant de quibus toties fuerant præmoniti: quique vix ipsum coram eos alloquentem agnouerunt? Annon saltem Petrus, qui nominatim hic inter hos fratres appellatur, eo nomine se indignum prębuerat? Fatendum igitur discipulos, etsi non sunt inter apostatas reponendi, nec etiam in omnino ingratorum numero censendi, tamen quantum in ipsis erat hoc se nomine indignos reddidisse. At si naturalis cogna-

tio viuentibus cognatis manet, licet inter eos nonnulli propter aliquod indignum facinus hoc effectu priuentur: multò minus profectò potest aboleri illa electorum Patris cœlestis respectu filiatio, spiritualis & inuariabilis, ex qua inseparabili nexu cognatio illa inter Iesum Christum & ipsos Ephes. 3. 15. dependet. Ratio est in promptu: quòd æterno & immutabili Dei Patris solo decreto, non autem nobis, nec in totum, nec ex parte nitatur, Ephes. 1. 11. & fieri non possit vt vnquam excidat sermo Dei, Rom. 9. 6. Idcirco merito dicit Apostolus, hominũ incredulitatẽ, minimè Dei fidem inanem reddere, Rom. 3. 4. & in æternum stare immotum fundamentum illud, Deus suos nouit, 2. Tim. 2. 19. Itaque nexu indiuiduo inter se decretum æternum electionis, vocatio quæ eius est declaratio & exhibitio, Iustificatio, ac tandem ad salutem prædestinatorum glorificatio cohærẽt. Atque adeò quidem vt tametsi nonnunquam fides & spes, immo etiam electorum sanctificatio, quòd ad puræ & integræ vitæ effectum, interrumpantur, & ad tempus maxima ipsorum culpa veluti sopiantur, tamen hęc dona semper sint ἀμεταμέλητα, Rom. 11. 29. ex Dei nostri bonitate immensa, nunquam imperfectum opus suum relinquentis, Psal. 38. 8. Quinam enim alioqui semel lapsus erigeretur? Digni quidem igitur erant Apostoli, quos hic primogenitus frater à se abiiceret, sed eos non modò nõ abiecit, immò contrà ad se vocatos vniuit, nominatim etiam in-
ter

ter reliquos appellato eo qui terna ipſum negatione reiecerat: vt ratum illud efficeret quod alias ex ipſo didicerant, ſe nullum eorum quos accepiſſet à Patre foras eiicere, Ioh. 6. 37. Nec verò iſtis contraria ſunt quæ de ramis fructum in hoc ſtipite non ferentibus, & idcirco reciſis, & in ignem vt ardeant abiectis, Ioh. 15. 6. dicuntur. Loquitur enim Dominus in illa promiſſione de verè in hoc ſtipite inſitis, & in ipſo manentibus (quanquam plerunque contingat eos quaſdam hyemes pati, quibus nec folia nec fructus edunt, ſed tamen ex Dei gratia vere ſuo redeunte reuireſcunt) quales fuerunt Apoſtoli, ſúntque omnes electi: quibus opponuntur ſic inſiti, vt tamē non inoleuerint, nec ſuccum trahant, hypocritæ nimirum qualis Saul, Iudas proditor, & illis ſimiles: aut qui cibum hunc deguſtant vt ſtatim euomant, Heb. 6. 4. de quibus parabola ſementis agit, Matth. 13. 20. & 22. & Matth. 12. 45.

Cæterùm, quid eſt Fratrem eſſe Ieſu Chriſti? Nempe à Deo Patre cœleſti, in filiorū numero cenſeri, eodem amore diligi quo filium vnicum ſuum ac coëſſentialem proſequitur: nomen ac ius habere cohæredum in Regni cœlorum fruitione: immotum ac intrepidum eſſe per ſpem quæ nunquam confundit, licet vniuerſus orbis corruat, ac cœlum terræ miſceatur. Sed quę mens humana perceperit? quis oculus vnquam eſt intuitus, quæ vnquam auris hauſerit, quæ Deus ſuis præparauit, quorum fruitione nunquam excidere poſſunt? *Quid hæc fraternitas & quàm pretioſa.*

Horrenda eorum ſtultitia qui huic fraternitati non omnia postponunt.

Mundus igitur quantum volet vanitate vanitatum delectator: Reges ac Principes ſceptris ac coronis ſuis gaudēto: auari auro & argento ſuo, quorum tam laborioſa eſt acquiſitio, & quidem animæ plerumque diſpendio: támque breuis ac momentanea poſſeſſio, cáque incertiſſima fruuntor: voluptarij ſuis voluptatibus, quas in hac vita miſeriæ horrendæ excipiunt, & tandem æterna Dei maledictio, explentor, ambitioſi quantum poterunt venti, dum crepent, deglutiunto.

Comparatio ſtatus fratrū Ieſu Chriſti cum huius ſeculi filiis.

Dei filij, Ieſu Chriſti fratres, contrà ſemper pacifici, hilares & ea quam cœlitus ipſis admetitur menſura Deus contenti, dulcedinem in amaritudine reperientes: verè diuites in media paupertate: quò ſunt corā mundo viliores & abiectiores, eò apud Deū & eius Angelos ſunt honoratiores & commendatiores: tandémque vitam in media morte videntes & inueniētes, in cœpto curriculo ſuperatis omnibus impedimentis pergunt, donec metam contingant, in qua reperiunt & donantur corona illa lōgè pretioſiſſima, manibus fideliſſimi illius depoſitarij, cui in mediis ſuis difficultatibus & anguſtiis cum Dauide dixerunt, Iehoua ſors eſt portionis meæ & calicis mei: tu ſuſtentas ſortem meam, Pſal. 16. 5. Agite igitur, fratres, firmiter iſtis adhæreamus, quandoquidem ad id per Dei immenſam miſericordiam vocati ſumus: & quum Deus nos ſepararit ab hoc mūdo, cuius ſpecies præterit, & interit, eo ſic vtamur ne abutamur, 1. Cor. 7. 31. ne Dei noſtri tem-

temporarias benedictiones in maledictionis instrumenta conuertamus: ne concessam nobis lucem in densiores quàm vnquam tenebras transformemus: denique summoperę caueamus ne Esauum imitati Iacobi benedictionem, nostram putà filiationem ac fraternitatem, offulæ postponamus. Contrà, in cœlos semper eleuatis & intentis oculis, tanquam cum Christo suscitati, superna iam nunc quæramus, membra nostra terrestria mortificantes, propter quæ venit ira Dei super filios contumaces: denique testemur omnibus effectis, nos exuto vetere illo homine cũ factis ipsius nouum hominem induisse, qui magis ac magis renouatur in agnitionem congruentem imagini eius qui ipsum condidit, Coloss. 3. 9. & 10. Quod si à nobis erit præstitum, ne dubitemus quin primogenitus ille frater noster nos in æternum apud Patrem suum agnoscat & beatos efficiat. Amen.



HOMILIA QVINTA.

Marc. 16.

9. *Quum autem resurrexisset Iesus, manè, primo die hebdomadis, apparuit primum Mariæ Magdalenæ, ex qua eiecerat septem dæmonia.*

10. *Illa profecta annuntiauit iis qui cum ipso fuerant, lugentibus ac flentibus.*

11. *Illi verò quum audiuissent eum viuere, & conspectum fuisse ab ea, non crediderunt.*

Luc. 24.

9. *Et reuersæ à monumento annuntiauerunt hæc omnia illis vndecim, & reliquis omnibus.*

10. *Erant autem Maria Magdalene, & Iohanna, & Maria Iacobi [mater] & reliquæ cum ipsis, quæ hæc dicebant Apostolis.*

11. *Sed visa sunt apud eos quasi deliramentum verba ipsarum, neque crediderunt eis.*

12. *Petrus autem surgens cucurrit ad monumentum: & quum introspexisset, videt lintea sola [illic] iacentia: abiitque apud semetipsum miratus factum.*

Iohan. 20.

1. *Primo verò die hebdomadis, Maria Magdalene, venit manè, quum adhuc tenebræ essent, ad monumentum, vidétque lapidem sublatum à monumento.*

2. *Currit ergo & venit ad Simonem Petrum, & ad alterum illum discipulum quem amabat Iesus, & dicit eis, Sustulerunt Dominum è monumento, & nescimus vbi posuerint eum.*

3. *Exiuit ergo Petrus, & alter ille discipulus, & venerunt ad monumentum.*

4. *Currebant autem duo simul: sed alter ille discipulus præcurrit citius Petro, venítque prior ad monumentum.*

5. *Et quum se incuruasset vidit posita lintea: non tamen introiuit.*

6. *Venit ergo Simon Petrus sequens eum, & in-*

introiuit in monumentum, & conspexit lintea [ibi] posita.

7. *Et sudarium quod fuerat super caput eius, non cum linteis positum, sed seorsum inuolutum in vnum locum.*

8. *Tunc ergo introiuit etiam alter ille discipulus, qui venerat prior ad monumentum, viditque & credidit.*

9. *Nondum enim nouerant scripturam, videlicet quòd oporteret eum à mortuis resurgere.*

10. *Redierunt ergo illi discipuli ad suos.*

11. *Maria verò flens stabat ad monumentum foris. Dum ergo fleret, incuruauit se in monumentũ.*

12. *Et conspexit duos Angelos albatos, sedentes, vnum ad caput, & alterum ad pedes [illic] vbi iacuerat corpus Iesu.*

13. *[Qui] etiam dixerunt ei, Mulier, quid fles? Dicit eis, Sustulerunt dominum meum, nec scio vbi posuerint eum.*

14. *Et quum hæc dixisset conuertit se retrorsum, conspexitque Iesum stantem, nec sciebat Iesum esse.*



RIVSQVAM huius textus expositionem aggrediar, historiæ series est explicanda, vt de Euangelistarum inter se consensu meliùs cõstet: quod erit facillimum si vt à Iohanne perscripta est, eandem sequamur, quum sit hæc, vt gesta sunt, omnia cum circunstantiis omnibus persequutus. Patet igitur ex iis quæ D. Marcus apertè dicit cum D. *Series huius historiæ.*

Ioanne consentiens, Mariam Magdalenam alias omnes mulieres præcessisse, quæque hic memorantur de illa sola intelligenda esse, sic vt reliquas mulieres nec in profectione, nec in reditu offenderit: nisi fortè dicamus omnes illas simul in secundo Magdalenes è sepulchro ad Apostolos reditu conuenisse. Ex Ioanne patet etiam Magdalenem bis in vrbem reuertisse: primò nimirum quum sub ipsam auroram conspecto monumento aperto, furto sublatu Domini corpus arbitraretur, & Apostolis, qui verbis eius fidem non adhibuerunt, illud nuntiasset, quam ad monumentum redeuntem Petrus ac Iohannes secuti sunt, quod etiam Lucas narrat, sed coniunctim cum aliarum mulierum nuntio: quæ tamen, tum ratione temporis, tum personarum, sunt distinguenda. Secundò, quum ipsi Dominus ipse ad sepulchrum stanti apparuisset: quod Marcus exponit, de primo eius tamen nuntio non facta mentione: Matthæo verò neutrius ipsius reditus mentionem faciente. Nostra igitur expositio circa Ioannis textum versabitur, in historiæ finem reiectis iis quæ à D. Marco 16. 10. & 11. & D. Luca 24. 11. narrantur.

Error eorũ qui Mariã Magdalenẽ eandem esse voluerunt cum illa peccatrice & sorore Lazari, de tribus mulieribus vnam constituentes.

Non tamen prætereunda leuiter est huius Mariæ Magdalenes à Marco hic & Luca 8. 2. qualitas expressa, miseram prius fuisse dæmoniacam, seu, dęmoniis septem obsessam, à quibus à Christo liberata fuerat. Et hoc allegoricè nonnulli intellexerunt, de peccatrice illa muliere dictum putantes, misero, inquam, scor-

ſcorto illo de quo Lucas loquitur cap. 7. 37. quemadmodum hanc eandem cum Maria ſorore Lazari quæ pedes etiam Chriſti vnxerat confuderunt. Et ita de tribus mulieribus vnam fecerunt, contra ſacræ hiſtoriæ veritatem, ſine vllo fundamento, quum Euangeliſtæ ſæpe de Domini miraculis in genere loquuti ſint, omiſſis tamen geſtorum ac perſonarum circunſtantiis, vt Matth. 4.24. & alibi. Nihilominus tamen quę de hac muliere fuerunt nominatim recitata, nimirum tam propè Crucem cum matre Domini ſtetiſſe, Ioh. 19. 25. tam curiosè ſepulchrum obſeruaſſe, Matth. 27.61. & Marc. 15. 47. quibus adde quæ hic fuſius recitantur, oſtendunt ea quæ Dominus de muliere peccatrice pronuntiauerat, nimirum magnam illam dilectionem teſtari ipſam ingens aliquod beneficium eſſe conſequutam ab eo quem tantop ere diligebat, rata etiam in hac Maria Magdalene fuiſſe.

Nos verò miſſum facientes errorem illum, quo de tribus mulieribus vna facta eſt, age quę hic ad noſtram ædificationem obſeruatu digna fuerint expendamus. Nec enim parui momenti eſt ex hac muliere ſic notata diſcere, quid de nobis & aliis nobis ſperandum ſit in peccatorum apprehenſione, quæ maxima lucta peccatorum eſt. Alij enim in hac tentatione aut de ſeipſis, aut de aliis prorſus deſperant: alij pœnitentiam ſibi quum volent fingentes, ad ſuarum ipſorum conſcientiarum admonitiones aures obturant, & in cœptis flagitiis

Tripliciter magnopere peccatur à multis, peccata ſua aut aliorum apprehendentibus.

pergunt. Alij de infinita Dei misericordia sermonem audientes, sibíque ante oculos proponentes summis peccatoribus maxima ex mera gratia condonata peccata, putà Dauidi, Manassæ, toti veteri populo toties, misero illi cum ipso Christo crucifixo latroni, publicanis & meretricibus, Matth. 9. 13. & 21. 31. tum miseræ huic dæmoniacæ & aliis non paucis, tanta Dei bonitate abutuntur ad contemptum vsque, vt in has voces erumpant, Peccemus, vt magis abundet gratia, Rom. 6. 1.

Certissima remedia duo aduersus mala superiora. Prius, ne vnquam separetur venia peccatorum ab eorundē resipiscentia vt solent cōtemptores, nec resipiscētia à remissione, quod faciunt, qui nimium desperant. Alterum ne si bi quis resipiscendi, quum volet potentiam promittat.

Ecce horrendissima præcipitia, quibus hæc opponenda sunt remedia ex huius mulieris & aliarum similium exemplis eruta, nempe ne vnquam veram pœnitentiam, cuius vitæ in melius immutatio finis est, à peccatorum remissione distinguamus: quū à se inuicē nulla ratione diuelli queant: Deinde, ne hanc à nobis esse resipiscentiam cogitemus, quum ab vno Deo vt speciale donū promanet, 2. Tim. 2. 25. & Ioh. 6. 44. ac proinde ne bene monenti conscientiæ silentium indicamus, sed monentem audiamus, & ab ea sic excitemur, vt nunquam, si fieri poterit, procrastinemus, aut in aliud tempus vocem eius audire reiiciamus, à quo ad peccatorū agnitionem & meliorem frugem inuitabimur, Psal. 95. 8. ne fortè tandem occlusas fores inueniamus, Matth. 7. 23. & 25. 10. Quoniam verò in tanta peccatorum atrocitate & multitudine multi cadunt in desperationem, tum sunt in memoriam eiusmodi exempla reuocanda, non quidem vt in lapsibus

bus eorum ipsos imitemur (nã hoc esset apertè pœnitentiam à remissione diuellere) verùm vt (quandoquidem non minora, sed fortasse vel maiora vel æqualia sunt peccata nostra illorum peccatis) eandem nobis à Deo gratiam concedi postulemus, pœnitendi nimirum & ad meliorem frugem redeundi, vt eandem cum ipsis misericordiam consequamur. Atque huius quidem rei exemplo nobis sunt ij ipsi quos nobis proponimus, adeò quidem vt ipsa verba suppeditent, quæ in hunc etiam finem in sacris literis exprimuntur: quæ faxit Deus diligenter & attentè legamus, cognoscamus ac meditemur dum viuimus, tum ad priuatum nostrum vsum, tum ad proximorum in talibus angustiis consolationem. Nam omnes in hac parte, nos verò pręcipuè quibus hoc Deus imposuit munus alios docendi, monendi, corripiendi suo nomine, immo tempestiuè & intempestiuè arguendi & corrigendi, opus habemus à Deo postulare spiritum discretionis, vt non modò morbum cognoscamus ac discernamus, sed etiam ægrotantis statum ac dispositionem, vt ex eo medicinam laboranti faciamus, legem induratis prædicantes, Euangelium autem corde contritis: peccatum quidem semper condemnantes, sed ex eo peccatorem eruere studentes.

Rarissimũ exemplum veræ amicitiæ in hac muliere ergasuũ benefactorem

Cæterum in hac muliere, etiam humanitus considerata, speciosum veræ amicitię testimonium, ex quo maxima pars hominum arguitur, nobis proponitur. Annon enim, obsecro,

iam ab omni æuo est illud verissimum, nihil inter homines vera & constanti amicitia rarius esse? Non tātùm, inquam, in genere inter omnes inter se homines aliquo beneficio aut familiaritate iunctos, quæ statim omnia facilè traduntur obliuioni, sed inter eos maximè quos vel sanguine cognationis vel affinitatis iure coniunctissimos esse oportebat. Testes huius rei aduoco filiorum erga parentes non tantùm contemptum, sed summam etiam impietatem: querelas & odia capitalia & implacabilia patruelium & nepotum, fratrum & sororum, aliorumque cognatorum aut affinium vt non tantùm acta publica, sed etiam tot familiarum euersiones, tum aduersus istiusmodi perditos & ingratos, coram Deo & hominibus, testimonium horrendum ferant: tum aduersum vos, procuratores & aduocati, qui mala fide querelas ac lites eiusmodi fouetis ac promouetis: tum aduersum vos Iudices nimiū in admittendis istiusmodi litibus faciles, quas aut omnino reprimere, aut saltem, siquod illis fundamentum inęst, breui sententia ex æquo & bono terminare, vos oportebat, antequam maius excitaretur incendium, quum plerumque tamen eas foueatis ac prorogetis, ac tanquam bouem pręsentem mulgeatis, ne fugientem persequamini, multiplicatis incedentibus, non castigatis temerariis appellationibus, nec contumeliis & conuiciis aduocatorum & procuratorum, sic inter partes odia serentium: crebris interlocutoriis sententiis inter-

teriectis, aut eiuſmodi decreta facientibus, vt ex vnico multa pullulent. Atque vtinam iſta quæ commemoro non tam frequenter accidere, cum viduarum, & multorum orphanorum detrimento, totiúſque huius ſtatus & prope & procul ſummo dedecore conſpiceremus, vt niſi crebris noſtris monitionibus & hortationibus maturè locus detur, magnopere verendum ſit ne horrenda ruina nobis immineat. Illis omnibus opponitor huius mulieris ſingularis amicitiæ exemplum, quæ tanto amore Dominum adhuc viuum, à quo fuerat ex tanta miſeria liberata, ſequuta eſt deinceps, vt ne mortuum quidem obliuiſci potuerit: ſed contrà, vitam, mille periculis obiiciens, nunquam quieuerit, quin ſciret quid eius corpore factum eſſet, vt in mortuum amoris, quo viuum erat proſequuta, ſigna conferret: ex quo facto multos etiam hominum nomine indignos oportet rubore perfundi, tantùm abeſt vt pretioſo Chriſti nomine digni ſint. Abſit tamen ſuperſtitioſis hic vllam anſam tuendarum ſtultarum deuotionum circa mortuorum curam præbeamus. Longo enim interuallo diſtant inter ſe hæc circa Domini corpus mulieris huius cura (pro charitatis illius officio, quæ, vt ſupra diximus illis temporibus erat in vſu) & ſuperſtitiones à Deo per ſacroſanctum verbum ſuum condemnatas, ad quod vt ad normam vnicam recti omnes noſtræ cogitationes, ſermones ac denique facta ſunt exigenda.

Obſeruandum inſuper, non ſimpliciter hu- Tam atâēs

Illarum mulierum studium altius manauit quàm à natura ipsorũ, fide nimirum. Sed Sp.S. in nobis pedetentim operatur: multas ob causas grauissimas.

manam fuisse hanc affectionem, ob acceptum tantum beneficium, ab eo quem tam insigniter dilexit: sed alio fundamento sanctificatam hanc affectionem, quòd hæc fœmina Domini sermones diligenter audiuisset, & animo infixisset, etsi non huc vsque promouerat vt cognosceret ipsum, sicut ad salutem est cognoscendus, sed eò vsque tamen, vt, quicquid aduersus Dominum judicatum & factum fuerat, condemnaret, eúmque pro insigni Propheta Dei haberet, potente operibus & sermonibus coram Deo & toto populo, sicuti duo illi discipuli loquuntur, Luc. 24. 19. Per gradus igitur quosdam & momenta cæcitas nostrorum oculorum pellitur, cuius nostræ regenerationis paulatim perficiendæ imaginem habemus in cæci illius, a Domino per gradus & momẽta facta sanatione, Marc. 8. 24. Nam alioqui frustra nos hortaretur Apostolus ad noua subinde fidei incrementa, Rom. 1. 17. quod etiam docet nos ille, Dominum rogans, vt fidem ipsi adaugeret, Luc. 17. 5. & Apostolus in Christo nobis adolescendum docens, Eph. 4. 13. Quinimo quandiu in his terris agimus, nemo potest mortalium in virum perfectum spiritualem & ad mensuram staturæ adulti Christi peruenire: sed primùm in nostræ regenerationis primordiis oportet nos lacte primùm, deinde cibo solidiore cibari, 1. Cor. 3. 1. tantum vitium in nobis & incrementi capiente nouo homine interiore, quantum exterior decrescit, donec non amplius ex parte cognoscamus, sed

per-

perfectio nostra tandem impleatur, 1. Cor. 13. 10. quum Deus erit omnia in omnibus, 1. Cor. 15. 28. Ac sanè posset quidem vno momento Deus hoc opus perficere, quemadmodum non nunquam momento quosdam vehementer immutauit: sed prӕterquam quòd ex materia vehementer indomita, miniméque ductili constamus, vt in nobis denuò formandis, vt ita dicam, Dominus laboret, qua de re toties per Prophetas conqueritur, ac nominatim Mich. 6.3. & Luc. 19.42. sic pedetentim in nobis operatur, vt meliùs ipsi nobis innotescamus, & gratiam eius diligentiùs expendamus, quam in nos guttatim tanquam rorem instillat, vt tantò melius nos subigat & molliat. Porrò nobis hӕc doctrina summè necessaria est, ad duo extrema perniciosissima fugienda: quorum alterum est, ne, si admodum exilia & tenuia sunt initia nostra, despôdeamus animum: (remedium sanè necessarium omnibus sibi nimium diffidẽtibus) alterum, ne si aliquos progressus fecimus, nimiũ nobis placeamus, quo remedio sibi nimium confidentibus opus est.

Perseuerantia in nobis quod bene cœptum est augetur.

Quid igitur opus est facto? Nempe nos ea quӕ a tergo sunt obliuiscentes, oportet ad anteriora semper contendere, Phil. 3. 14. Nam si tantum beneficium hӕc mulier à Domino est consequuta, licet tam malè cœpisset, quòd Dominum quӕreret, etsi quӕreret vbi ampliùs nõ erat, quid ipsum vbi est, & vt oportet, quęrentibus sperandum dicemus? Modò tamen ne retrogradiamur, sed contrà non desistamus ab

eo quærendo, huius mulieris exemplum sequuti, quæ hac ratione longè aliud quàm exspectabat, reperit. Vt verò melius intelligamus quanta fuerit in hoc sancto desiderio perseuerantia, etsi magna cum infirmitate coniuncta, age expendamus quantum de eius studio decedere potuerit, quòd Apostoli nuntium eius tam parui fecissent, Luc. 24. 11. Ex quo docemur nunquam mutuas collationes contemnendas, cum iis à quibus ædificari nos posse speramus: & ita quidem, vt licet minimè nobis ab iis ex animi voto satisfiat, sed aliquando potiùs fastidium adferant, à quibus gustum nobis iniiciendum putabamus, non tamen ab incœpto desistamus.

Insignis eorum impudentia qui Iesum Christum Matri suæ primæ omnium apparuisse finxerunt.

En verò textum quo magnopere forent offendendi Mariæ Virginis cultores, nisi maturè prouidissent. Fieri-ne enim posset, aiunt, vt Christus matre posthabita, Mariam Magdalenen tanto sit honore dignatus, vt priori personaliter apparuerit, sicuti Marcus narrat cap. 16. 9. Quid ergo boni illi Doctores Contemplatiui statuerunt? Euangelistæ, inquiunt, matris apparitionem omittere potuerunt, vt Petri & Iacobi, quas tamen Paulus Apostolus, 1. Cor. 15. 5. & 7. memorat. Ac sanè ipsi Euãgelistæ testantur non fuisse à se perscripta singula quæ diebus illis 40. contigerũt, quibus in mũdo est à sua resurrectione versatus, Ioh. 20. 30. nũ verò propterea cuiuis licebit nouas apparitiones sibi ex arbitrio fingere? At quæcunque tandẽ excusatio aut effugiũ quæratur, næ

si

ſi Ieſus Chriſtus Mariæ Virgini, aut vlli alij priori quàm Mariæ Magdalenæ apparuit, D. Marcus mendacij reus peragetur. Immo nec verum eſt, nec fit cuiquam veriſimile, Euangeliſtas fuiſſe matris Domini nomen, ſi cum aliis mulieribus ſe in viam ad ſepulchrum dediſſet, ſilentio prætermituros, quum aliarũ quarundam præter Magdalenæ nomen expreſſerint. Nos ergo fabuloſis illis apparitionibus omiſſis, veris & indubitatis Dominicæ reſurrectionis teſtimoniis, quæ à fidelibus, & omni exceptione maioribus, teſtibus nobis recitantur contenti, falſas omnes incredulorum inuentiones iiſdem arguamus. Sanctam verò ac beatam Virginem, ne dubitemus quin ipſe Dominus, in maximis illis ſuis angoribus, de quibus eam Simeon præmonuerat, Luc. 2. 35. à morte ſua, & dũ in ſepulchro iaceret, ſuſtentarit ac ſolatus ſit: vt eandem quam ad Crucem, & dum ipſe Spiritum emitteret, conſtantiam habuerat, retineret: Ioh. 19. 25. ac magnos illos gemitus & vlulatus abominemur, & eximias illas, ſcilicet, picturas ab idololatris, præter hiſtoriæ veritatem, & in ſanctæ Virginis maximam contumeliam, inuentas, adeò cæci ſunt magni illi Virginicolę, deteſtemur: quum veriſimile ſit mortuo in Cruce Domino, & ſancta virgine in ædes Ioannis tunc aſſumpta, Ioh. 20. 25. quietam illam ibi remanſiſſe: & ab illis profectionibus cum aliis mulieribus abſtinuiſſe. Minimè verò dubitãdum reor, quin ad dolorum ſuorũ ſolamen ipſa inter primos

fuerit, ad quos, tum hic mulierum nuntius est perlatus, tum aliæ deinceps apparitiones: vt tamen ad has sacrosanctas historias nihil adiiciendum sit: quum præsertim Spiritui Sancto visum sit, tum hoc loco, tum alibi, ex quo Dominus cœpit sibi à patre commissum munus exequi, raram admodum de Virgine Domini matre mentionem facere: præuidens spiritum erroris non desiturum, quin multa ludicra & impia confingeret, quod experientia tot seculorum est testata, & adhuc hodie testatur.

Non omnis, bona licet, terra ad germen educendum, & fructum ferendum æqualiter: bono semine accepto est disposita.

Porro non ita negligi hunc nuntium Dominus passus est, quin ab eo quidam excitarentur. Ex quo exemplo discimus, non modò bonum semen non semper in bonam terram incidere, quod ipse Christus apertè docuit in parabola seminis: sed etiam bonam terram, quæ illud excipit, non semper eadem à Spiritu sancto mensura præparatam esse, vt bona sit, nec æqualiter aptam esse, ad germinandum, fructúmque adferendum. Hoc duobus istis discipulis contigisse videmus, qui, aliis aut dormientibus, aut adhuc nimio stupore attonitis, ad sepulchrum excurrerunt, sed alter altero celeriùs. Quin etiam, qui prior ad sepulchrum aduenerat, illud inspicere sat habuit, qui verò posterior venit aliquid amplius egit, ipsum etiam sepulchrum ingressus. Ex quo monentur qui benè cœperunt, alacriter pergere: qui verò tardiores fuerunt sibiipsis stimulos addere, vt tandem etiam, si fieri potest, eos qui bene cœperunt anteuertant. At verò non tamen sepul-

chrum nobis Hierosolymam excurrẽdum est, mortuorum nempe domum, qua de re mulieres illas obiurgantem Apostolum audiuimus, Luc. 24. 5. sed in cœlos, in quibus est Dominus in æternum viuens, Coloss. 3. 1. in quibus fides per verbum & Sacramenta veluti ascendens, nobis eum contemplandum & amplectendum exhibet.

Ridicula idololatria eius quod falsò dicitur Sancti Sudarium.

Sequitur apud historiam Iohannem in ipsum sepulchrum intuentem & incuruatum, vidisse lintea in quibus Dominus sepultus fuerat seorsim posita: quod pluribus verbis adhuc sequentibus versiculis exponitur, quum lintea quibus corpus inuolutum fuerat seorsim posita, sudariumque (nimirum linteum quod super caput eius fuerat, vt ex alio Iohan. Euang. loco, de Lazaro loquente, patet, Ioh. 11. 44.) seorsim inuoluta in vnum locum, dicuntur. Quæ quum tam expressè recitentur, & possint etiam ex more quem Iudæi adhuc retinent mortuos sepeliendi sic esse comprobari, quis non miretur reliquias illas, non modò, vt pleræque aliæ sunt, falsas, sed etiam bruta ignorantia excogitatas Sancti illius Sudarij, quod vocant, ad quod visendum miseri idololatræ priùs Cameriacũ in Sabaudia, iam verò Thurinum in Pedemontio certatim excurrunt: in quo, mangones illi miserarum animarum veneno illo infectarum, efficta hominis à fronte & à tergo imagine, à capite ad calcem, miseris persuadent corporis Domini effigiem, in illo linteo sepulti, sic expressam remansisse? O in-

ſignem impudentiam, quam ipſe textus Euangeliſtæ tam diſertè coarguit!

Tres rationes propter quas Dominus voluit lintea in quibus ſepultus fuerat in ſepulchro remanere, & quomodo deinceps veſtitus apparuerit.

Verùm hoc omiſſo tam aperto támque ſtupido commento, age potiùs expendamus cur illa lintea relinquere Domino visũ ſit, & quidem ita ſeorſim in ſepulchro poſita. Primùm igitur, vt veterum in hunc locum explicationes allegoricas prætercam, aio Dominum ſepulchro egredientem etiam voluiſſe mortis propria tegumenta deponere. Deinde reſurgentem, non denuò vitam hanc animalem victurum (in qua tum honeſtas, tum neceſſitas, veſtiri corpora poſtulat) ſed iam tum vitam ſpiritualem acturum, cœleſtem & tali neceſſitati exemptam, cum ſolo ſuo corpore, mox omni gloria & ſplendore decorando reſurgere voluiſſe: quod factũ eſſet tũ & talis apparuiſſet, niſi ex mera gratia quadraginta dies illos voluiſſet inter ſuos in mundo conuerſari, tam ad ſuæ reſurrectioni fidem faciendam, quàm ad ſuos diſcipulos confirmandos, non ipſorum tantùm commodo, ſed totius Eccleſiæ ad finem vſque ſeculorum duraturæ, Act. 1. 12. Quapropter, etſi non luſit ſuos vana imagine, quum toties ipſis intra quadraginta dierum illorum ſpatium apparuit, & quidem modò hac, modò illa forma, (nam id ſi eſſet, non ſufficerent eiuſmodi viſiones probandæ eius in vero ſuo corpore reſurrectioni) non tamen id neceſſitate, quemadmodum etiam nec eum neceſſitas eodem tẽpore cũ diſcipulis edere coëgit: ſed ex ſpeciali & peculiari diſpenſation

tione fecit, ob eas quas superiùs causas attigimus. Tertiò voluit hæc lintea sic seorsim inuoluta in sepulchro deposita iacere, quò furtim ablati corporis opinio tolleretur: quum nec verum sit, nec veri similitudinem habeat tale quid aggressos, & in primis discipulos, (quod à Sacerdotibus deinceps impositũ est ipsis factum) tantum otij habituros, corpus illud exuendi fasciis ac linteis, multóque minus ea sic complicandi & seorsim ponendi.

Quî factũ sit vt Iohãne resurrectionem credente, Petrus adhuc dubitarit, Maria verò Magdalene in incredulitate permanserit.

Habetis hac in parte Domini mentem. Atque adeò noster Euangelista testatur D. Iohannem in sepulchrum etiam ingressum, post socium suum Petrum, & diligentiùs animaduersis linteis sic seorsim inuolutis ac dispositis, vt per otium, tũ cœpisse credere non fuisse furto sublatum, sed verè surrexisse, præsertim sepulchrum sepientibus custodibus, non sanè aliò ipsum asportaturis, sed potiùs ne ex loco in quo positus erat egrederetur pro viribus impedituris. Non idem verò de Petro dicitur Luc. 24. 12. sed è sepulchro digressum esse, factum illud apud se mirãtem: ex quo discimus Deum in suis operari secundum mensuram quam ipsi visum est, quum Iohannes hinc recesserit quàm Petrus confirmatior: cuius tacita illa admiratio dubitationem animi prodit, etsi verisimile est in hanc illum potiùs quàm illam partem inclinasse, nempe Dominum potiùs resurrexisse quàm furto sublatũ, aut asportatum aliò fuisse. Nec verò dubitandum quin duo illi discipuli, & Maria Magda-

lena, de hac re inter se disputarint. Ac Mariam Magdalenam historia sequens ostendit in sententia perseuerasse, Domini corpus aliò fuisse asportatum: Diuum autem Iohannem contrà tunc suscitatum à mortuis credidisse: Petrum contrà dubium animi fuisse: iis quæ sic disposita lintea prædicabant opponentem quæ humana ratio dictat, fieri non posse nimirum vt mortuus à seipso resurgat. Huius mali causa sequente vers. 9. exponitur his verbis, *Nondum enim nouerant scripturam, dicentem, oportere ipsum à mortuis resurgere.* Huius, inquã, mali causa, quòd Iohannes nimirum suscitatum non credidit antequam sepulchrum ingressus, lintea sic inuoluta & seorsim posita vidisset: Petrus verò dubius adhuc hæsit, Maria verò Magdalena in incredulitate perrexit, à Prophetiarum de Domini resurrectione ignorantia manauit: quæ sunt insignes, Psal. 16. 10. Psal. 110. 1. Esa. 53. 8. & 55. 3. Quibus adde, nostræ redemptionis finem, putà vitam æternã membrorum Domini, suum effectum manente in morte ipsorum capite, consequi non posse. At discipulorum mentem falsa illa opinio Regni Messiæ in terris excęcauerat, non modo quum hæc contigerunt, sed etiam probè cognita & credita Domini resurrectione sicut, ex Act. cap. 1. 6. apparet, adeò verum illud est Apostoli dictum, Rom. 8. 7. Intelligentiam carnis Deo subiici non posse.

Exemplum trium illo- Multa igitur nobis hic discenda: primùm quidem à Deo supplicibus votis hanc gratiam dari

dari nobis postulandũ, vt naturalem sapientiam loco stultitiæ, quum agitur de scientia salutis, habeamus. Deinde quum sic dispositi fuerimus, adeunda Sacrarum scripturarum schola est, vt eum ibi quæramus, nec vspiam alibi, qualis vult à nobis ad salutem agnosci, Ioh.5.39. Act.17.11. & Ioh.17.3. Tertiò tria hominum genera nobis hic proponũtur, & quidem eorum qui non malitiosè, nec pertinaciter, veritati resistunt, vt Sacerdotes de quibus agitur, Matth.28.11. Alij igitur ad aliquam quidem Iesu Christi cognitionem venerunt, sed progressus in ea maiores facere nequeunt, abiectis suis erroribus, nisi temporis spatio, & diu multúmque luctati: cuius rei exemplum esto Maria Magdalena, & reliquorum discipulorum, vt deinceps visuri sumus, pars maxima.

rum diuersorum generum hominum qui nec inimici sunt veritatis nec hypocritæ.

Aduersus hæc mala remedium, & pastorũ hac in parte officium.

Alij, Petrum in hac historia sequuti, ita credunt, quæ credenda quidem vident, vt tamen adhuc hæreant: alij, Iohannis exemplo, singulari Dei beneficio, progrediuntur vlterius, veritati cedentes, & eam semel amplexatam sequentes. Secundum quam hominum distinctionem, Pastores præsertim decet commissas sibi ouiculas regere: immo & singulos Christianos inter se viuere: se ex charitatis lege ad eos accommodantes qui in fide infirmi sunt, vt cum omni lenitate & patientia ipsos ædificent, Rom.14.1. & 2. Tim.2.24. & 25. vt omnibus omnia fiant: exemplum imitati ipsius Apostoli, dum modò nec veritas, nec conscientia, lædantur, 1. Corinth.9.22. & quidem adhuc

lógè perfectiùs Domini noſtri Ieſu Chriſti exemplũ ſequuti, tum in hac hiſtoria tota erga ſuos diſcipulos prorſus inexcuſabiles, tũ in totius vitę ſuæ ac muneris curriculo, vt tamẽ nec veritatis contumacibus hoſtibus, nec aliis iſtiuſmodi profanis hominibus ſit vnquam adulatus, quos ſæpe vt hypocritas & dealbatos parietes increpauit, Matt.23. & alibi. Sic ante Chriſtum Iohannes Baptiſta, progeniem viperarum, etiam ad ſe venientes, dixerat. Sic Apoſtolus teſtatur ſe ne ad momentum quidem ipſis ceſſiſſe, Gal.2.4.& 5. quum tamen ſe eóuſque infirmis accommodaſſet, vt Timotheum circumcideret, Act.16.3. Verùm enimuerò peritiſſimos quoſque noſtræ ſalutis noſſe oportet, in ſe ineſſe plus ignorantiæ ſemper quàm ſcientiæ, ac proinde doctores ipſos in Domini ſchola diſcipulorum nomine cenſendos: ſicuti minimè dubium eſt quin licet verè D. Iohannes crediſſet, ac proinde non ſit inter eos reponendus de quibus in genere, Marc.16.11.& Luc.24.11. loquuntur, Domini tamen Ieſu Chriſti coràm apparentis conſpectu valde ſit confirmatus.

Exemplum in Maria Magdalena quantũ homines laborent in conciliãda fide cum ſenſu ſuo naturali.

Ad Mariam verò Megdalenam reuertamur quam hiſtoria recitat in ſua opinione perſeuerãtem, flentem ſteriſſe ad ſepulchrum, inter ea dum ea geſta ſunt quæ de mulieribus aliis audiuimus, dum ipſa in vrbem excurrerat, & cum Petro ac Iohanne reueſa fuerat. Quapropter hæc Angelorum viſio, & Domini ipſius in propria perſona apparitio, prorſus alia eſt ab ea

ab ea quę de aliis mulieribus quę tũ erãt in reditu recitata est. Et istud diligenter obseruãdum, vt huius historię series intelligatur, quod hac in re multi ex veteribus & recentioribus nõ parũ sint hallucinati. Maria Magdalena igitur cum fletibus ad sepulchrum permanet. ex quo discimus in quot difficultates & angustias præcipites nos ipsos demus, etiam quum bene agere meditamur. Quod non tantùm de iis dictum volo quos naturalis cæcitas detinet, sed etiam de iis quibus Deus aliquam suæ cognitionis notitiam dedit, & tamen à sensu suo proprio adhuc reguntur, quod huic mulieri contigisse videmus. Nec enim ex perditorum illorum erat incredulorum numero, qui seipsos ne Christum Iesum cognoscerent, excæcabant, quem contrà Dei Prophetam excellentissimum cognouerat, quicquid aduersus eum erat peccatũ toto pectore abominata: & miro affectu & cura erga mortui corpus prodebat obsequium quo viuum obseruarat, à sepulchro nolens recedere quin sciret quid esset ipso factum, & quidem ingentibus gemitibus quàm lugeret amissum testata. At quis eam in has angustias redegit, quis dolorem eius auxit, nisi quòd malè Magistri retenta doctrina, in sola eius morte inhæret? & sensus humanus eam impedit quominus credat quæ lintea illa sic separatim posita palàm prædicabant, nempe non fieri verisimile eum quem quærebat, & quem in hoc sepulchro deponi viderat, vt expressè notarunt Euangelistæ,

Matth.27.61.& Marc.16.47.& Luc.23.55. furto fuisse sublatum? Quis vero non est, obsecro, in ipsius Dei etiam Ecclesiæ gremio, similium, ne dicam longè grauiorum lapsorum reus? Nam vt immensum eorum numerum omittam, qui pulchrè secum agi putant si Christi & Christianorum nomen sibi placeat, & quidem sanè non per hypocrisin, doctrinæ tamen & vitæ morúmque Christianorum planè rudes & imperiti, vnde quæso maxima pars hæreseωn manauit, ex quibus postea mille horrendæ confusiones oriuntur, nisi quòd cum stulta hominum ratione confunditur Dei sapientia, quam reuelauit in sacrosancto suo verbo, in se quidem clarissimo & lucidissimo, sed pereuntibus tantùm tecto, & quibus Deus huius seculi mentes excæcauit, 2. Cor.4.3.& 4. Vnde verò tādem tot labores & molestiæ in quas multi præcipites feruntur, & quibus tandem corpora cum animo pessundantur, nisi aut ex ignorantia inexcusabili, aut à promissionum Dei diffidentia, quòd in Dei sacrosancto verbo non sint eruditi? Sola igitur sua culpa tandem homines in has miserias lapsi pereunt, cui vt occurratur, orandus est Deus, vt si veritatis suæ gustum aliquem nobis dedit, dociles etiam reddat vt in dies profectus maiores faciamus, stultitiam nostram eius cœlesti sapientiæ subiicientes, & affectus omnes nostros coërcentes aduersus omnem diffidētiam ac terrenarum rerum solicitudinem, vt sēper hilares & cōtēti data nobis hęreditate,

sola

ſola nobis neceſſaria,& nunquam eripienda, Luc.10.42. vitã cum ſanctimonia traducamus.

Hic verò ex contrario Dei bonitatem immenſam perpendamus, minimè quidem peccatis noſtris indulturi, & in iis delicias nobis facturi: ſed animos collecturi, ſi hactenus aut pares aut maiores adhuc fuerunt noſtri lapſus quàm huius mulieris: modò patiamur Deum in nobis pedetentim operari. En igitur rem vt geſta eſt. Dicitur Maria non ſemper flens ſtetiſſe ad ſepulchrum, ſed in illud ſe inclinaſſe inſpecturam quod duo diſcipuli ſe vidiſſe nuntiauerant, lintea nimirum ſic inuoluta ac ſeorſim poſita. Quis autem eam ad hoc impulit, niſi quòd quæ priùs neglexerat apud ſe diligentiùs expendit? At quid illa, quæſo, merebatur? Næ, vt iſti quoque reſurrectionis Domini præcones oculis ipſius ſubducerentur. Contrà tamen, ecce pro præconibus natura mutis duos cœleſtes conſpicit præcones, cœlitus ad eam non ſolùm docendam, ſed etiam conſolandam miſſos, etiam ſi nec ore quidem eſſent loquuti. Altero enim Angelo ſtante ad caput, altero verò ad pedes loci in quo iacuerat corpus Domini, nonne his vocibus ipsã compellare videbãtur, Quid hic agis? Is quem quæris amplius hic non eſt: En vbi caput eius, en vbi pedes iacuerunt. Alibi igitur ipſum quære, nec flendo hic tempus ducito. At, quòd non eſſet his verbis ſatisfactum ipſi, proculdubio excepturæ ſe reuera id ipſum ſatis animaduertere, & ideò maiorem inde ſibi luctum

Quæ minus fidei habuit quàm alij, ex infirmitate tamẽ, non rebellione, ſpecialem gratiã ſupra omnes eſt conſequuta.

ſurgere, ſcire cupienti quo loco poſitus eſſet, Dominus ipſe velut ſeipſum gratia & miſericordia ſuperans, eam tanto honore dignatus eſt, vt omnium primæ ſe ipſum coràm inſpiciendum præbuerit, Marc.16.9. vt omni ſublato ſcrupulo & animi anxietate fletus ac gemitus eius in ſummum gaudium & conſolationem verterentur. Qua in re præiuit Dominus nobis exemplo, docens de infirmis minimè deſperandum, nec indiſcretè durius habendos, ſed patienter erudiendos, Rom.14.1. & 2.Tim. 2.25. quum ſæpe contingat eos tandem à Deo maximis donis exornari.

Sic plerunque Deus agit cum liberis ſuis, quibus hanc gratiam concedit, vt quum ſuas cogitationes in deuia ſequuti aberrarint, morſus conſcientiæ audiant, & quæ priùs neglexerant, aut nimis leuiter prætererant, diligengentiùs penſitent & attendant. Tunc enim niſi per ſeipſos ſteterit, pro errore priore, aut etiam maiore ſequuturo, cognoſcunt qua in re decepti ſint, & quod maius eſt, emendant, vt etiam in ſuum commodum ſuperiores errores vertant, & ſtultitia ſua ad Dei ſapientiam veniant. Non aliter hæc mulier, conſciētiæ morſu excitata, inſpexit in ſepulchrum, quæ in eo eſſe priùs audiuerat conſideratura, & ecce, viuum eum offendit quem inter mortuos tam pertinaciter quærebat: & eo quòd reſurrexiſſe ipſum ſibi perſuaderi non ſinebat, de reſurrectione ipſius longè certior facta eſt: tam bonus erga ſuos Dominus: tam in viis,

qui-

quibus eos ad se trahit, admirādus. Porro meminerimus eiusmodi mutationes esse à Domino priore nobis occurrére, quod ex hac historia plus satis est conspicuū: sicut olim à Nathano Dauidē à veterno excitatū legimus: & Petrum Domini aspectu. Sic Dominus prior Adamū latitantem quæsiuit, Genes. 3.9. quod in se veri Dei filij quotidie experiuntur. Contrà propriæ conscientiæ morsus extinguentes (quo plerunque morbo superbi & ambitiosi homines laborant, quibus cum Dauide dicere, Peccaui, & cum Petro flere amarè, dedecus est) tandem in sensum reprobum traduntur, Rom.1.28. pedetentim eorum conscientia putrescente, donec tandem cauterio resecetur, 1. Tim.4.2. Talium exempla omnibus seculis videmus, ac præsertim infelici hoc nostro, siue falsæ doctrinæ seminatores, de quibus agit Paulus, Tit. 4. 11. siue denique mores plærorumque hominum deprauatissimos & corruptissimos inspicias.

Superest igitur nobis hæc apparitio pluribus explicanda, sed prius enodatis tribus in hunc textum incurrentibus difficultatibus. Harum prior est Mariam Magdalenam ad Angelorum aspectum non dici fuisse attonitam, sed vltrò & confidenter ipsos alloquutam, quasi duos homines fortuitò occurrentes cōpellasset: altera quòd inter loquendum dicitur se auertisse, vt retrò aspiceret, nulla tamen eius rei causa addita: tertia, quòd Iesum Christum nec ex vultu, nec ex sermone agnouerit, De

Quomodo Maria Magdalena tā confidenter Angelos sit alloquuta.

priore illa, qui ſimpliciter aiunt Angelis inſtar hominum apparentibus, Mariam non obſtupuiſſe, non omnino ſatisfaciunt. Nam prætérquàm quòd veſtimenta alba & ſplendentia nouum aliquid & inſolens illi repræſentabāt, nemine ex quo ad ſepulchrum ſteterat illud ingreſſo, & inde profectis Apoſtolis, qui priùs illud ingreſſi fuerant, quînam ſimpliciter homines eſſe cogitaſſet? Et tamen eos non aliter quàm homines alloquitur. Aio igitur, licet quæ ſuperius attigi cogerent quodammodo hanc mulierem aliquid plus quàm humanum in iis quos intuebatur agnoſcere, nihilominus tamen ſic ingenti illo deſiderio ſciendi, quid Ieſu Chriſti corpore factum eſſet (quod eius tum ad Angelos, tum ad Ieſum Chriſtum ſermones produnt) occupatos omnes ipſius ſenſus fuiſſe, vt nihil aliud cogitarit: quemadmodum ſæpe contingit vehementibus illis affectionibus ſic viſum, auditum, cogitationes in vnum quid occupari, vt vnum hoc ſenſus videant, audiant ac cogitent. Qua ex re diſcimus hanc mulierem longè ſuperaſſe diſcipulos, & ſocias ſuas, immo tum quidem omnes homines, amore illo inſigni & ſancto quo Ieſum Chriſtum Dominum, licet, vt ipſa putabat, mortuum proſequebatur. Et quidem tam gratus Domino hic amor, etſi multis næuis plenus, vt prima ſui apparitione à ſua reſurrectione mulierem hanc dignatus, eandem eſſe mortalibus exemplo voluerit, & diſcipulis & aliis omnibus incredulitatem ac torporem

porem exprobrare: sic ratum faciens quod ante dixerat, à violentis, sancta nimirum violentia, Regnnm cœlorum rapi, Matth. 11. 12. Quid futurum igitur putamus tanta nostra glacie: quid torpore tanto quo sic ab officio procul remouemur, vt si quæ bona cogitatio nostris mentibus à Domino iniiciatur, vel vnius muscæ volatus vel atomi conspectus eam eripiat, vel plerumque prorsus obliuione sepeliat?

Qua occasione Maria Magdalena alloquens Angelos retrò se conuerterit.

Altera difficultas, quòd Maria retro aspexerat, sic à quibusdam soluitur, vt dicant Angelos intuentes Dominum pone Mariam, honorem ipsi aliquem exhibuisse, quo animaduerso Maria retro aspiciendi occasionem habuerit. Sed ista leuia, non meliore nixa fundamento, quàm quod sibi quidam persuaserunt, Iohannem noluisse Petro priorem honoris gratia sepulchrum ingredi. Magis igitur est verisimile, Mariam Magdalenam accedentem Dominum quodammodo sensisse, quod plerunquè fit, nisi fortè quis ita leui passu incedat vt animaduerti non possit. Fateor tamen Dominum etiam hanc mulierem docere voluisse, se licet instar cuiusuis alterius hominis ipsi appareret, tamen alio quàm hortulani loco habendum, quòd Angelorum ipsorum Dominus esset agnoscendus: & hoc ab ipsa deinceps accuratè expensum fuisse non dubito.

Quî factũ sit vt Maria Magdalena Christum non agnouerit.

Quòd ad tertiam quæstionem attinet, quî factum sit vt Iesum Christum hæc mulier nec vultu, nec voce agnouerit, aio licet vt supra diximus, Iesus Christus à resurrectione idem

nec ex facie nec ex voce. quod antea corpus habuerit, essentiæ nimirum ipsius ac proprietatum essentialium respectu: iam tum tamen spirituale factum fuisse, putà qualitatibus iis exornatum quas hodie mente assequi non possumus, quod pluribus deinceps, dante Deo in historia apparitionis duobus discipulis factæ, sumus expositυri. Absit igitur cogitemus varias illũ induisse formas & in hanc se aut illam vertisse, quod de, Protheo suo Poëtæ fabulantur: sed quid mirum si dixerimus ipsum retenta forma sua, statura & voce consueta non tamen agnitum, cuius erat in potestate, vt qui sensus nostros creatit, eosdem extraordinariè retinere, vt oculi ad videndum, aures ad audiendum non aliam vim habeant quàm eam quam ipsi visum est? Nec verò nunc ita primùm Deus operatus est in quibus voluit, vel ipsis illis detestandis Sodomitis testibus, Genes. 19. 11. & Regis Syriæ militibus, 2. Reg. 6. 18. & 20. Sed ne procul abeamus, idem duobus illis discipulis, eodem die in vicum abeuntibus, contigisse videmus, sic Domino ipsorum aures & oculos retinente, vt ipsum non agnoscerent, Luc. 24. 16. & 31. vt nulla sit in Domini persona transformatio nobis imaginanda.

Vtinã verò Dominus, quẽ verè dicere possumus ratione cognitionis personę ac veritatis ipsius, nõ sesquidiei spatio fuisse veluti sepulchro conditum, sed tot seculis, quum nostro tempore pro illa sua verè immensa misericordia, veluti denuo resurgere voluerit, séque nobis

bis in sacrosancto verbo suo conspiciendum, longè adhuc excellentiore modis omnibus ac diuiniore ratione quàm illa præsentia sua corporea in hoc mũdo discipulis patefacere, mẽtis nostræ oculos illuminare dignetur, vt verè ipsum agnoscamus, vera & viua fide amplectamur, dum alterum eius aduentum exspectamus; quo verè ac perfectè tum corporibus tum animis facti participes virtutis ac gloriæ resurrectionis ipsius, præparatum ab ipso nobis ante iacta mundi fundamenta Regnum feliciter possideamus, Amen.



HOMILIA SEXTA.

Marc.16.

10. *Illa profecta annuntiauit iis qui cum ipso fuerant, lugentibus ac flentibus.*

11. *Illi verò quum audiuissent eum viuere, & conspectum fuisse ab ea, non crediderunt.*

Iohan.20.

15. *Dicit ei Iesus, Mulier, quid fles? quem quæris? Illa putans hortulanum esse, dicit ei, Domine, si tu ipsum asportasti, dicito mihi vbi posueris eum, & ego eum tollam.*

16. *Dicit ei Iesus, Maria, illa se conuertens dicit ei, Rabboni, quod dicitur, Præceptor.*

17. *Dicit ei Iesus, Ne me tangito: Nondum*

enim ascendi ad patrem meum: sed proficiscere ad fratres meos, & dic eis, Ascendo ad Patrem meum, & Patrem vestrum, & Deum meum, & Deum vestrum.

18. *Venit Maria Magdalene annuntians discipulis quod vidisset Dominum, & [quòd] ea sibi dixisset.*

Ineffabilis Dei bonitas in eo quòd Apostolorũ Apostolam facit eam quæ in credendo difficilior erat visa.



SVBSTITIMVS die proxima Dominica in sermonis initio quem Dominus habuit cum Maria Magdalena, magni sanè momenti, quod, dãte Deo, sumus ex eius expositione cogniturі: quandoquidem eius conclusio ac finis fuit, non tantùm simplex mandatum, quod aliæ mulieres acceperunt, Apostolos de sua resurrectione certiores faciendi: sed quòd longè vlterius eam progredi voluit, vt duplex hic beneficium quo affecta est sit nobis agnoscendum: primùm quòd illi omnium primæ corã in propria persona se conspiciendũ dedit, Marc. 16.9. alterum, quòd eã ipsorum Apostolorũ Apostolam, vt ita loquar, cõstituerit, ex qua tũ ipsi tum nos etiam deinceps huius Resurrectionis & Ascensionis Dominicæ finem ac scopum disceremus. Non igitur ideo mulierem illam interrogauit, vt ex ea disceret, quid ibi rerum ageret, aut quem quæreret. Nec enim qui omnium peritus est ab illa moneri opus habebat, Ioh. 2. 25. quibus etiam adde satis patere ex eius responso, Dominum superuenientem illi, cum Angelis loquen-

quenti, quid ipsis respondisset audiuisse. Mulierem igitur interrogat, vt verba eliciat, quò Domino ipsi patefacto, proprio nomine illam appellante, tantò meliùs errorem suum agnosceret, ac tam pertinacem opinionem suam adhuc inter mortuos ipsum iacere, aut furto sublatum & alio asportatum condemnaret. Perinde fuit igitur ac si sic eam compellasset: amorem equidem tuum illum, quo me hactenus præ reliquis omnibus prosequuta es, & adhuc prosequeris, laudo probóque: sed quandoquidem aliis meæ resurrectionis testimoniis fidem non adhibuisti, nunc saltem oculis tuis crede. En enim quem tam constanter quæsiuisti, quémque non reperisses, vbi & quomodo ipsum quęrebas, sponte tibi in propria persona occurrentem. Hic igitur habemus insigne testimonium accurata consideratione dignum tum in hac muliere, constantis amoris aliorum erga alios, tum in Domino bonitatis immensę, suorum infirmitates sic tolerante, vt etiam eos requirat & longè maiora ipsis quàm sperare ausint, concedat, tum etiam quum vt ita dicam, quid agant, nesciunt. Quid igitur facturum putamus, si corde nostro sic nos ipsius nomine interpellante, Quærite faciem meam, ipsi, Dauidis exemplo, Psal. 27. 8. pareamus, eúmque vbi, & quomodo vult, requiramus?

Cui verò se Dominus conspiciendum præbet? Flenti nimirum, non autem Hierosolymis lætantibus, ac quasi re bene gesta cachinnan- *Cur plerunque Deus velit suos lugere dum*

impij gaudio exultãt. tibus, quos sua longè fefellit opinio, non ita multò post implente Domino quod discipulis prædixerat, his apud Ioannem 16. 20. verbis, Amen, amen dico vobis, flebitis & lamentabimini, mundus autem gaudebit: vos verò tristes eritis: sed tristitia vestra euadet in gaudium. Etsi igitur veri gaudij occasio penes solos Dei filios sit, Rom.5. 3. ad quod eos ipse Dominus in maximis & asperrimis afflictionibus inuitat, Matth 5 12. tamé, ob multas rationes manifestissimas, fletus ac gemitus Dei filios in hoc mundo potiùs quàm gaudium & lætitia comitantur: primùm quòd hoc omnibus à natura insitum est, etiam sapientissimis viris, cuius rei fidem historiæ sacræ ac prophanæ faciunt, vt modum in prosperis seruare nequeant, & ideò necesse sit in summum nostrum commodum res prosperas aduersis temperari: adeò vt amarum dulci præponderet: vetere illo tritóque prouerbio locum hic habente, rebus prosperis, sopiri, aduersis homines excitari. Deinde, quæso, an illum qui hydropotæ potum ad satietatem præberet medici nomine dignum iudicaremus? Quînam verò sine castigationibus tandem saperemus? Tertiò: si secus accideret, quid filiorum Dei patientia fieret, hac ratione promissiones suas ratas facientis, Rom. 5 3. Iacob. 1. 3? vbinam illa esset membrorum cum suo capite conformitas? 1. Pet. 4. 13. 2. Timoth. 2. 11. quomodo interni hominis renouatio perficeretur, nisi corrupto externo homine? 2. Cor. 4. 16. Denique quomodo glorifica-

retur

retur Dominus in ſuorum infirmitate? 2. Cor. 12 9. Inſeparabili nexu igitur hæc duo inter ſe cohærent, amor Dei paternus, & caſtigatio, Heb. 12. 6. Apoc. 3. 19. Crux ac vera pietas, 2. Tim. 3. 12. Amicitia Dei & inimicitia mundi, Iacob. 4. 4. At quæ tandem noſtra ſpes ſi ſolæ nobis aduerſitates in partem cadunt? quid fiet nobis ſi virga ſemper in dorſum noſtrum incumbat. Itaque tribus modis Dominus prouidit. Primùm nunquam ſinens ſuos ſupra vires tentari, 1. Cor. 7. 13. Deinde omnibus aduerſis modum ponens vt expedit, Pſal. 25. 3, Tertiò ſupra cœlos omnes euehens, quos in inferorum barathrũ detruſiſſe videbatur. Nam, ait Paulus Apoſtolus, 2. Cor. 4. 8. In omnibus premimur, at non coarctamur, hæſitamus, at non prorſus hæremus: perſequutionem patimur, ſed in ea non deſerimur: deiicimur, at non perimus.

Et quidem huius rei in hac muliere ſpeciale nobis exemplum proponitur: cuius etſi triſtitia non ex ſatis puro fonte manabat, ſéque ipſam inopia fidei fatigabat, tamen Dominus eam non eſſe ex malitioſorum incredulorum numero cognoſcens, ſed contrà ſummo ipſius ardere amore, à quo tantum beneficium erat conſequuta, ſponte ipſam requiſiuit, ſéque conſpiciendum prębuit, quęſita triſtitię ipſius occaſione: remedium nimirum illi allaturus vera ſolidáque conſolatione, licet initio Maria conſpectum illum exceperit in infirmitate pergens: nondum quippe agnouerat ipſum ſe

Quomodo in aduerſis Domino ſit reſpondendum, quum à conſciẽtiis noſtris velut ore noſtro reſponſum poſtulat cur in tali ſtatu ſimus.

alloquentem. Quantò igitur alacriorem ac promptiorem fore Dominum in iis consolā-dis sperandum est,quibus hanc gratiam concedit,vt ipsos vltrò compellāti Domino, causámque à conscientiis ipsorum lachrymarum & fletuum sciscitanti meliùs respondeant? En quæ apud se quæcunque tandem ingruat afflictîo quilibet cogitare debet, quasi Dominum propris auribus ita se compellantem audiret.Vnde miser hoc in statu iaces? quî fit vt tantopere afflicteris?Cui sic ilico respondendum, Næ tua Domine hæc est voluntas, cui, ad Iobi exemplum,acquiesco, Iob. 29. 37. & quidem conscientia nostra nos in nulla re accusante aut condemnante. Quid si verò propter peccata nostra castigemur(quò sanè deueniendum est nobis si officium quod Deo debemus,ac sæpe nimis si quomodo nos erga proximos gesserimus expendamus)quid Domino conscientiam nostram interroganti, quî sic affligatur, melius responderimus quàm quod ipse nobis Dauid suppeditat, Quoniam peccaui, Domine,agnosco,fateor: at ne me Deus, alia quàm paterna virga castigato, ne intres in iudicium cum seruo tuo, licet officio suo tam malè defuncto.Mihi cor illud contritum & abiectum largire,vt tibi feram acceptum. Quid Dominus autē ad hæc responsurus est? Nēpe quod Dauidi per Nathanum, 2. Sam. 12. 13. & quod ipse Dauid agnouit, Ps.32.5.his verbis, Peccatū meum tibi notum feci, & iniquitatem meam non abscondi: dixi enim, confitebor aduersus me

me scelus meum Iehouæ:tu verò remisisti mihi noxam peccati mei. Si verò propter iustitiam affligimur,& propter sacrosanctum Dei nomen,tum si flemus,ex gaudio fleamus,& Apostolorum exemplo lætemur, Act.5.41.quum afflictiones, quibus capiti nostro simus conformes, totidem nobis futuræ nostræ cum capite glorificationis pignora exhibeant, Rom. 8.17. Habetis fratres,rationem qua tum in aduersis, tum in prosperis corda nostra consolemur,verbísque adeò gratias agamus Deo,siue castigemur,siue tentemur,aut exploremur,siue Deus corpora nostra & animas ad suam gloriam ad sacrificium obedientiæ deposcat.

Nihil videtur impossibile iis qui sincero affectu ducuntur.

Age verò quanto feruore animi mulier ista æstuarit ex verbis ipsius consideremus, sperat enim à se corpus Domini posse auferri si modò quo asportatum fuerit,resciuerit: quod ab illa fieri potuisse non est verisimile: nec etiam videtur per alios se id curaturam indicare voluisse: quod etsi perfecisset, vix tamen locum quo eum conderet esset repertura. En quanta vis non fictæ amicitiæ, vt nihil nimis arduum aut ἀδύνατον sibi persuadeant tam constanter ac vehementer amantes, aut saltem nihil tam difficile quod in amicorum gratiam non oporteat ipsos tentare. At quemadmodum sępe in amicitia nó est modus, & malo nititur plerumque fundamento, sic etiam contingit vt quæ temerè suscipiuntur, infelicem exitum sortiantur, quum præsertim eiusmodi causæ sunt, vt longè consultius sit amicos à multis

consiliis auocare, quàm mutuas operas conferre in multis rebus, de quibus pœnitentiam agendi vix tempus ac locus conceditur. Cuius rei nimium, eheu! nimium inquam multa quotidie conspicimus exempla, propter nimiam vindictę cupiditatem, tam disertè à Deo prohibitam, quam hodie tamē Caput præcipuum honoris vocant, splendidi nominis obtentu vitium tegēres execrandum. At Dei spiritus quę sint amanda, quousque, & cur amanda sint, docet: quod si erit obseruatum accuratè, nūquam aut in Excessu aut Defectu peccabitur, quibus duobus extremis omnis actio corrumpitur. Qua in re maximè illud deplorandum, vt quò magis homines pro rebus humanis quodlibet vitæ aut fortunarum periculum ardēt adire, hoc magis in Dei gloria promouenda, & charitatis officiis erga proximum obeundis torpescant.

Dominus non tantùm in genere oues suas alloquitur in Ecclesia, sed vnamquamque nominatim compellat.

Narrat deinceps historia Domino hoc accepto respōso Mariam proprio nomine compellatam: qua voce repentè sic eius mens & sensus excitati sunt, vt & voce & facto eum agnouerit, ad eúmque conuersa Rabboni eum vocauerit. Respondet autem Syriaca illa vox Rabboni, voci puræ linguę Hebraicæ, Rabbi, quæ Magistrum & Doctorem significat, quo tunc nomine Pharisæi & Scribæ in Synagogis docentes vocabantur, quod ex historia tota Euangelica cuiuis satis conspicuū est. Hic verò primùm subit illud obseruādum, Dominū longè dissimilē fuisse sui temporis Pharisæis,

Matth.

Matth. 23. 4. & nostri seculi pseudepiscopis, Curatis & aliis istiusmodi lupis voracibus, à quibus iampridem nobis esse cauendum, tum ipse Dominus, tum eius Apostoli sedulò præmonuerunt: præstitit enim ipse quod à fidelibus omnibus pastoribus postulat, vt singulas oues suas ex nomine agnoscant & designent, in bona pascua ducendas, Ioh.10.3. Act. 20.20. Et hoc ipsum adhuc quotidie per fideles suos seruos exequitur, addita ad verbi sui prædicationem, quæ fit toti gregi in genere, Sacramẽtorum administratione, quibus singuli fideles nominatim compellantur: vt singulis nominatim ouibus sua nomina, vbi primùm in hũc gregem cooptantur, per Baptismum imponantur, deinceps sigillatim fouendis & educandis verè vitali cibo, sacrosancto Dei verbo, in ipsius domo, & sacrosanctæ cœnæ administratione. Habemus igitur in hoc Iesu Christi erga hanc mulierem facto, pulcherrimum exemplar vocationis ouium Domini, quas cognoscit ipse & prior requirit, vt loquitur Apostolus, Gal.4. 9. addita ad verbum externum Sancti sui Spiritus, veritatis omnis doctoris, Ioh.16.13. virtute intrinseca, vt ex tenebris eruti ad lucem admirandam, & ex potestate Satanæ ad Deum adducantur, 1. Pet.2.9. & Act.26.18.

Quale singularum ouium sic nominatim compellatarum esse responsum oporteat.

At verò, quò hæc in nobis efficiãtur, quemadmodum intrinseca virtute sua cor nostrum aperit, vt vocẽ eius audiamus, sic nos ipsi respondere decet, exemplum Apostoli sequu-

tos, ita respondentis, Domine, quid me vis facere? & Lydiam imitatos, non tantùm verbo quod audiuerat, sed eius etiam verbi præconibus apud se receptis, Act.16.15. Nominatim verò hanc mulierem sequi nos oportet, docentem quibus conditionibus vox hæc audienda sit, nimirum vt reiectis repudiatísque omnibus aliis doctrinis, vni illi adhæreamus quam docet vnicus ille verus doctor scientiæ, quam verè ac meritò pater Iohannis Baptistæ Zacharias salutis scientiam dicit, Luc.1.77. & Apostolus, potentiam Dei ad salutem, Rom. 1. 16. quandoquidem hac cognitione vita æterna continetur, Ioh.17.3.

Quomodo veri pastores, quos oportet audiri: à falsis quos vitari discernendi sint, & eorundem doctrina falsa de fide quã vocant implicita iudicanda.

Quibus probè cognitis facilis erit distinctio verorum pastorum, quos audire, Luc. 10. 16. à falsis, quos etiam execrari, iubemur, etiam si Angeli è cœlo essent, Gal.1.8. Facillimum etiam fuerit falsissimam doctrinam eorum cognoscere ac fugere, qui à Sacrarum Scripturarum lectione miseras ouiculas arcent, fidem nescio quam implicitam docentes, quasi ad salutem ouiculis sufficiat à Doctorum suorum conscientia, & Ecclesię quam voçant, fide, quę tamen illa sit Ecclesię fides ignorantibus, pendêre. Non minus sanè absurdo & noxio ad vitam spiritualem & æternam consequendam errore, quàm si quis corporeo & mortali morbo laborantem iubeat à sola medici scientia & pharmacopæi thecis ac pixidibus, quarum tamen nihil percipiat, pendêre. Aut siquis fame laborantem, iubeat optimo esse animo, & sa-

ſatietatem ab iis exſpectare qui lautè epulentur, ſic tamen vt ipſe cibũ ne attingat quidem aut delibet. Nam vt concedã illis Miſſam (quã boni iſti paſtores miſeris ouibus perſuadere nituntur opus eſſe ſalutem viuis ac mortuis conferens) id eſſe quod volunt, age quînam ad ſolos ſpectatores fructus aliquis ex illa redierit? Contrà igitur diſcamus, veram Chriſtianorum fidem non eſſe in indefinita & confuſa imaginatione poſitam: nec fide vicaria niti: ſed ſingulos Religionis Chriſtianę articulos fundamentales percipere, quos ſibi applicet & obſignet, vera firmáque fiducia veritatis diuinæ promiſſionibus eius comprehenſæ ac probè cognitæ, Ioh. 3. 33, quæ deinde omnibus bonis effectis ex abundantia cordis manifeſta fiat, Rom. 10. 10. cuius ſcientiæ ſuæ rationem etiam cuicunque petenti reddere parati ſint, 1. Pet. 3. v. 15. Et hoc niſi adſit, ſciant quicunque Chriſtianorum nomine gloriantur, ſe titulo tenus Chriſtianos eſſe, peſſimóque niti fundamento nixos pſeudopaſtoribus illis & animarum mangonibus, quos tandem iudicio cadere neceſſe ſit cum omnibus qui cum Propheta dicere nequeant, Credidi, ideo etiam loquutus ſum, 116. 10.

Tranſeamus ad illa Ieſu Chriſti verba, *Ne me tangito, Nondum enim ad patrem meum aſcendi.* Admiranda ſanè prima fronte vox: primùm quòd paulò poſt aliis mulieribus in vrbem redeuntibus factus obuiã, Matth. 28. 9. paſſus ſit eas pedes ſuos amplexari: &, quod lõgè maius

Peculiaris ratio cur nõ paſſus ſit Ieſus Chriſtus Dominus noſter ſe à Maria Magdalena tãgi.

est, à discipulis suis deinceps tangi palparique voluerit, Luc. 24. 39. Deinde, hæc videtur eius esse ratiocinatio, se ab hac muliere aut aliis tangendum non esse, nisi priùs in altū ascendisset, tanto à nobis interuallo dissitum, quanto à terris distant cœli, supra quos omnes euectus est: quum tamen contactui illi nimirum corporeo locus esse non possit in tanta locorum distantia: ac proinde necessariò videatur intelligendus, de spirituali manu fidei facta apprehensione. Ac reuera Dominum oportuit, prout antea discipulis dixerat, his terris corpore suo excedere, ne ampliùs corporeæ præsentiæ adhærerent, quod nimiùm pendentes ab iis quæ oculis intuebantur, nonnisi terrena cogitarent, Ioh. 16. 7. Fœminam igitur hanc admonere quidem voluit se non resurrexisse in eodem quo priùs erat, infirmitatis statu, nec eadem qua antea ratione cum ipsis conuicturum: verùm tamen, quum, meo quidem iudicio, de corporeo contactu hic loquatur, & non dicatur Maria nimiùm ardenti affectu ad pedes eius prosiliisse, sermonem hunc reor habitum à Christo eodem omnino momento quo agnitum eum Maria vt Magistrum salutauit. Pulchrè igitur omnia inter se conuenient, longéque simplicior erit huius loci expositio, si dixerimus Dominum quum videret Mariam ad se accedere, & præuideret fore vt vi amoris quo ipsum persequebatur non tantùm in pedum suorum deosculatione, sed etiam in diuturniore mora, & longioribus ser-

ſermonibus inhæreret, ac proinde huius apparitionis nũtius, quo miſeros diſcipulos, luctu & mœrore confectos, protinus recreari volebat, tandiu differretur, noluiſſe ipſam in his moras tum nectere: quaſi ſic eam compellaret, Nondum ad Patrem meum abeo: quare tibi licebit me deinceps per otium contemplari, mecúmque pluribus loqui: quare ne longiores hic moras necte, ſed confeſtim ad diſcipulos meos abi, nuntiatura ipſis quæ à me es ad eos conſolandos & docendos, auditura. Non ſimpliciter igitur Dominus contactum hunc reprehendit: ſed eo in aliud tempus Mariam voluit abſtinere. Sic Propheta quondam famulum ſuum ad Sunamitidem miſſum prohibuit quenquam in via ſalutare, aut quenquam à quo ſalutem accepiſſet alloqui, 2. Reg. 4. 29. & Dominus ipſe miſſis illis ſeptuaginta diſcipulis præconum officio functuris, idem prohibuit, minimè quidem vt vetarent ne ſalutantes obuiam factos reſalutarent, ſed ſimpliciter vt maturandum ipſis eſſe ſublatis omnibus vel leuiſſimis impedimentis docerent.

Et hæc quidem ſimpliciſſima maximéque genuina huius loci eſſe ſententia mihi videtur, ex qua neceſſariam omnino, ſed malè inter nos obſeruatam doctrinam diſcimus. Ecquis enim, obſecro, eorum omnium qui Deo in ſua vocatione ſua ſeruire cupiunt, hanc rationem ſecum ineunt, vt ad ea quæ retro ſunt oculos non conuertant? Immo quàm multi ſæpe rebus terrenis & priuatis ſic occupantur, vt ne- *Dominus vult coli ſine procraſtinatione vlla, qua in re grauiſſimè peccatur.*

que vnde digressi sint, neque quò tendant meminerint? Atque vtinam istorum hominum non essent inter nos tam frequentia exempla. Vos templi huius columnas testor, vos parietes, vos sedes istas ac vacuas cathedras, vos appello contrà statorum diérum auditores, Dominicorum, Iouis, septimanarum, mensium denique tantùm, vt ingentem numerum eorum omittam qui corda & aures non ad audiendum & percipiendum præparata adferunt, sed quæ habent in patinis, officinis, vsuris, monopoliis, & rebus aliis longè etiam deterioribus: quos ad D. Petri locum, 2. Pet. 2.14. ablego. Denique, quod nimium multorum mores testantur, etiam hac nostra tempestate sunt quorum alij ad conuiuium vocati, causētur se prædia & villas emisse, & quibus artibus plerumque Deus nouit, alij boum aliquot iuga, & illa forsitan ex rapto: alij se vxores duxisse, quod diebus Noë contigit, Luc. 14. 18. Quod verò præmium harum excusationum referent? Nempe nullum fore ipsis tandem in conuiuio locum, quòd serò nimis lugebunt. Alij speciosiorem scilicet excusationem adferunt, sepeliendum sibi Patrem, aut domesticis valedicendum. Quid verò se istis responsurum Dominus minatur? Nemo qui manu sua admota aratro respexerit ad ea quę retro sunt, appositus est ad regnum Dei, Luc. 9. 62. &, Qui patrem aut matrem plus quam me dilexerit, non est me dignus, Matth. 10. 37. Ecquis etiam non nouit ab Aggæo factam olim reprehensio-

ſionem, Domus mea deſoluta iacet, inquit Iehoua, & excurritis quiſque pro domo ſua, idcirco contra vos cohibetur cœli à rore, & terra cohibetur frumento ſuo. Quid igitur dicturus ſum de iis qui Dei cultum inambulationibus, aut ſphæriſteriis poſtponunt? Tu verò Deus, Optime, Maxime, qui tantâ patientiâ nos ad pœnitentiam vocas, miſerere noſtri, priorúmque peccatorum oblitus, meliorem da nobis mentem in poſterum, vt melius quàm hactenus cogitemus ac faciamus, quandiu vox illa adhuc in auribus noſtris perſonat, nec adhuc occluſæ ſunt, vt in aliis pleriſque locis, fores: & in mentibus noſtris inſculpe, ſi non comminationum tuarum metum, Matth.7.23. ſaltem pretioſiſſimam illam promiſſionem, Quærite primùm regnum cœlorum, & iſta omnia adiicientur vobis, Matth.6.33.

Sequuntur in hac hiſtoria verba legationis ad Apoſtolos huic mulieri commiſſæ conſideranda: qua legatione nulla fuit Prophetarum nec Apoſtolorum maior nec honoratior, & quæ doctrinam continet quæ Angelorum ipſorum captum longè ſuperet. At tamen factum hoc non vlterius eſt protrahendum, eius perſonæ reſpectu cui id temporis munus iſtud commiſſum eſt: neque enim ordinaria domus Dei adminiſtratio, mulieres in cœtu docere permittit, quæ contrà iubentur in ſilentio diſcere, 1.Cor.14.34. Verumtamen Dominus oſtendere voluit, ſe, quum poſſit etiam lapides, ceſſantibus hominibus, excitare, Luc.19.40.

Impoſitum munus huic mulieri fuit extraordinariũ personæ reſpectu: nec trahi in exemplũ poteſt.

posse etiam quotiescunque visum ipsi fuerit, nulla vel ætatis vel sexus habita ratione, minimis os aperire: quemadmodum olim Bileamum Prophetam ab asina voluit coargui, 2. Pet. 2.16. Age igitur huius legationis expendamus verba singula, Deúmque precemur vt quę in illis arcana continentur benè percipiamus ac meditemur.

Quomodo voces illæ Ascendendi & Descendendi tribuantur vtrique Christi naturæ, Diuinæ & humanæ, sine vlla naturarum confusione, nec proprietatũ earundẽ essentialium.

Primùm igitur occurrit illa vox *Ascendendi*, quæ facilè de Domino dici potest, humanitatis eius nimirum respectu, quam tunc scire suos discipulos voluit verè esse suscitatam, minimè sanè vt antea in his terris victuram, sed in gloriam cœlestem euehendam, sicuti tam claré ipsis exposuerat in excellentissimis illis sermonibus quos apud eos in vltima illa sua cœna habuerat. At quînam Deitati vox illa tribuetur, quæ vt infinita est, nec loco mouetur, ita nec ascendit, nec descendit? Et tamen hæc intelligenda sunt de eodem qui è cœlo in infimas terræ partes descendit, vt loquitur Apostolus, Ephes. 49. & 10.

At non descendit è cœlo secundum suam humanitatem. Nec enim illic erat, sed in terris formata est in vtero beatæ Mariæ Virginis. Itaque dicemus illud *Ascẽdere*, si Descẽsui opponatur, de Deitate quidem Filij Dei dici, sed non absolutè, nec in propria significatione, quæ mutationem inferioris loci in altiorem significet: sed quatenus hæc Deitas eousque sese demisit, vt naturã nostram in vnitaté personæ assumeret, vt esset θεάνθρωπος, catenus, in-

inquam, videtur, vt ita loquar, ex maiestatis suæ solio in has terras descendisse. Vice versa quum naturam nostram supra cœlos omnes extulit, videtur in solium iterum ascendisse, vt se patefaceret, ἀνθρωπόθεον, sine confusione tamen vlla, nec mixtione, nec duarum eius naturarum, nec proprietatũ ipsarum essentialium. Et hoc ipsum Apostolus indicat, Philipp. 2. 7. quum ait, hunc Dei filium sese exinaniuisse & summisisse factumque obedientem vsque ad mortem, mortem, inquam, Crucis, vt in summam sublimitatem efferretur. Quòd ad ipsius autem humanitatem, etsi ex quo Filij Dei persona sibi eam vniuit, inde à momento conceptionis eius in vtero beatissimæ Mariæ Virginis, vox illa *Descendendi* non illi conueniat, quum per hanc vnionem euecta sit in gradum omnibus Angelis longè sublimiorem, nedum vt exinanita sit: tamẽ si ea infirmitas cui se ad tempus pro nobis obnoxiam reddidit, vt pro nostris peccatis maledictio facta sit, Gal. 3. 13. cõparetur cum ea gloria per quam nunc realiter euecta est ad dextram Dei Patris, illud etiam *Ascendere* & *Descendere* de quo hic agitur, dici de ea possunt, ac proinde Iesus Christus *Totus* personæ suæ respectu, seruata tamen superiùs allata distinctione, Descendit & Ascendit.

Sed quidam etiamnum superest scrupulus ex hac loquendi phrasi, Patris ac Dei, quæ voces diuersè tribuuntur naturis distinctè consideratis. Iesus Christus igitur quatenus ab *Prima persona Deitatis Pater Iesu Christi secundũ Deitatem*

propriè dicitur: secundum humanitatem verò respectu vnionis duarum naturarum in vnitatem personæ.

æterno filius Dei coëssentialis est Patrem vocat primam ordine personam Trinitatis, tanquam Dei filius naturalis & vnicus. Humanitatis autem respectu Patrem etiam vocat, non quòd secundùm ipsam genitus sit ab essentia Patris, sed quòd hic homo personæ Filij sic vnitus est, vt in hac persona non sint duo filij, sed solus Dei Filius, θεάνθρωπος & ἀνθρωπόθεος. Quocirca non ideò toties in sacra Euangelij historia, Filius hominis dicitur, quasi duæ sint Filiationes, aut duo Filij, sed quòd vnicus hic Dei Filius verè assumpsit personaliter hãc veram naturam humanam, creatam & formatam ex substantia virginis, ex Adamo oriundę, ad quem etiam vsque propterea D. Lucas Domini genealogiam deduxit, Luc. 3.24. & 38.

Error eorũ qui Iesum Christum dixerunt vocantes eũ filium Dei adoptiuum secundum humanitatem.

Meritò igitur damnata & explosa est eorum hæresis, qui ex Nestorianismo dicebant Iesum Christum esse filium Dei adoptiuum secundùm carnem. Longè enim inter se distant adoptio, quę vocatur, & hæc vnio personalis: tametsi illud verissimum est, quòd Iesu Christo Dei filio visum est suę Deitati, sic nostram naturam vnire, fundamentalem esse rationem propter quam qui spiritualiter & per veram fidem Iesu Christo coniunguntur, Dei filij adoptiui fiunt & dicuntur, Iohann. 1.12. Rom. 8. 15. Et hæc quidem hactenus de voce Patris.

Quo sensu Pater dicatur Deus & caput Iesu Christi.

Quòd verò idem Pater, non hoc tantùm sed pluribus alijs locis, dicitur Deus Iesu Christi, summopere cauenda nobis Arrianorum blasphemia, aut aliorum similium detestandorum

hæ-

hereticorum, quorum alij Dominum ſua Deitate ſpoliant, alij creatam ipſi Diuinitatem attribuunt: quod ſi vt verum ipſis concederetur (quod abſit) Chriſtiani vtique omnes eſſent idololatræ, meram tantùm creaturam adorantes, & in eum etiam inuocatum ſpem ac fiduciam omnem collocantes. Sciendum igitur quòd Patris perſona hic & alibi nominatur Deus Ieſu Chriſti, & quidem caput Chriſti, 1. Cor. 11.3. minimè dici reſpectu eſſentiæ vnicæ illius & integræ, in vnaquaque trium perſonarum, nec etiam reſpectu perſonæ Filij in ſe, quum in perſonis quidem ordo ſit, non autem vllus gradus inæqualitatis inter illas tres perſonas, ſine vlla rapina, Philip. 2.6. ſed primùm humanitatis Ieſu Chriſti reſpectu, ſecundùm quam, ſine perſonæ tamen ſeparatione: ſed tãtùm ex naturarum diſtinctione, ſe ipſo minor eſt: quatenus nimirum hæc humanitas Deitati ſemper ſubiacet: quemadmodum è contrario, quatenus Deus eſt, ſe ipſo maior eſt, quatenus nimirum ipſius Deitatis ratione, ſua humanitate ſuperior eſt. Deinde reſpectu officij dictum illud eſt, Mediatoris inquam & Reconciliatoris apud Deum Patrẽ, vt qui ſe inter Patrem & nos, quorum ipſe caput eſt, medium conſtituerit.

Quis verò hîc non adoret immenſam ſapientiam, bonitatem ac miſericordiam Dei noſtri, Patris, Filij & Spiritus Sancti in huius arcani immenſa abyſſo, quod reuera magnum arcanum eſt, Epheſ. 6.32. 1. Tim. 3.16. in quod

ipsi Angeli cupiunt introspicere? 1. Pet. 1. 12. Et hoc Cherubim illi sub lege adumbrabant, sic operculo arcæ (quę Domini figura erat, in quo inhabitat omnis Deitatis plenitudo corporaliter, Col. 2. 9. & in quo sunt omnes thesauri sapiẽtiæ & intelligentiæ, Col. 2. 3.) incumbentes, vt eorum facies deorsum versus operculum ferrentur, quasi nosse cuperent quæ intus continebantur, Exod. 37. 9.

Quomodo Deus & Pater Iesu Christi, ipse Christus sit noster Pater nosterque Deus.

At quemadmodum exposuimus, quo sensu Iesus Christus Patris personam vocet Patrem suum ac Deum suum, sic inquirendum quo modo suum Patrem, nostrum patrem, suúmque Deum, nostrum Deum dicat: qua in re magna differẽtia est. Nam ipse naturâ verus Deus Patris personam verè & naturaliter Patrem habet, nimirum à Patre genitus ab æterno cõmunicata ipsi à Patre tota sua paterna essentia, diuina prorsus & ineffabili generatione. Nobis verò Pater est, quatenus in hoc Filio nos ad salutem prædestinauit, spiritualiter illi coniunctos per sui Sancti Spiritus virtutem & energiam, & instrumentum fidei, vt fiamus eius filij adoptiui, Ioh. 1. 12. nobis eadem communicata dilectione qua Filium hunc diligit, vt tandem in ipso & per ipsum glorificemur, Ioh. 17. 24. Non aliter, Iesu Christi Pater & Deus vti diximus, noster etiam est, quatenus gratum illum & acceptum habens tanquam mediatorem nostrum, in eo etiam & per ipsum sibi reconciliatos gratos & acceptos habet.

Quomodo,

Vocem autem *Ascendendi*, ex qua fortassis

malè

malè intellecta, videretur Iesus Christus suos deseruisse (quod obsecro, quàm alienum foret ab immensa dilectione quæ in his vocibus cōtinetur) sciamus propriè dici, situs nimirum respectu ipsius humanitatis (cui nec ascensio nec Sessio ad Patris dextram supra cœlos omnes quicquam ademit, nec essentiam aboleuit aut mutauit, nec proprietates essentiales) quæ hodie tanto interuallo distat, & ad secundum ipsius vsque reditum distabit à nobis, & ab hoc vniuerso terrarum orbe, quanto summum cœlum à terris. Verùm enim uerò tātum abest vt ipse nos deserat, vt contrà sursum ascenderit realem huius regni cœlestis possessionem accepturus, Ioh. 14. 21. tanquam inter omnes fratres primogenitus, Rom. 8. 28. vt ad se nos attrahat, sese nobis cum omnibus bonis suis communicans, per sancti sui Spiritus virtutem, & vltimo tandem die nos partæ illius gloriæ secum participes faciat, Matth. 25. 34. nostræ interim fidei oculis præsentissimus, cum omni efficacia & virtute, secundum mensuram sui Spiritus, Ephes. 1. 23. & 4. 16. vsque ad seculorum omnium consummationem, Matth. 28. 20.

quóue respectu Iesus Christus Ecclesiæ suæ præsens aut absens dicatur.

Minimè verò præter superiora omnia leuiter prætereūdum tam eximiū, tamque pretiosum illud fratrum nomen, quo nos in Apostolorum suorum persona dignatur, idipsum reipsa implés quod sub Dauidis persona promiserat, Psal. 22. 23. etsi, quales in nobis ipsis & à nobis nascimur indigni simus qui in rerum

Quàm pretiosam oporteat esse fraternitatem qua nos Iesus Christus dignatur.

creatarum numero censeamur. Ecquid autem amplius expetere possumus? Nam si fratres ipsius sumus, næ ipsius pater etiam noster est: quis verò tali patre non sit beatissimus? contrà verò quis infelicior eo qui hoc patre careat, quandoquidem in hoc ipso, & ab ipso patre sunt omnia bona? Nam quum hic Pater Deus sit, Deus quoque noster est. Porro qui pro se Deum habet, à quo tandem sibi metuet? Quid verò contrà non metuat qui Deum hunc pro se non habet? Annon ipsos pædones & muscas, restibus Ægypti plagis formidabit? Age igitur, quid toto vitæ nostræ curriculo diligentiùs & attentius nobis meditandum, ac nocte dieque versandum animo, quàm huius sapientiæ longitudo, latitudo, & profunditas, ad exemplum Apostoli? Ephes. 3. 18. vt ipsas Dei per Sanctum Spiritum qui nobis datur profunditates scrutemur? 1. Cor. 2. 10. nequaquam imitati fanaticos in ea sese ingerentes quæ non viderunt, sed quæ sibi finxerunt, & commenti sunt? Col. 2. 18. aut quæ nobis etiam occultata sunt, donec sursum recepti perfectè cognoscamus, quæ hic tãtùm ex parte cognoscimus, 1. Corinth. 13. 9. quum nempe Deum nostrum qualis est visuri sumus, 1. Ioh. 3. 2. Interim omnem nauemus operam & animum applicemus ad ea percipienda, credenda & ad vsum reuocanda quæ nobis in Ecclesia reuelantur, & tam exiguis in hac historia verbis comprehenduntur.

Stupendæ Quis non igitur meritò dicat eos infelicissimos,

ſimos, & ſibiipſis hoſtes capitaliſſimos, qui terrena hæc & caduca,& vanitate ipſa vaniora pro Deo colunt, pro Patre obſeruant, pro hæreditate amplectuntur? Ecquis verò dubitet ſit-ne Lux tenebris præferenda? Mors vitæ, & quidē ſempiternæ? Totum denique,nihilo, & plus quàm nihilo? Sic tamen homines hodie viuunt quotquot carni auſcultāt & inſeruiūt, quæ ad omnem incredulitatem, ac proinde maledictionem abducit, niſi Deus ex ea ſingulari gratia nos eripiat. Cuius rei triſte oculis noſtris exemplum huius hiſtoriæ finis ſuppeditat.

incredulitatis exemplum etiam in ipſis Apoſtolis.

Narrat enim Marcus 16. 10. hanc mulierem officio ſuo pulchrè ac fideliter defunctam in ferendo nuntio Apoſtolis, quos valde mœſtos ac lugentes inuenerat, nullam in dictis fidem conſequutam, licet oculatam & auritam teſtem eorum quæ nuntiaret. Quod ſanè in ipſorum laudem dici non poteſt ſed potiùs in vituperium, vt inexcuſabiles reddantur, ſicuti nec aliarum mulierum verbis credidiſſe dicuntur, quarum nuntius cum huius Mariæ nuntio coniungitur, Luc. 24. 10. & 11. Sic igitur in hiſtoriarum ſacrarum lectione verſandum nobis ſciamus, in quibus præſtantiſſimorum quorumcumque Dei ſeruorum tam vitia quàm virtutes notantur, vt quę ad imitandum nobis proponuntur, ab iis diſcernamus quæ ante oculos nobis ponuntur, vt in nobis agnoſcere & condemnare diſcamus quę in aliis reprehendere condemnaréque debemus. Prę-

Quale iudicium adhibendum in legendis & ad vſum reuocādis hiſtoriis ſanctiſſimorū quorumuis quorum ſacra Scriptura meminit.

terea Spiritus sanctus rationem in iis edocet qua lapsi priùs resipuerint: vt eorum exemplo discamus, non modò quanta sit vel fortissimorum quorumcunque infirmitas, sed etiam qua ratione à recta via sint abducti, ne illos in deuia illa sequamur: & contrà qua ratione in viam redierint, vt vestigia ipsorum hac in parte, Deo nobis hanc gratiam largiente, sequamur.

Quibus viis in deuia illa homines incidāt & longius in iis procedant, & quod aduersus istiusmodi mala remedium.

Et quidem istiusmodi exemplis Sacræ scripturæ plenæ sunt: sed vt in eo quod hic nobis offertur, hæreamus, quînam, age in tãtam incredulitatem Apostoli lapsi sunt? Nempe Dei potentiam causis secundis, naturalibus & ordinariis alligarunt. At quînam in eâdem pertinacius perstiterunt? Obliti nimirum, Domini ac Magistri sui verborum tam luculentorum tamen, & toties inculcatorum, vt vel infestissimi & infensissimi eius hostes ea non ignorarent, Matth.27.63. Hoc igitur esto aduersus incredulitatem vnicum remedium, quò nostræ salutis arcana, & verum Christianorum alphabetum credamus, quamlibet renitente sensu nostro corruptissimo, cui tamen nisi renuntiemus non est nobis vlla pars in regno Dei, Matt.16.19. Luc.9.23. Dei nimirum verbo scripto penitus hæreamus, & quicquid illi reluctatur insanissimæ stultitiæ loco habeamus, quamcunque sapientiæ & rationis vim iactet. Etsi verò Satan in Angelum lucis se transformet, siue sua somnia & inuentiones pro Dei verbo obtrudat (quod iampridem factum

&

& etiamnum hodie factitari videmus in tam variis superstitionibus) siue Dei verbum adulteret, aut verborum, aut sententiæ ratione, quod facere illum coram Christo ipso non puduit, Matt.4. 6.in promptu remedium est,vt de verbi huius quod adfertur veritate certis testimoniis constet: deinde attentè consideretur, ac tandem memoriæ fixum inhæreat. In quibus omnibus quum Apostoli turpiter errarint, & quidem se hac ratione in tantum periculum coniecerint, vt in eo perituri fuerint, nisi Deus pro sua immensa bonitate misertus eorum fuisset, age Deum Opt. Max.precemur, vt tam longæ suæ patientiæ minimè pertæsus,qua nos ex tam horrendis tenebris erutos huc vsque tolerauit,tam potenter in posterum in nobis operetur, ne vnquam deflectamus ab iis quæ ab ipso audiuimus ac didicimus:quod si fieret denuò miserandę nostri ingenij seruituti manciparemur, longéque in deteriori conditione positi,in plurimarum personarum,familiarum, vrbium ac totarum prouinciarum tum præteritæ ætatis tum præsentis etiam exemplum essemus: quod vtinam atque vtinam,pro sua immensa misericordia,Deus malum à nobis auertat. Amen.



HOMILIA SEPTIMA.

Matth.28.

11. *Proficiscentibus autem ipsis, ecce, quidam ex custodia venerunt in vrbem, & nuntiauerunt primariis Sacerdotibus omnia quæ facta fuerant.*

12. *Ipsi autem coacti cum Senioribus, consilióque capto, nummos multos dederunt militibus.*

13. *Dicentes, dicite, discipuli eius nocte venerunt, & eum furati sunt nobis dormientibus.*

14. *Quòd si hoc auditum fuerit apud præsidem, nos persuadebimus ei, & securos vos præstabimus.*

15. *Ipsi verò accepta pecunia fecerunt sicut erãt edocti: & diuulgatus est ille sermo apud Iudæos vsque ad hodiernum diem.*

Marc.16.

12. *Postea autem duobus ex ipsis ambulantibus apparuit alia forma, quum rus proficiscerentur.*


13. *Et illi abierunt, & annuntiauerunt reliquis: qui ne illis quidem crediderunt.*

Luc.24.

13. *Et ecce, duo ex iis ibant eo ipso die in vicum distantem stadiis sexaginta ab Hierusalem, cui [vico] nomen est Emmaus.*

14. *Et colloquebantur inter se de istis omnibus quæ euenerant.*

Ante-



NTEQVAM ad nostri contextus expositionem accedamus, iterum hic totius huius historię series nobis consideranda, quæ alioquin esset inuolutior, quòd non potuerint quæ variis in locis eodem tempore gesta sunt, simul recitari: quæ in historiarum tum sacrarum tum prophanarum lectione nō diligenter animaduersa, nil mirū si tantū obscuritatis & erroris adferant, quod ex historia præcedenti vel satis liquet. Nā quod de Maria Magdalena dictū est in secundo ipsius ab vrbe ad sepulchrum aduentu cum Petro & Iohanne, contigit dum aliæ mulieres, quæ postremæ ad monumentum venerant, reuerterentur in vrbem. Hic igitur etiam notandum ea quæ de custodibus narrantur, & apud Matth. 28. 11. recitantur, summo mane contigisse, iam tum quum primum illæ mulieres ad vngendum Dominum ad iter se accingerent: ita vt nec Maria Magdalena, quæ prior aduenerat, & in vrbem confestim reuersa fuerat, nec item aliæ mulieres, quæ Sole iam exorto aduenerant, hos custodes ad sepulchrum offenderint. Nam si offendissent, cui fit verisimile, fuisse ausuras ipsas ad monumentum propius accedere, aut eos vltrò compellare? Quid si verò dum terræ motus factus est, aduenissent, ac semimortuos illos humi prostratos conspexissent, quanto maiore metu perculsæ fuissent? His etiam quiddam maioris momenti accedit, nam si resciuissent aut intellexissent,

Huius historiæ series.

ſub veſperam diei illius quo ſepultus eſt, aut etiam poſtridie eius diei à Iudæis ſigillo ſaxum illud ingens obſignatum, militéſque ad monumenti cuſtodiam collocatos, non tantùm anxias ac ſolicitas futuras fuiſſe de ſaxo à ſepulchro prouoluendo vt in illud intrarent, vt Marc.16. 3. dicitur, ſed longè magis de horum militum occurſu fuiſſe laboraturas, ac de ſigilli ad ſaxum appoſiti fractione, ſi poſthabitis omnibus iſtiuſmodi impedimentis quod animo ſuſceperant perficere conſtituiſſent: Quid igitur aut ſigillo aut cuſtodibus factum eſſet ignorabant, quòd à Iudæis ſub veſperam diei Veneris admodum ſerò hæc geſta eſſent, &, vt eſt veriſimile, magno ſilentio, poſtquam à Ioſepho Domini corpus ſepulchro conditum, & ſaxum ad illius oſtium aduolutū fuiſſet, ſtatim etiam reuerſis in vrbem mulieribus, vbi diligenter quid à Ioſepho geſtum eſſet animaduertiſſent, ſicut expreſsè dicitur, Matth. 27.61. & Marc.15.47. & Luc.23.55. His poſitis ad contextum accedamus.

Quò magis Satan cum ſuis ſatellitibus veritati tenebras offundere ſatagit, eò magis veritas elucet, & quales ipſi ſint magis ac magis ſe patefaciunt.

Hactenus igitur intelleximus, vt Dominus aduerſus hominum & quidem ſuorum indignitatem luctans, pro immenſa ſua miſericordia & bonitate cœperit incredulitati ac diffidentiæ ipſorum mederi, reſurrectione ſua tum per Angelos patefacta, tum apparitione ſua in propria perſona, tam Mariæ Magdalenæ omnium primæ ad ſepulchrum, quàm aliis deinde mulieribus. Præſens autem hiſtoria narrat nobis, qua ratione Satan & Ieſu Chriſti

inimici ab ipſo Satana excæcati, veritati huic ſuis dolis & molitionibus tenebras offundere conati ſint: quibus tamen ſuorum hoſtium conſiliis ita Deus occurrit, vt contrà magis magíſque ſeſe detexerint, & victoria penes veritatem remanſerit: vt non magis improbi illi homines reſurrectionem eius potuerint occultare, & ne in omnium notitiam veniret impedire, quàm clauſum ſepulchro detinere potuerant.

Quas verò Satan alias ab omni ſeculo artes verſauit, & ne procul abeamus quod ab hinc annis octuaginta contigit, & quod oculis noſtris quotidie conſpicimus, quid aliud eſt quàm huius hiſtoriæ expreſſum quoddam ſimulachrum? Nam humanæ omnes illæ traditiones, & tota illa Theologia Scholaſtica, quid aliud fuerunt quàm ſigilla, quibus hæc Dei veritas in ſpelunca ignorantiæ & tot ſeculorum barbariei veluti conſepulta iaceret? Saxi autem illius ingentis à Ioſepho ad ſepulchrum, minimè tamen mala mente appoſiti, nonne imago nobis proponitur in falſo illo Primatu quem ſibi Romanus Epiſcopus falsò vindicat, tanquam præcipuus Sacerdos inter eos quos non pudet reale & eſſentiale Ieſu Christi ſacrificium, & eius ſe ſacrificos iactitare? Et quod longè maius eſt, nonne admiranda Dei prouidentia factum eſt (quò ſit manifeſta relatio inter hoc ſaxum à Ioſepho appoſitum, & ea quæ ab illis impedimenta obiiciuntur) vt hæc omnia, & quicquid ab iis pendet

Collatio cõſiliorum veterum ſacerdotum Leuiticorum cum Papiſticorũ conſiliis in veritate Domini ſepelienda.

Petri nomine, sed falsò tamen velentur? Aliquid amplius addam, nempe quemadmodum à Iosepho & Nicodemo, prorsus eorum ignaris quæ deinceps a Caiapha & suis essent gerenda, saxum illud aduolutum est ad ostium sepulchri, sic Primatum istum primùm introductum à veteribus quibusdam, minimè omnium malis Patribus, ordinem tantùm stabilire cogitantibus, quem ad fouendam pacem & concordiam in Dei domo inter eius œconomos necessarium arbitrabantur, nec præuidentibus quæ pedetentim deinceps in Ecclesiam non sine magno detriméto sunt inuecta. Quam si manifestissimam conformitatem vlterius vrgeamus, nonne nouus hic Caiaphas, cum nouis Cardinalibus istis suis assessoribus, eadem ratione per cuniculos aggressi Imperatores, Reges ac Principes totius Christiani orbis ipsis imposuerunt, & eorum auctoritate abusi hoc saxum aduoluerunt, & sigillis obsignarunt, ne veritati pateret vllus exitus paulatim sepultæ, sic prorsus, & eadem conscientia qua vetus ille Caiaphas cum satellitibus Pilatum adierunt, & faciendi quod vellent ab ipso potestatem acceperunt? Quid amplius? Nonne sancta hæc veritas, perruptis omnibus illis impedimentis exiit, & apparuit iis quos ex mundo visum est Deo eligere, ex quo saxum illud, effractis sigillis reuolutum est, & quidem cum maximo terræ motu, & prostratis custodibus a fidelissimis Dei seruis & huius veritatis præconibus, à Deo ad hunc effectum cælitus, vt ita di-

dicam, missis? Postremò, nóne egregia illa Hispanica inquisitio, & eximij illi Nuntij in vniuersum orbem, ad veritatis resurrectionem impediẽdam, missi, totidem sunt armati milites (& quidem duplici gladio tẽporali & spirituali armati) instructi & opima stipendia capientes ex horrenda illa & plus quàm abominanda mercatura quam ex pauperum reditibus exercent, quorum alij miserè vænum exponuntur, alij donantur, aut denique prout sese res eorum habent administrantur? Age verò Concilium illud Tridentinum nonne viua est imago huius consilij de quo hæc historia meminit, à quo eandem consequuti sunt gratiam apud huius seculi Gubernatores quotquot fascinarunt, vt hactenus fumos suos vendiderint, & suas inuentiones ac perditas molitiones vt bonas ac sanctas obtruserint? At fratres, estote forti animo, Qui hostibus omnibus inuitis resurrexit, ac nostris temporibus suam veritatem in cordibus nostris veluti suscitauit, & eorum omnium quibus aures aperuit, eâdem adhuc hodie potestate armatus est & erit aduersus omnes aduersarios, & eandem gerit curam salutis Ecclesiæ suæ per regnum veritatis, quam habuit quum ista contingerent. Quicquid denique cõtingat, veniet tempus quo Babylonem illam Romanam iidem euersuri sunt qui construxerunt, quum ipsis oculos Dominus aperuerit, vti reuelatum ac promissum est in Apocalypseos cap. 17. Interim animas nostras in spe & silentio possidea-

mus, quod expreſsè monet qui tēpora & momenta habet in manu poſita, Luc.21.19 . Matt. 10.22. Act.1.7. patienter expectantes, dum quæ in deſerto nutrita eſt reducatur ac poſſeſſioni ſuæ reſtituatur, Apoc.12.6.

Admirāda Dei prouidentia in præueniendis hoſtium veritatis conſiliis.

Porro dixi præuiſam à Domino omnem iſtam hoſtium ſuorum molitionem, quod ex ſingulis huius hiſtoriæ circunſtantiis erit perſpicuum. Nec enim omnes cuſtodes, ſed ex illis tantùm quidam ad Sacerdotem hunc nuntium tuliſſe dicuntur: qua in re dupliciter admiranda Dei prouidentia elucet: primùm in eo quòd Dominus totidem teſtes præparauit ad inimicos ſuæ falſitatis arguendos, per ſuos ipſorum ſatellites, quot ex illis ad Sacerdotes non venerũt: quibus Dominus hanc fortaſſe gratiam largitus eſt, vt cordibus compuncti ſint iis ad ſepulchrum conſpectis quæ nonniſi viuentis æterni Dei potentia contingere poterant: quæ minimè dubium eſt quin alibi narrauerint. Deinde hac ratione Deus oſtendit, tantum abeſſe vt mors illi victo dominaretur, vt contrà per eam ſuorum hoſtium Iudex euaſerit, & quidem in eorum animas & corpora ſententiam laturus, qua nullam ſeueriorem aut aſperiorem in mundo improbi experiantur. Quis enim eos hic excæcauit? quis indurauit? quis in ſenſum reprobum tradidit, vt gloriam ſuam patefaceret, Rom. 1.21. & Exod. 9.26. niſi hic à mortuis Suſcitatus, vt in medio ſuorum hoſtium dominetur? Pſal.110.2. Porro nobis hæc duo capita ad maximam ac certiſſimam noſtram

ſtram conſolationem confidentiſſimè notanda ſunt. Quum igitur audimus veritatis hoſtes ad horum exemplum coire ac conſpirare, Deũ facilè viam inuenturum ſciamus, quum opus erit, etiam ex medio ipſorum ſuſcitatis quibuſdam, qua fraudes & occultæ molitiones ipſorum detegantur, vt coram omnibus mortalibus pudore ſuffendantur. Sic orante Deum Dauide vt Achitophelis conſilium, diuiſis hoſtium ſuorum linguis turbaret, Pſal. 55. 9. Deus Chuſaï ſuſcitauit, cuius conſilio tam Abſalomo quàm Achitopheli ipſi vltima pernicies allata eſt, 2. Sam. 17. 14. & 23. ſuſcitatis ipſi iam antea Ionathane, & vxore Michol, à quibus Saulis inſidiis eriperetur, 1. Sam. 19. 11. & 20. 9. Sic Paulus Apoſtolus Iudæorum inſidias à ſororis filio detectas effugit, Act. 23. 16. Denique talibus exemplis hiſtoria Eccleſiaſtica plena eſt. Et ne longius in exquirendis illis abeamus, annon idem non ſemel à Dominò præſtitum eſt noſtro ſeculo, in ipſo Concilio Tridentino? Idem ſanè me ipſe poſſum ſæpe expertũ eſſe profiteri. Deo laus eſto.

Sin excipiat aliquis, pergere tamen hoſtes, licet conſiliis ſuis detectis: aio primùm non ſemper id contingere: deinde quoties id accidit, ideſt, quoties Dominus permittit eos aduerſus ſeruos ſuos quæcunque volunt facere, (ſicuti de Ioanne Baptiſta Dominus loquitur, Matt. 17. 22.) in exitium vltimum ac perniciem improborum id cedere, & ipſos in ſuum ipſorum mucronem flagitiis ſuis incurrere, ſuoque

Improbi, quũ maximè videtur voti ſui compotes facti, tandem ſentiunt ſe à ſuo ſcopo procul aberraſſe.

ipſorum laqueo capi: quod miſeris iſtis de quibus agimus, tandem profectò admirandis rationibus contigit. Nam quum Romanos adegiſſent in Pilati perſona vt ſuæ crudelitatis & perfidiæ in Deum adminiſtros ſe præberent, tandem & ipſos experti ſunt vindices & vltores ſeueriſſimos tantæ ingratitudinis, vt à quibus occidione deleti iuſti Dei iudicij in ipſos luculentum exemplum exhibuerint, ex ipſius Domini vaticinio, Matth. 24.2. & 23.38. Et hoc nō ignotum ipſis prophanis, quorum illud eſt antiquum prouerbium, Malum conſilium cōſultori peſſimum. Et proculdubio, ne procul excurramus, horum temporum facies ſatis illud ipſum teſtatum facit, quum horrenda Dei iudicia iuſtiſſimè miſerorum Dei filiorum carnificibus inflicta omnibus ſint conſpicua: furore Dei hodie reliquos inſuper inſequente, & potentiſſimas quaſque vrbes innoxio ſanguine conſpurcatas premente: vnde fit vt argumentum abundè nobis ſuppeditetur, quod & in poſterum fauente Deo ſuppeditabitur, cum Propheta dicendi, A Iehoua factum eſt iſtud, quod mirabile eſt in oculis noſtris, Pſal. 118.23.

Aſtutiſſimi calumniatores Dei filiorum tandem deprehenduntur minus ſolertes in ſuis conſiliis.

De ſecundo verò capite, quod ſuperius attigimus, excæcatione & induratione conſpirantium aduerſus Deum & eius veritatem, clariſſimum nobis hic ante oculos exemplum proponitur. Nam quæ magis inepta & ridicula deliberatio & conſultatio potuit eſſe ea quam fraudulenti iſti homines ineunt, iubere nimi-

rum istos custodes, qui tamen non pauci fuerunt, & pulchrè armati, clauso prætere a monumento ingenti saxo obsignato, dicere, miseros illos Domini discipulos, dormientibus ipsis sublatum corpus abstulisse? Nam aut altum ac profundum somnum eos dormiuisse necesse est, si strepitum tam ingentis saxi reuoluti, & sigillorum fractionem non audiuerunt: aut si vigilabant, quomodo non sunt eos insecuti, aut vnum saltem aliorum omnium indicem futurum apprehenderunt? En igitur hic apertissimè videmus, vti dixi, præter quàm quòd conscientiæ sensum omnem exuerunt, eum solum, cuius gloriam obscurare studebant, mentem illis omnem eripuisse, vt à seipsis, non minùs ridiculi quàm improbi coram Deo & hominibus fierent. Ac sanè Caiaphę & satellitum ipsius successores agit hodie idem spiritus cęcitatis & stuporis, vt easdem cum illis artes versent, qui quũ sanctæ veritatis vim nullo pacto possint eludere non erubescunt infinitas calumnias tum voce tum scriptis cõfictas in vulgus spargere, quibus Dei fideles seruos infament. At Dei beneficio, tam falsas, támque impudenter confictas, vt aliis argumentis non opus sit, quibus non tantùm praua ipsorum conscientia detegatur, sed etiam ex quibus appareat, eos, quum iam non habeant quod oggan niant etiã in sensum reprobum datos, ac sensu & intelligentia communi spoliatos ab eo qui non minus intercipit sapientes in astutia ipsorum, quàm fortes in suo

robore, Iob. 5. 13. 1. Cor. 3. 19. Agite igitur, fratres, quid nobis ampliùs metuendum, si à nobis stat ille defensor, tam eius scientiæ veritatis quam tuemur, quàm bonæ conscientiæ, quam accepimus ab ipso, qui hostium nostrorum corda & linguas habet in sua potestate, non minùs quàm manus & brachia ipsorum, vt nullis aliis instrumentis quàm illis ipsis opus habeat, ad eos quales sunt detegendos, & suam illis mercedem retribuendam.

Horrendæ confusiones toto mundo passim regnantes: inter conscientiarum mãgones, tum in Romana Ecclesia hodierna, tum in administratione Iustitiæ, tum in mutua hominum inter se conuersatione.

Sed insuper expendamus quibus mediis cõsilia sua conentur ad finem perducere. Nempe affatim numerata præsente pecunia conscientiam & linguas perditorum istorum, redimũt. Nec enim tantum numerasse pecuniam dicuntur, sed eius magnam vim confecisse: quod sanè illis minimè fuit difficile, quũ certissimũ sit thesauros templi argumentum illis quotidianorũ sacrilegiorũ admittendorũ præbuisse, Domino, nõ sine iustissima ratione, ipsis exprobrante, Dei domum ab ipsis in speluncam latronum fuisse conuersam, Matth. 21. 13. Minimè verò dubitandum est, quin apud Pilatum boni isti viri versarint easdem artes, quem satis nouerant se hac ratione facillimum experturos, non ignari quomodo se in istiusmodi rebus gerere consueuisset, quod testantur historiæ tam de ipso quàm de Felice, Act. 24. 27. & Festo, 25. 9. qui Iudeæ etiam præfuerunt, aliis præsulibus nihilo meliores. Sed ô nefandam ac detestandam mercaturam. Et tamen nonne vel hac nostra tempestate, & quidem maximè, si

ſi aliàs vnquam vniuerſus terrarum orbis eſt inſtar fori cuiuſdam publici in quo verſantur dies noctéſve iſtiuſmodi venditores & emptores? Atque in primis Curia Romana ſedes eſt in qua iſtiuſmodi deteſtanda mercatura, nullo pudore prorſus, exercetur, fruſtra iam ante ſeptingentos vel octingentos annos omnibus illud intuentibus, ac conquerentibus, & tamen ſeſe miſerè decipi tolerantibus? Et quidem ita ſe rē habere palàm eſt, ex eo quòd iam ante multa ſecula Papæ ſuffragia magna vi pecuniæ rediment. Teſtes ſunto hiſtoriæ electionum, & Romanorū Paſquillorum. Annon verò certo pretio galeri rubri væneunt? Quînam verò galeris iſtis, lituis ac tiaris non eſſet ſuum pretium, quum nullum tam deteſtandum ſit facinus cuius redimendi pretium non conſtet, vel ex publicè excuſis ſcriptis, eò impudentiæ iſti mercatores deuenerunt? Quaſi verò non ſufficiat à viuis tributum exigere, nonne fabula illa Purgatorij, & myſteria omnia quæ ibi peraguntur, certo pretio venduntur ab illis animarum mangonibus: & à miſeris ſtultis rediṁuntur, quod ex Indulgentiarum ac Remiſſionum æſtimatione conſpicuum eſt? An vllus vetus eſt Canon, aut vllum vllius Concilij decretum, quod aliquam recti ſpeciem habeat, quod non irritum fiat clauſulis illis bullarum derogatoriis? An vlla particula eſt in toto ipſorum cultu diuino, quem vocant, in qua videntibus ac ſciētibus omnibus non perpetua nūdinatio exerceatur, & ita

quidem vt non ipſa cœmeteria, non ipſæ Eccleſiæ ſint immunes? Quouſque verò, Deus Optime, tantam támque diuturnam tuæ domus profanationem feres? At ſi iſti deteſtandi, quid reliqua mundi parte fiet? Nam ſi de mutua hominum conſuetudine agamus, ecquis recenſeat aut capiat, quot dolos, quot fraudes, quot monopolia, quot artes tractent, retractent ſinguli in emendis aut vendendis inuicem conſcientiis? Fœneratores qui miſerorum neceſſitate viuitis, quorum malis artibus annonę caritas paratur, qui totas familias deprędamini, quando tandem cogitabitis in cœlo Deum eſſe cui vobis factorum ratio reddenda ſit? corá cuius oculis nihil occultum eſſe poſſit, licet veſtris dolis hominum iudicia fugiatis? Quînam verò fieri potuit, vt hæc tam miſera támque deteſtanda mercatura Chriſtianum orbem ita peruaſerit, & quidem cum tãto applauſu recepta ſit, vt pro veneranda Iuſtitia, quam ipſi profani Iouis filiam dixerunt, paſſim deteſtandæ corruptelæ locum obtineant? Annon ibi, ſaltem in maxima terrarum orbis parte, væneunt Iudicum officia? Annon illic ſedent inſtitores, qui quod in ſolidum emerunt particulatim diſtrahant? Annon ad has Iuſtitiæ ſedes non pauci horum aut illorum quos prenſarunt fauore promouentur? Nonne ibi maxima pars eorum etiam qui meliore via promoti ſunt ſtatim donis ac muneribus excæcantur, aut impotentia animi abrepti ſua authoritate abutuntur? Annon denique is eſt

ſco-

ſcopulus ad quem allidentes omnes naufragium oportet pati, quem contrà tutiſſimũ aduerſus quaſlibet iniurias eſſe portũ oportuit? Et, vt vno verbo abſoluam, ordo ille eſt, ordo, inquam, ille apud quem vnũ meritò illud valere dici poteſt abominandum prouerbiũ, Omnia Regina pecunia donat: hoc eò ſanè grauius malum, quòd ex bonis legibus ac ſtatutis & earum executoribus, hominũ vita tota dependêre videatur. Nec verò tantum iſtud malũ ab iſtis aut à Pilato cœpit cui vetuſtiſſimos Legiſlatores, & ipſum Dominũ occurrere voluiſſe compertum eſt. Sed non ideo leuius malum, quod creuit ſerpẽdo: cuius rei teſtes ſunto non tam Prophetarum querelę, & omnium gentium ac nationũ hiſtoriæ, quàm quod hodie conſpicitur ab Oriente in Occidentem, & à Septentrione in Meridiem: certiſſimum ſignum magnum illum Deum tam deplorandæ ſacroſanctæ Iuſtitiæ prophanationis vltionem diutius non prolaturum, menſura iam plus quàm exundante. Annon oportuerat nos ex maximorum etiam imperiorum ruinis, ſingulis prope ſeculis, non quòd Legibus, ſed quòd Iuſtitia carerent, ſaltem aliquam maiorem æquitatem integritatem diſcere, quàm eos qui ſolo naturæ, licet corruptiſſimæ ductu reguntur, nos, inquam, qui Reformatarum Eccleſiarum nomine tantopere gloriamur? Sed, quo iure, obſecro? Certè quòd ad doctrinam, optimo, & Dei beneficio valde ſingulari: ſed ſi vſum reſpicias, planè

nullo. Te verò, Deus bone testor, quandoquidem surdis canimus, & nullis nostris hortationibus locus relinquitur. Nam quid singulis momentis litigantium causidicorum, proclamatorúmque multitudinem commemorem? quid quotidiana litium sine fine semina? Quid te igitur, Geneua, fieret si ampliorem agrum à Domino esses consequuta? Horret animus sola illorum quæ coniici facilè possunt cogitatione. At, vos Iudices, litigantes, procuratores, aduocati seriò ad hæc mentem aduertite. Tempus enim est, atque ô vtinam ne serò nimis.

Denique sic Hierosolymis vixerunt tum emptores tum venditores conscientiarum. Sin aliquis excipiat, nihilominus tamen huic fraudi locum fuisse, sparsúmque falsum illum rumorem inter Iudæos, & creditum: ac proinde non ludere operam mentientes, quum vel triduani mendacij fructus sit vberrimus, vt ille Cardinalis, infelicis memorię, cuius etiam sine nominis designatione plus satis notus, iactitare solebat. Aio non posse rectum ferri iudicium de causæ illius statu, nisi re perfecta & ad exitum suum perducta: quo posito, nunquã à scopo longiùs aberrasse comperientur istiusmodi homines, quàm quum ad consiliorum suorum finem peruenisse sibi visi sunt. Qua in re si mihi fides non habetur, expectent stulti & insani quod suo damno & vltimo periculo tandem sunt experturi, quod istis de quibus hîc agimus contigisse conspicimus.

Gradatim Accedamus ad historiam quam Marcus cap. 16.12.

16. 12. paucis attigit, sed quam Lucas pluribus diligentissimè persecutus est, cap. 24. 13. ac non immerito, quum hæc historia complectatur amplissimam resurrectionis Domini confirmationem ex Scriptis Propheticis & aliis circunstantiis, & fructum vberem qui nobis ex hac historia colligendus est. Eodem igitur resurrectionis die, paulò post allatum Apostolis, & iis qui simul aderant, nuntium illum tam à mulieribus, quàm à Maria Magdalena, Dominus dicitur, tarditatem suorum discipulorum magis magísque correpturus, missis ad ipsos post mulierum nuntium duobus testibus oculatis, apparuisse duobus ex eorum numero qui mulierum nuntium acceperant, & quibus eadem cum reliquis suspecta fides nuntij fuerat: nihil minus cogitantibus quàm quærere aut offendere eum, qui ipsis obuiam factus est, euntibus in proximum vicum ob quædam negotia, quorum quum nulla fiat hic mẽtio, frustra laborarunt qui curiosiùs de illis inquisiuerunt, sicut etiam de alterius discipuli nomine, quod hic non exprimitur. Nam quòd ad Cleopam, verisimile est eum esse, de cuius vxore nominatim fit mentio apud Ioannem, cap. 19. 25. tanquam sorore matris Domini. Quæstionibus igitur istiusmodi curiosis & inutilibus omissis, huius historiæ circunstantias diligenter consideremus, quas Spiritus sanctus meditandas nobis proponit. Ac primùm quidem hic notemus quæ iam in duabus præcedentibus historiis obseruauimus, nunquam

resurrectionem suam Dominus voluit patefacere, quò melius nostræ naturæ tarditatem ac stuporẽ gratiæ autẽ immensitatem agnoscamus.

obliuioni tradenda: quantas nimirũ quámque profundas radices incredulitas in nostra corruptissima deprauatissimáque natura agat, & quidem diutiùs in schola Domini edocta, ac proinde quoties Domino videtur nos, siue in primo aditu, siue iam viam ingressos alloqui, non eò fieri quòd pręparatos ac benè ad ipsum excipiendum dispositos inueniat, sed ab eius immensa gratia & misericordia manare, qua sola mouetur ad opus suum inchoandum, promouendum ac perficiendum, in iis quos eligere ipsi visum est.

Non tãtùm audiendum Dei verbũ in cœtu publico, sed etiam magnopere necessaria sunt peculiares collationes, modò illis modus adhibeatur.

Nec verò vel ipsos Apostolos, vel alios discipulos, nec duos istos nominatim propterea in incredulorum peruicaciũ & ad apostasiam vergentium numerum reiicimus. Nam qui in vrbe remãserant in vnũ coacti omnes fletibus ac luctibus indulgebãt, Mar. 16. 10. Hi duo verò sermonibus suis testantur Christũ à cordibus ipsorum non abfuisse, nec excessisse Hierosolyma, quasi calculo suo probantes quod aduersus Christum fuerat gestũ, aut quasi quam ab ipso doctrinam hauserant, reprobarent, etsi procul aberant à cognitione tum personę Iesu Christi, tum eius doctrinæ, ad salutẽ necessaria. Ergo dicuntur inter se colloquuti de iis omnibus quæ euenerant: ex quibus facilè dignoscitur luctatam esse aduersus Crucis scandalum ipsorum fidem, qua Iesum Christum, & quæ de illo sciebant amplexi fuerant, vt nondum cesserint. Nam etsi dubij hęrebant, in meliorem partem tamen inclinabant, minimè

omnium

omniũ de Iesu Christi præstantia & innocentia dubitantes. Hinc discimus veris Christianis esse volẽtibus non sufficere leuem aliquam salutis cognitionem, sed certam scientiam requiri qua in Iesu Christo radicemur & ædificemur, ac in fide magis ac magis confirmemur, Eph.3.17. quod non vno momento perficitur. Prius enim plantari rigaríque & incrementum accipere oportet arbores, antequam in domo Dei in proceras arbores, omni tempore fructum ferentes, euadant, Psalm.1.3. & 92.14. qua in re duo extrema summopere fugienda. Quidam enim quum de conscientia agitur de nulla re ambigunt, nec quæstionem vllam mouẽt, ea fide contenti quã huius seculi pseudoprophetæ fidẽ implicitã vocant, aut fidem carbonarij: quasi quod nunquã auditũ est credi possit: & quasi Christianũ esse & pecudẽ esse nihil inter se differãt. Alij contrà semper quærũt, semper hærent dubij, nunquã vanę & profanæ suę quã ad sacrarum Scripturarũ lectionẽ adferunt curiositati, satisfacientes, pro humili illa animi demissione quę domũ Dei ingressos decet, & docilitate qua se ab eo doceri patiãtur qui simplicibus dat sapientiã, vnde fit vt istiusmodi homines (vt eos Apost. notat, 2.Tim. 3.7.) semper discant, & nunquam tamen ad cognitionẽ veritatis veniant. Denique quum diligẽtissimi quique ac studiosissimi procul adhuc absint ab ea scientia, quã Deus nos ex verbo suo vult consequi, ad ipsius gloriam & nostram salutem, Domini Dei nostri doctrina

non tantùm audienda legendáve eſt, ſed etiam noctes diéſque verſanda, Pſalm. 1. 2. ac voluendæ ſcripturæ, Ioh.5.39. Act. 17.11. atque adeo Dei profunda ſcrutanda, ſed duce ſancto Spiritu, ſi tamen vt intra fines nos continere diſcamus, eorum quæ nobis in Apoſtolicis ac Propheticis ſcriptis reuelata ſunt, ad exemplum Apoſtoli, 1. Cor.2.2. docentis ipſos etiam doctores ſic eſſe diſcipulos oportere, iuxta monitionem illam ad diſcipulum ſuum Timotheum, quantumlibet excellentem in domo Dei doctorem, 1. Tim.4.13. à quo etiam ſibi libros ſuos & maximè membranas mitti poſtulat, 2. Tim.4.13. Huc accedit quòd quum Dominus dona ſua diſtribuat, cui & qua menſura ipſi viſum eſt, ad mutuam vtilitatem & inſtructionem, vt pulchrè monet Apoſtolus, 1. Cor.12. idcirco mutuæ collationes ſint neceſſariæ, ſingulis quod à Domino acceperunt in medium conferentibus, & id ad Lydium lapidem expendentibus & examinantibus: mulieribus viros ſuos domi interrogantibus, 1. Cor. 14. 35. patribus domeſticos Abrahami exemplo docentibus: Geneſ.18. 19. filiis viciſſim patres interrogantibus & ab eorum ore pendentibus, Geneſ.12.26. Pſal.44. 2. matribus ipſis etiam liberos ſuos erudientibus, 1, Tim.1.5. quo reſpectu familiæ ipſæ generali nomine Eccleſiarum inſigniuntur, 1. Cor. 16. 19. Huic rei fidem facito magnus ille vir Apollos, in Aquilę & Priſcillæ vxoris eius familia veluti doctor factus, Act. 8. 26. En quid ex officio noſtro ſit, quod

quod ſanè ſi fieret totidem paradiſos in terris quot familias haberemus. Porro, non tantum dicuntur hi duo inter ſe colloquuti, ſed etiam diſputaſſe, & Ieſus Chriſtus ſermonibus ipſorum ſuperueniens, cum ipſis etiam diſſeruiſſe, quæſtionéſque ipſorum ex ſacris explicuiſſe. Sed longè aliud eſt ſanctè & religiosè diſputare, & in vnam veritatem indagandã, & firmis fundamentis fulciendam intentum eſſe, quàm contentioſum, curioſum, ambitioſum eſſe, mordicus allatas prius concluſiones & præiudicia retinere: quod quum accidit, tantum abeſt vt eiuſmodi diſputationibus Lux vlla veritati in ædificationem adferatur, vt contrà diabolica ſit ſacrarum rerum prophanatio, & tenebrarum in dies denſiorum multiplicatio. Et huius ſanè rei triſtiſſima ob oculos exempla verſantur, non in hac tantùm ſalutis ſcientia, ſed in omnibus etiam humanis ſcientiis & diſciplinis, in totius mundi ſummam perniciem, licet ſapiens ſingulos in Prouerbiis multis locis & Eccleſ.12.15. ſedulò pręmonuerit, & Apoſtolus, Rom.14.1.1. Tim.6.4. & 2. Tim.3.9.

Præterea verò quum hi ſermones in via dicantur habiti, aliquid docemur, cui ſi locus apud nos daretur, næ multæ contentiones, querelæ, odia ſæpiſſimè atrocia præciderentur, ex quibus tandem horrendæ confuſiones proficiſcũtur. Nã vnde quæſo tot cõtentiones, vnde tot lites emanant, à quibus ſæpe ad verbera & his multò grauiora deuenitur, niſi ex oblo-

quiis & detractionibus, vt sæpe vel vna vox magnũ incẽdium excitet, vix vnquam extinguendũ? Sed vbi Iocorum hę plerũque merces væneunt? Nõne vel ad fontẽ, vel in molẽdinis aut pistrinis maximè verò in priuatorũ cœtibus ac colloquiis? Annõ enim ibi singulorum vita excutitur? Quòd si fortè quis de hoc vel illo cœpit obloqui, nonne reliqui suũ etiam symbolum adiiciunt, & scommate feriunt, vt sermo sermonem pariat? Nec verò priuatis ista parietibus creduntur, sed mox eliminata totam vrbem putidis istiusmodi sermonibus complent, licet tam expresse nos Apostolus moneat, ne verbum vllum exeat ore nostro quod non sit ad ædificationem, & auditorum vtilitatem, Ephes. 5. tum etiam scriptores alioqui prophani, à quibus tot præclara documẽta in eam rem accepimus. Nec verò silentio sermones futiles hic prætereundi, quos tamen plerique tanquam nemini noxios, tueri vel eleuare contendunt. Quasi verò data sit lingua ad garrulitatem: ac non potiùs Deo ratio reddenda sit singulorum vitæ nostræ momentorum: præsertim quum diserte Dominus denũtiarit, homines vltimo die iudicij rationem omnis otiosi verbi reddituros. Nullus verò hic excusationi locus, nempe res huc tandem est reditura. Quapropter, fratres, seriò de istis cogitemus. Aio enim, & quidem non sine mœrore aio, reprehensionem istam in nos nimiùm competere. An non verò contrà, tu Geneua, vna es in multis ciuitatibus cui Dominus de se

co-

cogitandi longè maximas offert occasiones, & os aperit ad laudes eius prædicandas, & in mutuam ædificationem magnificas eius res gestas concinendi? Agite igitur, si Deum nobiscum semper esse cupimus, quocũque loco, & apud quoscunque fuerimus, ac proinde si expectamus ab illo in ingressu & egressu nostro benedici, de Deo semper cogitemus, & loquamur, fide & charitate nobis semper præeuntibus, ac tum optimum rerum nostrarum exitum speremus. Nam, inquit, Matth. 18. 20. Vbi duo vel tres coacti sunt in nomine meo, illic sum in medio eorum. En verò Domini mandatum expressum, Deut. 6. 6. Sunto verba ista quæ ego præcipio tibi hodie in corde tuo: & ea diligẽter inculcabis filiis tuis, & meditaberis sedens in domo tua, & ambulans in itinere, dormiens atque consurgens. Id si à nobis erit præstitum, ne dubitemus quin quemadmodum in hac historia memoratur Dominus superuenisse istis discipulorum sermonibus ad opus suum in ipsis perficiendum, & certiores faciendos de nuntio in quo vera omnis posita est, tum vitæ præsentis, tum futuræ, felicitas, ita in nobis vi sãcti sui Spiritus magis ac magis operetur, nobis semper præstò adsit, & nostram salutem, cui sit ad eius nominis gloriam honor & gloria in sempiternum. Amen.



HOMILIA OCTAVA.

Luc.24.

15. *Et factum est dum colloquerentur, & si-
mutuò rogitarent, ipse Iesus accessit, & vnà iter fa-
ciebat cum ipsis.*

16. *Oculi autem eorum tenebantur, ne ipsum
agnoscerent.*

17. *Dixit autem eis, Qui sunt hi sermones,
quos confertis inter vos ambulantes? & quid estis
tetrico vultu?*

18. *Respondens autem alter, cui nomen Cleo-
pas, dixit ei, Tu solus commoraris in [vrbe] Hieru-
salem, & ignoras quæ in ea facta sunt his diebus?*

19. *Ipse verò dixit eis, Quæ? At illi dixerunt
ei, Quæ facta sunt, Iesu Nazareno, qui fuit Pro-
pheta, potens reipsa & verbis, coram Deo & toto
populo.*

20. *Quomodo eum tradiderunt principes Sa-
cerdotum & magistratus nostri, vt morte damna-
retur, & crucifixerunt eum.*

21. *Nos autem sperabamus illum esse qui re-
dempturus esset Israelem: atqui præter hæc omnia,
tertius hic dies agitur ex quo hæc facta sunt.*

Res eæ in quibus Domino placet operari miraculosè non semper



XPOSITO à nobis, superiore die Dominico huius historiæ initio, reliqua nobis longè maioris momenti supersunt excutienda, sermones nimirum vltro citróque

citroque inter Iesum Christum & duos illos discipulos habiti, quum ipsis in itinere factus esset obuiam. Hic autem occurrit quæstio, sine cuius certa solutione tota hæc historia nec vera nec verisimilis esse videatur, nempe, quînam à discipulis illis duobus, nec vultu nec voce sit agnitus, quibus antea fuisset familiarissimus. Ad hanc quæstionem vno verbo respondet Euangelista, retentos nimirum eorum oculos fuisse: egent autem ista fusiore explicatione, licet nonnihil suprà iam attigerimus, quum Mariæ Magdalenæ idem accidit, ipsum initio non agnoscenti, sed hortulanum esse putanti, Ioh. 20. 14. Sciendum igitur in istiusmodi ὑπερφυσικοῖς & extraordinariis, ac proinde miraculosis factis, nonnunquam rerum ipsarum mutatam essentiam ac proprietates essentiales, veluti quum virga Mosis in serpentem versa est: & Dominus aquam in vinum mutauit, quod initium fecit signorum: nonnunquam verò nec mutatam essentiam fuisse, nec proprietates essentiales, sed ad tempus tantùm retentas & impeditas, veluti quum aquæ maris & Iordanis steterunt: & vt ait poëta ille non ignobilis, Curuata in montis faciem circumstetit vnda, dum populus Dei per siccũ gradio posset: & quum ignis ardor tribus illis Danielis sociis in fornacis flammam coniectis cohibitus est. Sic ad tempus aquæ natura fluidæ sub Iesu Christi ac Petri pedibus solidatæ sunt, Matth. 14. 25. & 29. sic ferri pondus securé emergente retentum est, 2. Reg.

immutatæ sunt nec in essẽtia sua, nec in qualitatibus, sed earum qualitates, tantùm retentæ sunt & ad tempus impeditæ.

66. Nec verò mirum videri debet cuiquam, si Deus qui eandem potestatem habet in rebus creatis immutandis quam habuit in creandis, etiam quod minus est quoties ipsi videtur, facit, pro arbitrio suæ voluntatis retinens aut impediés qualitates & effecta rerum à se creatarum. Quapropter extraordinarium quidem fuit oculos & aures Mariæ Magdalenæ, & duorum discipulorum, sic quòd ad vsum audiendi & videndi, sine vlla naturali & ordinaria causa retineri, vt Iesum Christum nec vultu nec voce potuerint agnoscere, quandiu nimirum Domino visum fuit, oculorum & aurium nostrarum conditore. Sic olim à Domino Sodomitæ cæcitate percussi sunt, Genes.19.11. sic etiam Syriæ regis serui, percutiente ipsos Deo, caligarunt, 2.Reg.6.18.& 20.

Quomodo intelligendum Iesum Christum alia forma apparuisse.

Quod itaque Marcus dicit 16.12. Iesum Christum istis discipulis alia forma apparuisse, non intelligendum quasi realis quæpiam in Domini vultu mutatio facta sit, sed eius formæ respectu, quæ ex Domini voluntate in oculos caligantes Mariæ Magdalenæ, discipulorúmque istorum incurrebat. Et quod de oculis tãtùm hic dicitur, de auribus etiam intelligendum aio. Nam si verè Iesu Christi vultus ac vox immutata fuisset, quid opus erat eorum oculos retineri: nam alioqui miraculum, non in discipulis, sed in Christo contigisset. Nec difficilius erat ipsis Christum auditu cognoscere quàm visu, nisi retentæ fuissent etiam ipsorum aures.

Sed

Sed alia rurſum hic aliter ſoluenda difficultas occurrit, de Ieſu Chriſti veſtimentis, cuius corpus quum ſepulchro nudum eſſet conditum, exceptis linteis quæ inuoluta manſerunt in ſepulchro, nunquam tamen ſe nudum exhibuit, nec veſtimenta ſua à militibus à quibus erat crucifixus recepit: itaque quum his vel illis apparuit, & quum in cœlos aſcendit, verè ſe oſtendit, non autem tantum ſpecie tenus, eo habitu quo voluit, modò hortulani, Mariæ Magdalenæ: modò viatoris, ſuccinctis nimirum, vt veriſimile eſt, veſtibus, cum baculo in manu, quem fuiſſe Iudæorum peregrinantium morem compertum eſt. Nam alioqui ſi dixerimus verè nudum ipſum fuiſſe (quem non eſt veriſimile ſupra cœlos aſportaſſe terrena veſtimenta, ſed tantùm ſpectantibus exhibuiſſe veſtimentorum ſpeciem quam volebat, quod non erat alienum ab eius poteſtate) dicendum etiam fuerit toties illum oculos hominum retinuiſſe quoties & quibuſcunque ſe conſpiciendum exhibuit. Sed num mirum videri debet, eum qui res omnes condidit, id etiam potuiſſe: quíque iam ipſis Abrahami temporibus, eouſque ſeſe illi accommodauit, vt appareret ipſi ad id momentum & actum, vero corpore formato, duobúſque ſecum Angelis, cum veſtimentis peregrinantium, & quidem hominum more biberet ac comederet (etſi non comedebat alimentum percepturus, nec diutius aſſumptum illud corpus ſeruaturus, vt deinde aſſumptam humanitatem noſtram in

Chriſtus cũ iis veſtimẽtis apparuit quibus voluit, ac reipſa poſt reſurrectionem nõ ſpecie tenus tantùm edit ac bibit.

vnitatem personæ conseruauit & in æternum est conseruaturus, Genes.18. capite integro) sese etiam suis discipulis accommodasse quòd ad vestitum, & quidem eòusque etiam vt cum ipsis ederet ac biberet, vt sensibiliter ac palpabiliter ipsos de sua resurrectione certiores faceret?

Huius doctrinæ vsus.

Habetis huius difficultatis solutionem, ex qua discēdum nobis quàm necesse sit nos singulis momentis Dei misericordiæ commendari, vt sensus etiam corporis nostri naturales regat, ex quorum integritate & recto vsu misera nostra vita dependet: quo recto & integro vsu ipsorum nobis conseruato, non decepti externa rerum forma, rectū amplectamur, &, quantum ferre potest miserorum corporum infirmitas, sequamur. In primis autem, quum de conscientia agitur, & recto sensuum nostrorum, atque adeò totius nostræ vitæ fine, Deus à nobis supplicibus votis dies ac noctes inuocandus est, cum timore & reuerentia, vt si quas ingenij & recti iudicij vires in rerum terrenarum negotiis dedit, easdem augeat ac cōseruet: ac ita nobiscum statuamus eum qui, siue nascentibus, siue deinceps per optimam educationem & rerum vsum istud donum largitus est, idem posse minuere, vel etiam penitus eripere, quando & quemadmodum ipsi visum fuerit. Et quidem horum exempla satis frequentia sacræ & prophanæ historiæ nobis suppeditant, & experientia quotidiana satis docet, vnde satis tritum & verissimum illud prouer-

prouerbium, Sapientissimorum plerumque esse facta stultissima. Quoniam verò hæc humana sapientia & prudentia in nefarium hominem cadens fit instrumentum perniciosissimum ac maximè noxium ea sapiētia prędito, tum quibuscunque aliis bonis artibus & scientiis: & naturalis omnis illa Lux, tenebrarum potiùs quàm Lucis nomine digna, nobis tantùm arguendis & inexcusabilibus reddendis sufficit: Rom.1. 20.21. & 22. deserens nos quum maximè necessaria est, ad veri Dei cognitionem in Domino Iesu Christo, ad quem sensuum omnium nostrorum dicta, facta, cogitationes referamus, istud potissimùm Deus à nobis orandus est, vt quum ab ipso deprehendamur in tenebris cum rebellione coniunctis nati, Rom.8.7. Ioh.9.41. transferat nos è tenebris in admirabilem Lucem veræ suæ sapientiæ, 1.Pet.2.9. Ephes.5 8. illuminatis oculis mētis nostræ, Ephes. 1. 18. velle & facere in nobis creet, Phil.2. 13. oculos nostros auertat ne videant vanitatem, Psal. 119. 37. ne huius mundi fallaci specie decipiamur, 1. Cor. 7. 31. cui nos esse crucifixos, & eundem nobis oportet, Gal. 6. 24. ne vnquam Pulchrum à Bono seiungamus, vt prima nostra parens fecit, Genes. 3. 6. aures nostras perfodiat, Psal.40.7. vt ex auditu generata fides ipsa cordis penetralia penetret, Rom. 10. 17. doceat nos manus in innocentia lauare, Psalm.37.13. pedes nostros à lapsu retineat, Psalm. 116.8. tantum nobis suæ bonitatis gustum infundat, Psal. 34. 9. vt huius mundi

delicias flocci faciamus: ſed donum illud cœleſte radices in noſtris cordibus altiſſimas agat, Heb. 6. 4. Denique anima & corpore nos ipſi voueamus ac dicemus, Deúmque vnicum requiramus, exemplúmque imitati Prophetæ, Pſalm. 42. 2. vehementi deſiderio ipſum ſitiamus.

Cur Dominus iſtos viatores interrogarit de iis quæ iã ſciebat, & quomodo quotidie idem faciat apud ſuos per propriã ipſorũ conſcientiam.

Sed ad hiſtoriam reuertamur, in qua Dominus dicitur eos diſcipulos ſequutus, quum altiùs eos ex animi vehementia loquentes audiuiſſet, & propius agnitos animaduertiſſet colloqui de rebus quibus grauiter offenderentur, vltrò compellaſſe, quóſque ſermones agitarent interrogaſſe. Ne verò cogitemus factum id ab ipſo ex illis cognituro quod melius quàm ipſi nouerat: (nam præter quàm quòd Deus erat cordium ipſorum ſcrutator, Ioh. 2. 25. is ipſe erat paſſus ea de quibus inter ſe diſcipuli conferebant) ſed potiùs eos docendi quæ neſciebant ab ipſiſmet occaſionem captante. Etſi verò ratio hæc agendi veluti per ambages non neceſſaria quibuſdam videri poſſit, aio contrà nos ex ea diſcere quæ ad ſalutis perfectam cognitionem omnino ſunt neceſſaria. Nam ex eo diſcimus quàm malè iſti diſcipuli præparati eſſent ad Domini reſurrectionem credendam, quem inſtar cæterorum mortalium putabant in diem vſque vltimæ reſurrectionis eſſe mortuum: quibus tamen tertius ille dies, cuius Cleopas meminit, in memoriam reuocare debuit quod à Præceptore toties prædictum audiuerant, mortem nempe ſuam,

ſuam;ac tertio die futuram reſurrectionem,adeò vt qui Dominum crucifixerant huius prędictionis non eſſent ignari, Matth.27.63. Annon igitur iſtud eſt immenſæ diuinæ bonitatis inſigne teſtimonium, quòd quos poterat tanquam indignos ſua gratia reiicere, dignatus ſit ipſemet clariùs quàm antea docendos quærere? Quoniam autem Adami filij, ad primi ſui parentis exemplum, Geneſ.3.12. peccata ſolent vel prorſus inficiari, vel ſaltem extenuare, licet manifeſtiſſima, idcirco Dominus, etſi vt cordium ſcrutator, melius quàm ipſimet quid in pectore & in ore haberent nouiſſet, tamen ſciſcitatur eos vt ab ipſiſmet ſuas cogitiones expiſcaretur, vt ex ipſorum ignorantia quam agnoſcerent occaſionem captaret eos docendi, & remedij quod erat ipſis allaturus capaces reddendi. O admirandam Dei bonitatem erga nos, totidem nobis ſuppeditantis occaſiones ex tenebris, lucem, & ex ignorantia noſtra, ſapientiam eruendi, quot ſuggerit admonitiones, ſiue conſcientia nos remordeat, ſiue aliunde moneamur: ſiue nos iudicia ipſius quæ ex miſero & infelici ſtatu noſtro cognoſcimus, arguant: ex quibus tum ignorantiam eorum quæ ſcire nos oportuit, tum peccata quibus immerſi torpeſcimus agnoſcere nos par eſt, quaſi Domino ipſo nobis, vt olim duobus his diſcipulis de quibus agimus, occurrente.

Hæc igitur in vſus noſtros vt conuertamus, ſciendum nullum in nobis eſſe vel leuiſſimum *Quomodo in vſum reuocandum*

illud, Quaerite, & inuenietis. motum ea cognoscendi quæ de Deo ad salutem scire & credere nos oportet, quin is à quo in nobis bonus iste motus ac desiderium creatur, quantacunque humana infirmitate laboremus, illud augeat ac promoueat ad nostram eruditionem, siue defectus nostros aut in doctrina aut in moribus arguat, siue aduersus quaslibet difficultates nos soletur, & in iis quę ab ipso didicimus magis ac magis confirmet: modò tamen ad eum vbi se patefacit, in verbo suo nimirum confugiamus, quod ideo vult in Ecclesia sua nobis dispensari: eodémque zelo quo duo isti discipuli aures attentas ac dociles præbeamus, tantisper expectantes dum videamus eum qualis est, longè modis omnibus excellentiore præsentia quàm in his terris apparuerit.

Tripliciter peccatur grauiter & perniciosè in iis inquirendis quæ scire ad salutem singulos oportet. Sequitur Cleopæ responsum, non agnoscẽtis eum quem alloquebatur, & arguentis tanquam ignarum facti tam stupendi, quod Hierosolymis summo facinore gestum, omnibus patere debuerat: malè sanè congruens Domino responsum, sed bono fundamento nixum, si quod Cleopas ponebat verum fuisset, eum quem alloquebatur, ignarum fuisse facti tam celebris ac tanti momenti. Quare, licet in applicatione peccatum sit à Cleopa, dico tamen huius reprehensionis vsum esse maximum, nostróque seculo, si vlli alij vnquam in re simili, conuenientissimum. Quid enim, obsecro, in tantis de Christiana Religione, quæ hodie passim in toto Christiano orbe mouentur cõtro-

trouerſiis nos magis vrget, quàm vt cognitionem adipiſcamur veræ doctrinæ & veræ Eccleſiæ? An verò fuit vllum ab Apoſtolorum temporibus ſeculum, cui melius conueniat, quod de ſui temporis hominibus dicebat Apoſtolus, 2. Cor. 4.3. ſi tectum eſt Euangelium, iis qui pereunt tectum eſſe, in quibus Deus huius ſeculi mentes occæcauit? Alij igitur illud adeò contemnunt, vt ne inquirant quidem: alij, etſi Lux oculos eorum & aures feriat, oculos ſibi eruunt & aures obturant, ne hanc veritatem videant aut audiant: alij eandem à ſe remouent, abigunt, furiosè denique perſequuntur. Ac ſi de rebus omnino vanis & inutilibus agitur, vt vaniſſimus ſit maximam earum cognitionem aſſecutus, aut de argutiis, à ſe ipſis clara ſatis, obſcurantibus: aut de ſcientiis, (ſi modò ſcientiæ nomen merentur) quarum ipſe Diabolus author, & quas Deus diſertè prohibuit: annon ea quiſque penitiſſimè rimatur? Ac ſi de caducis opibus congerendis, aut humanis aliis negotiis agitur, nonne videtis vt ſinguli, non eant, ſed currant præcipites, nullam vel animo vel corpori noctes atque dies quietem concedentes? En vt mundus viuat, parui faciens eam ex qua beati ſumus ſcientiam: vt ex eiuſdem ignorantia, infelices, tum in hac vita tum in altera, & contrà diligentiſſimus in iis inquirendis quæ ſecum corporis & animi laborem, & vtriuſque tandem extremam perniciem vehunt. Atque ô vtinam à nobis tam procul malũ iſtud exularet quàm

frequens est, licet Domino indesinenter, sed frustrà nos monente & hortante. Quousque verò tandem iste Dei contemptus, & regnum mammonæ iniquitatis est duraturum? Equidem Propheta non sum, vt certum terminum præfigam: at quum videam, quæ quotidie in oculos occurrunt, & sciam, quæ scio, quid sperare ausim, nisi mensuram ad cumulum peruenisse? Ac proculdubio, nisi meliorem mentem induamus, num fore putamus nostram conditionem meliorem quàm fuit vrbis Hierusalē, de qua hic agitur, quòd suæ visitationis tempus non agnouerit? Quinimo si peius adhuc nos geramus quàm se gessit vnquam Capernaum aut Bethsaida, nunquid imminet nostris ceruicibus multò magis horrendum iudicium quàm id de quo minatur Dominus apud Matth. 11. vers. 21? At Deus pro immensa sua misericordia malum istud à nobis auertat: verùm hanc gratiam sine seria & matura immutatione consequi nos posse ne speremus.

Exemplum summæ infirmitatis in Cleopæ respōso, partim falso, partim in eo quod est verum mãco ac defectiuo.

Iam autem responsum audiamus Cleopæ de sermone cum comite habito, cuius duo sunt capita: primum, testimonium de Christo eximium, alterum causas continet quibus ipse & alter adhuc hęrent dubij & incerti. Primum igitur, eum quem non agnitum alloquebatur, Iesum dicit, sed de Nazareth. Prophetam deinde agnoscit, & quidem excellentissimum coram Deo & hominibus, operibus & sermonibus coram Deo & toto populo. Testimonium

monium partim falsum, partim in eo quod verum est mancum & defectiuum. Nec verò propterea duos viros istos in eorum quos incredulitas totos occupat: nec in Iesu Christi inimicorum aut Apostatarum numero reponimus: etsi tamen agnoscimus exiguam tum illis fuisse Lucem Euangelicam, Christianæque fidei prima rudimenta valde tenuia, quæ fides deinde in ipsis creuit ac irrigata & aucta, eius ipsius virtute à quo in ipsis fuerat plantata, fructum tulit. Sic monet Apostolus vt qui maiores profectus fecerũt, infirmiores in fide tolerent & ad se assumãt, Rom. 14. 1. & Philip. 3. 15.

Grauiter errarunt Cleopas, tum in nomine Iesu malè intellecto, tũ in eo quod Nazarethanum fuisse existimauit.

Primùm igitur quòd Nazaretham putat locum esse natiuitatis eius quem Iesum vocat, aut ignorans, aut non expendens eius vocis significationem, quam ipse Gabriel Angelus indicarat, Matth. 1. 21. falsum est. Nam Bethlehemi Iesus natus est. Deinde his verbis pugnãtia loqui planè videtur, hunc enim esse Iesum, & Nazarethæ natum, sunt contradictória, quum expresse prædictum sit, hunc Iesum, (idest Seruatorem, qui Christus est Dominus, & Patrum expectatio) nasciturum Bethlehemi Iudæ, non autem in Galilæa: vel ipsis testibus Scribis Herodi apud Matth. 2. 5. respondentibus de loco nascituri Messię, ex Prophetæ Micheæ loco cap. 5. 2. Cleopas itaque quid diceret non intellexit, & quidem ex sola ignorantia, Iesu nomen non aliter quàm de quolibet è vulgo intelligente, quum eodem nomine Mo-

sis famulus, qui post Mosen populi conductor fuit, & alij non pauci fuissent insignes. Vox enim Hebræa, quicquid phanatici quidã somnient, & Rabini ex impietate garriant, eadem est cum Græca Ἰησοῦς, ex qua Iesu nomen aliæ omnes linguæ mutuatæ sunt.

Rumor communis horum errorũ fuit causa, multáque hodie, immo infinita mala gignit.

Igitur ab errore communi manauit hæc ignorantia, quodãmodo vt videtur excusanda in iis qui causam peculiarem huius nominis Christo impositi cælitus, non ab hominibus, ignorabant. Nec verò minus vulgatus error, Iesum Christum Nazarenum esse, illo, quo Iosephi habitus est filius, quòd nimirũ Nazarethæ educatus esset, quæ Iosephi & Mariæ domicilium fuit, Matth. 13. 56. Hinc conspicuum est quæ fides & spes eorum esse possit qui rumorem vulgi suæ Religionis fundamentum ponunt, quos saltem triti ore omnium prouerbij meminisse decuerat, Stultos in turbam ruere: & hæc quidem non leuis culpa, multorum malorum origo. At hic error longè illo altero grauior. Nec enim Iesus esse Christus desiisset, etsi alio à Patre quàm Iesu nomine ornatus, quem Propheta priùs Immanuelem dixerat, duarum ipsius nempe naturarum respectu: sed esse Christus Dauidi promissus non poterat, & alibi quàm Bethlehemi nasci, quin Dei verbum per Micheam prophetam falsi coargueretur.

Hi errores in Sacerdotibus & Scribis prorsus inexcusabiles.

Cæterùm in Scribis & Sacerdotibus prorsus non excusandi isti errores. Nam quum sciuerint & audiuerint vbi Christus esset nasciturus,

turus, præter ſupputationem ſeptimanarum Danielis, qui cum cæteris Prophetis in Synagogis, Luc. 4.19. & Act. 13.27. diebus Sabbati legebatur. Magorum ex Oriente in vrbem Hieroſolymam aduentus, & ab ipſis redditum Herodi reſponſum, nonne ſaltem illos ad horum ſeriam indagationem excitare debuerant? Et vt hæc omittam, quæ deinceps contigerunt, infantium putà Bethlehemiticorũ cædes, à paſtoribus per totam regionem diuulgatus rumor, Luc.2.17. præſentatio in templo facta, Simeonis & Annæ propheтiſſæ teſtimonia, eôdem loci reddita, concio à Chriſto duodenario in Synagoga Hieroſolymis habita, Luc.2.46. tota Ioãnis Baptiſtæ prædicatio, hũc Seruatorem digito monſtrantis, nonne ſatis apertè demonſtrant iſtos Sacerdotes & Seniores populi, nec ſimplici ignorantia, nec tantùm inexcuſabili negligentia lapſos eſſe, ſed malitioſa induratione, quæ ipſos de loco natiuitatis Ieſu Chriſti prohibuit inquirere, & qua deinceps in eadem ignorantia tum ipſi tum alij etiam magis ac magis obfirmati ſunt, Ioh. 3.5. Ieſum Chriſtum in Galilæa, Nazarethę putà, natum, vt inde Chriſtum eſſe non poſſe aduerſus ſeipſos concluderent?

Quo ſenſu Ieſus Chriſtus ſit à Petro & Paulo Nazarenus dictus.

Quis verò Cleopam & alios diſcipulos eâdem iam dudũ opinione imbutos, vt ex Ioh. cap.45 & 46. patet, à craſſa & sũma ſtupiditate & negligentia liberarit, qui tam diu loquentem Magiſtrum audiuerant, ex quo hæc omnia ſciſcitari potuerũt ac debuerunt? Nam

extra dubium est, Cleopam hic ex animi sui sensu loquutum. At quum Petrus, melius edoctus, à resurrectione vocat eum Nazarenum, Act.4.10.& 3.6. & 2.22.& D.Paulus, Act. 26.9. & ipse Christus ita seipsum denominauit, eorum respectu factum est quos alloquebatur, vt ex noto cognomine agnosceretur, non autem vt communis error approbaretur. Et hic quidem primus in Cleopæ responso defectus.

Non satis est Christũ verum hominem dicere, nisi & verum Deũ agnoscas.

At quod sequitur longè maioris etiam est momenti. Verè quidem enim Cleopas magistrum suum hominem vocauit: sicuti etiam eũ hominẽ Petrus dixit, Act.2.2.2.& Apostolus Paulus, 2.Tim.2.5 non tamen hanc vocem restringens, quasi tantùm homo fuisset: sed Cleopas, quod ex eius sermone conspicuum est, sic hominem & quidem excellentissimum agnoscit, vt de eo nihil aliud nisi vt de homine sentiat. Qua in re ostendit iterũ quàm tum etiam religionis Christianæ, firmi fundamenti de persona Mediatoris esset ignarus. Nisi enim Iesus Christus non minus esset verus Deus quàm verus homo, quis sine idololatria vel in eo fiduciam suam collocaret, vel ipsum inuocaret? Annon etiam ipsi Seruatore & Reconciliatore apud Deum suum Creatorem opus esset.

Quanta sit statuenda differentia inter Iesum Christum, quum Propheta dici

Nihilo vero certiorem habebat Cleopas cognitionem officij Mediatoris, quem aliorum Prophetarum numero accensebat, licet lõgè aliis superiorem faciebat. Etsi enim Prophetæ vox, quocunque sensu accipiatur, meritò

ritò Iesu Christo tribuitur: sic tamen intelligenda vt in Christo discernatur, non tantùm secundùm reuelationis mensuram, Ioh. 3. 34. sed in re ipsa & modo eam habendi. Nam alij Prophetæ hanc gratiam aliunde acceperunt quàm à se: Iesus verò Christus quatenus Deus est, vna & eadem essentia & virtus cum Patre & Spiritu Sancto, seipsum hoc Spiritu, respectu suæ humanitatis, vnxit. Et quod maius est, tantum abest vt alij Prophetæ eiusdem cum illo sint dignitatis, vt contrà is ipse sit cuius spiritu afflati alij omnes Prophetæ loquuti sunt, 1. Pet. 1. 11. quíque quum supra cœlos ascẽderit vt cœlum ac terram regat, etiam quatenus homo est, Ioh. 5. 27. & Matth. 28. 18. non sanè simpliciter vt Scribæ ac Prophetæ loquutus est his plerunque verbis, *Sic dicit Dominus*, sed vt auctoritatem habens, Matth. 7. 29. & tãquam domus suæ dominus, Heb. 3. 6. his verbis vsus, *Amen, Amen, dico vobis*. Is enim est qui Ecclesiæ suæ Prophetas, Pastores ac Doctores dat, Ephes. 4. 11. Præterea discrimen est aliud longè maximum & essentiale inter Prophetas, Iesum Christum venturum prædicentes, & Iesum Christum qui substantia est Prophetiarum, quíque nobis, vt qui in sinu Patris sit, eum reuelauit. Ex qua collatione satis patet Cleopam valde rudem adhuc fuisse status Prophetici Domini nostri Iesu Christi, licet meritò doctrinam eius & opera magni fecerit: siue hanc Prophetæ vocem ad eius miracula restringamus, siue ad omnes eius actiones

tur, & alios Prophetas.

extendamus.

Abusus ex quo nascitur & fouetur falsa omnis religio, manat ex eo quod Sp. S. alligatur inseparabiliter personis, sedentibus primùm in cathedra Mosis, deinde Iesu Christi, quos tamē ad Lydium lapidem oportuerat examinari.

Vt autem ex hoc defectu fructum aliquem colligamus, summopere notandæ sunt duæ scaturigines è quibus omnes isti errores promanarunt. Harum prior est praua populi opinio, qui propterea quòd Deus summum Sacerdotem & eius assessores esse iusserat Legis totius Doctores atque expositores, Leuit. 10. 11. & Deut. 17. 10. & 11. ita Dei Spiritum personis illis alligabat, vt quicquid obtruderent tanquam verum & à Deo profectum acciperent. Altera est semel receptam opinionem mordicus retentam fuisse. En vt miser ille populus fuerit instar gregis miserarum ouium, quarum aliæ erraren sine pastore, Matth. 9. 16. aliæ essent instar cæcorum, quos alij cæci ducerent, Matth. 15. 14. Verumtamen ex sacrarum historiarum lectione, & Propherarum reprehensionibus ipsos oportuerat didicisse, tā Sacerdotes quàm alios templi ministros sæpissimè fuisse veræ doctrinæ hostes infensissimos, ac persecutores acerbissimos: & nominatim Esaias tam clarè prædixerat, perire nolentes cū irrisoribus supra populum in Hierusalem dominantibus, Esa. 28. 14. ex Lege & testimonio oportere iudicare tanquam veros discipulos obsignatos & compactos, Esa. 8. 16. sublata à sapientibus sapientia, & intelligentibus intelligentia, perfusis ipsis spiritu soporis, obtectis Prophetarum oculis, & primorum videntium, Esa. 29. 10. & 14. Et à quibus, obsecro, præcipuum lapidem ab ædificantibus reiiciendum

præ-

prædixerat Propheta, Psal.118.22.& Dominus ipse, Matth. 21. 42? Annon autem istud ipsum Ecclesiam Dei & miseras conscientias singulis seculis in hunc miserum statum impulit, in quem collapsam eam intuemur? Nam perditi illi homines qui se hodie Catholicæ Ecclesiæ repræsentatiuæ nomine venditant, horrendam profanationé in omnes veræ Religionis partes inuexisse conuicti, quid magis clamitare solent quàm Ecclesiam errare non posse? Quasi verò probauerint se eam esse Dei viuentis Ecclesiam, quam Paulus columnam veritatis dicit: quum tamen contrà omnibus, saltem non cæcutientibus, manifestum sit & intus & foris, verè potiùs illos esse Babylonem illam ingentem matrem scortationum & abominationum terræ, sanctorum inebriatam sanguine, & Iesu Christi martyrum, Apocal. 17.4. & 5. Cæterùm vna illis est hæc aduersus omnes quos adferimus ex Scriptura locos oppositio. Quînam verò vos estis, vt vos opponatis omnibus iis quæ antequam prodiretis, omnes credebant & faciebant? Annon, obsecro, firma illa fundamenta sunt ad ignaros erudiendos, & fulciendas conscientias labascentes, & cum infinitis tentationibus colluctantes? Tibi verò Domine Iesu Christe, gratias agimus immortales, quòd nobis, vt duobus istis tuis discipulis, occurrere dignatus sis, vt ex tot tantisque fallacibus & mendacibus hominum comméntis erueres: ac precamur etiam vt quo modo cœpisti pergas miseram Ecclesiam tuam in-

ſtaurare, ſicuti duos diſcipulos tuos pluribus erudiuiſti, quemadmodum deinceps audituri ſumus.

Falſa illa opinio, Paſtorum nomen præ ſe ferentibus indiſſ. rẽter adhibendã fidẽ, obſcurius facit quod eſt apertiſſimum: & adhuc hodie mẽtibus hominum tenebras offundit.

Vt igitur ad hiſtoriam reuertamur, Cleopas tantæ ſuæ anxietatis ex qua ſe non poſſet extricare duas cauſas adfert: primùm quinam id fieri potuiſſet, quod fidem omnem ſuperare videtur, Ieſum Chriſtum tam ſanctum & tam inſignem fuiſſe Prophetam, & tamen à præcipuis Sacerdotibus & populi Senioribus non modò non agnitum fuiſſe, quem tamen par erat ab ipſis melius quàm ab alio quouis agnoſci, ſed etiam odio habitum, & ad mortem vſque, & quidem mortem Crucis petitum. Deinde, qui fieri poſſet vt iam hoc triduo mortuus reuera, is eſſet qui Patribus fuerat promiſſus ad Iſraëlem liberandum: quod ſe tamẽ Cleopas cum aliis etiam diſcipulis dicit expectaſſe. Magnas illas profectò difficultates adfert, ex quibus videmus quàm facilè vnus error multos alios ac penè infinitos in hominum mentibus pariat. Nam Cleopas fieri omnino non poſſe quum preſupponeret, vt ſummi Sacerdotes ac Seniores populi eò vſque ignorantiæ aut improbitatis deueniſſent, obſcurum putat quod erat ſatis apertum, & contradictoria exiſtimat quæ pulchrè inter ſe conueniunt.

Vera ratio falſos paſtores à veris diſcernendi hæc vna eſt

Nam quid magis eſt proprium veritatis inimicis, quàm vt eandem reiiciant & perſequantur? Tales autem eſſe Sacerdotes & Gubernatores populi, Cleopas & alij diſcipuli col-

colligere ſaltem debuerant ex perpetua repugnãtia inter homines illos & Chriſtum, quem hoc ſuo reſponſo teſtabatur ſe tanquam Dei hominem, excellentiſſimúmque Prophetam agnoſcere, non ſanè illum quidem ſpecie tenus, ſed reipſa Deo & hominibus euidentiſſimo certóque teſtimonio approbatum. Annon iſtud ipſum hodie præſupponunt, tum miſeri cæci illi, quibus Religio eſt de Religionis cõtrouerſis capitibus inquirere, tum ij quibus aut ex parte aut omnino conſtat quidem de illis controuerſiis, ſed de ſopienda conſcientia tantùm cogitant? Quum igitur Cleopas Ieſum Chriſtum haberet pro tam ſancto & excellenti viro, nonne potuit ex eo cognoſcere eos à quibus ita fuerat condemnatus eſſe ſi non perditiſſimos & ab omnibus abominandos, ſaltem craſſiſſimæ ignorantiæ reos, ideóque reiiciendos? Non aliter hodie, ſi Euangelium pro vero admittitur, quomodo non habentur pro pſeudopaſtoribus à quibus illud reiicitur? Vt verò vtrum illud reiiciant nec ne cognoſcatur, an non oporteret, pro falſo illo præiudicio, non poſſe illos errare, diligenter inquirere an eorum doctrina ſit conformis Scripturis, necne? Hoc ipſe Dominus iuſſit, Eſa. 28.20. Ioh. 5.39. hoc vetus Eccleſia fecit, Act. 17.11. Hoc igitur adhuc hodie nobis faciendum erat. Contrà excipiunt alij quidem non eſſe veriſimile, Deum ſuam Eccleſiam eouſque deſeruiſſe, vt in tantam ignorantiam prolapſa ſit quantam aſſerimus: alij verò regerunt vt vt ſit non tamen al-

an cũ ſacra Scriptura conueniãt.

tare aduersus altare, sicuti facimus, fabricandum, transformando quæ reformanda potiùs fuerunt: alij Legitimi Concilij definitionem expectandam censent: quæ omnes pessimæ sunt conclusiones, ex falsis natæ præsuppositionibus.

Vt non est de Pastoribus malè sentiendũ, sic non temerè quorumlibet Pastorum doctrina vt necessario vera est recipienda.

Nam vt ad singula sigillatim respondeam: non dicimus habendos omnes Ecclesiæ Gubernatores pro falsis Doctoribus, sed quum tales esse possint, & tota veteris Ecclesiæ historia moneat, tum ipse Iesus Christus prædixerit, & Apostoli scriptis tradiderint, omniumque seculorum experientia doceat, cęcitatem, quam aduenisse dicimus, věturam fuisse, num illi, quęso, sapiunt qui quum in ea tempora inciderint, quibus tantopere hæc quæstio agitatatur, non magis mouentur quàm si ad eos nihil pertineret.

Nam credere quenquam seruari posse, qui non sit Christianus, idest qui de Deo non credat quæ credenda sunt, vt illi reconcilietur & sit gratus & acceptus: & quénquam credere posse quod ignoret: posse verò nosse non inquirentem sicuti quærendum est, non modò somniantis est, sed prorsus delirantis. Nam quicquid interrogatus aliquis responderit, & sine fundamento credere & admittere, quid aliud est quàm seipsum decipere, aut in periculum illud se conijcere, suámque conscientiam floccipendere, aut salutem aut damnationem rebus omnibus posthabere?

Ecclesia

Deinde, verum illud quidem fateor à Deo suam

ſuam Eccleſiam nunquam eſſe deſerendam, ac fideles paſtores & doctores, ideſt, fideles arcanorum Dei diſpenſatores, 1. Cor. 4. 1. eſſe ſui muneris reſpectu velut illius Eccleſiæ columnas, ſed hoc Eccleſiæ vocabulum, quo cœtus ouium Domini vocem non autem peregrini audientium ſignificatur, Ioh. 10. 6. & 27. ad eos reſtringere qui Gubernatores Eccleſiæ dicuntur, de quibus an reuera tales ſint ignoratur, non tolerandum errorem dico.

Vox non ad ſolos paſtores reſtringenda.

Nec magis eorum admittendam excuſationem cenſeo, qui ingenij ſui imbecillitatem prætexunt. Nam ſi couſque locum imbecillitati mentis dandum eſſe putamus, vt ſit tantopere deſperandum, quis oro idoneus erit vt Paſtor, aut etiam ouis fiat? Nec dicimus omnes Chriſtianos ad tantam ſcientiam debere peruenire, vt de quauis Chriſtianæ Religionis controuerſia reſpondere teneantur. At quum ſine fide nemo Deo placeat, fides autem rerum credendarum certam cognitionem præſupponat, ſeruandum quemlibet ad eam cognitionem vſque progredi neceſſe eſt: ac proinde nulla ſupereſt vocatis excuſatio, quæcunque tandem naturæ noſtræ incapacitas aut repugnantia occurrat, quin vocanti ſeſe docilem prębendo reſpondeat, quum fruſtra nunquam dixerit Dominus, Petite & dabitur vobis: quęrite & inuenietis, pulſate & aperietur vobis, Matt. 7. 7. & Luc. 11. 13. Quid amplius? Tantum abeſt vt propter incapacitatem animus deſpondendus ſit, vt nemo contrà dignus ſit hu-

Neminem ſua ingenij imbecillitas excuſat quominus ea inquirat quæ credere ipſum oportet.

ius sapientiæ cognitione, nisi qui stultitiam suam agnoscit, & eidem renunciat, Luc.10.21.

Non introducunt nouam Religionem qui solam verã & veterem suo loco depulsam à falsa restituunt.

Quid verò futurum est iis qui pro vetere suo altari pugnant, nouum nostrum appellantes, si tandem errorem suum agnoscant, se nimirum hoc pro alio accepisse, atque adeò Domini altare instaurare, suo loco prius motum ab iis qui Damasi altare substituere conabantur, 2. Reg. 16. 11. non esse Ecclesiam transformare, sed reformare?

Concilij definitionem expectantibus respondetur.

De Concilij verò definitione quapiam expectanda, vtinam tam illud esset facile, quàm repugnare omnia videntur. Quid autem fiet interea temporis morientibus? An in alio mũdo speramus tale quod futurum Concilium? Agite igitur, fratres, Deo gratias agamus, qui nos istiusmodi conclusionum atque inde manantium errorum falsitatẽ docuit, ac cum omni modestia & animi abiectione, nostríque & eorum omnium quæ sunt in homine diffidentia, supplices ab eo petamus maius in dies incrementum cœlestis huius sapientiæ, quam in sacrosancto verbo suo sanctæ suæ & infalibilis veritatis regula & amussi nobis reuelauit.

Iesu Christi mors ignominiosa magna eius gloria est, ac nostra salus aduersus vulgi errorem.

Altera illa Cleopæ quæstio & difficultas, quomodo Iesus Christus Ecclesiæ suæ Liberator esse queat verè mortuus, & quidem iam triduo, ex alia longè etiam absurdiore opinione, quàm superior, manat: vulgi nimirum errore, ad Regnum terrenum ac mundanum referentis, quæ de Messiæ spirituali ac cœlesti regno dicuntur. Error sanè perniciosus &

exi-

exitialis: qui tamen tam altas radices egerat in animis omniũ cuiuſcũque conditionis eſſent in hoc populo, vt ne Apoſtoli quidem, etiam quum Dominus in cœlum aſcenderet adhuc illũ depoſuiſſent, Act. 1. 6. eorũ obliti nimirũ quæ Dominus ipſe matri duorum præcipuorum Apoſtolorum reſponderat, Matth. 20. 22. & toties alibi. Licet autem hic error inualuerit, tantum tamen abeſt vt mors illa cum ignominia coniuncta quidquam detrahat, nec de Ieſu Chriſti gloria, nec de veri Iſraëlis reſtauratione, vt contrà, Cruce, veluti Gradibus quibuſdam in illam ſublimitatem euectus ſit, & nomen illud adeptus quod eſt ſupra omne nomen, Philipp. 2. 8. & 9. Atque etiam in ſola morte ipſius & ſanguinis effuſione Deo reconciliamur, Rom. 3. 24. Cleopas igitur ſibi difficultatem inextricabilem fingit, in eo ipſo in quo poſita eſt vera noſtrarum conſcientiarum tranquillitas: tam exitiale eſt vulgi errorem aut conſuetudinem, ſine diligentiore inquiſitione ſequi. Annon, inquam, in hæc dena multi aberrantes ſic à recta via deflectunt, vt niſi peculiari Dei gratia non poſſint in eam reuocari? Eia igitur, Deo gratias agamus, qui tam nobis hanc quàm alteram illam difficultatem enodarit: quique nos à lata illa porta & ſpatioſa via, quæ ad perditionem ducit, retractos, pro ſua immenſa miſericordia, in anguſtam viam, qua ad vitam peruenitur, & paucis cognitam, introduxit, Matth. 7. 13. Gratias, inquam, immortales agamus illi pro tanto be-

neficio, ac precemur eum, vt hanc ſemel ingreſſi ſemitam ſic inſiſtamus, ne vnquam ab ea vel ad dextram, vel ad læuam deflectamus. Amen.



HOMILIA NONA.

Luc.24.

22. *Sed & mulieres quædam ex nobis perculerunt nos, quæ diluculo venerunt ad monumentũ.*

23. *Et non inuento eius corpore venerunt, dicentes ſe etiam apparitionem Angelorum vidiſſe, qui dicunt eum viuere.*

24. *Et abierunt quidam eorum qui erant nobiſcum ad monumentum, & ita inuenerunt prout mulieres dixerant, ipſum verò non viderunt.*

25. *Tum ipſe dixit eis, O amentes & tardi corde ad credendum omnibus quæ loquuti ſunt Prophetæ.*

26. *Nonne hæc oportuit pati Chriſtum, & introire in gloriam ſuam?*

27. *Et incipiens à Moſe & omnibus Prophetis, interpretabatur illis in omnibus Scripturis quæ de ſe ſcripta erant.*

28. *Appropinquarunt igitur vico in quem proficiſcebantur, & ipſe ſimulabat longius ire.*

Hiſtoriæ ſeries.



ACTENVS audiuimus ex Cleopæ reſponſo, tum ſuo tum ſui comitis nomine cum quibus difficultatibus luctarentur, quæ duobus falſis principiis nitebantur-

bantur, quibus adhuc hodie multi decipiuntur. At quæ ſequuntur oſtendunt illos de concluſione cogitaſſe in meliorem partem, ſi modò certius & euidentius de Domini reſurrectione teſtimoniū accepiſſent. Nam ex Cleopæ verbis colligitur priùs ipſos vrbe fuiſſe egreſſos quàm aut Maria Magdalena, quę prior Dominum coram aſpexerat, Marc. 16.9. aut aliæ mulieres quibus in vrbem reuertentibus conſpiciendum ſe Dominus præbuerat, Matt. 28.9. Apoſtolis ea renuntiaſſent. Igitur exiuerant vrbe ſtatim ac quædam ex illis mulieribus, quas ad Angelorum conſpectum territas diximus aufugiſſe, non expectatis aliis quibus in via Dominus apparuit, veniſſent in vrbem, & poſt eas Petrus & Iohannes: quæ diligenter obſeruanda ſunt ad hiſtoriæ ſeriem intelligēdam. Neque verò duorum diſcipulorum incredulitatem iſta excuſant, etſi adhuc in vtrāque partem titubantium, aut credendi quæ ipſis erant nuntiata, aut etiam non credendi. Nam Angelorum ſenſibilis & palpabilis viſio, & eorūdem teſtimonium, ſatis magnum pondus, ad huic nuntiatæ rei fidem faciendam, habebant. At iſta quoniam fœminæ nuntiabant, & de viſionibus loquebātur, etſi Angelorum, idcirco hi diſcipuli, præterquàm quòd ipſis erat inſolens hæc reſurrectio, Ieſum Chriſtum arbitrabantur, ſi reſurrexiſſet potiùs appariturum cum inſigni quadam magnificentia, vt de ſuis hoſtibus confuſis triumpharet, ac proinde magnificum illud Regnum populo promiſ-

Humana ratio tum vulgus ipſum tum ipſos huius ſeculi ſapiētes ad incredulitatē noſtræ ſalutis reſpectu ducit.

ſum veniente Meſſia erigeret. Sic nimium ſæpe contingit, vt quos oportebat ſimpliciter Scripturæ fidem adhibere de re quapiam aſſeueranti, eos ſtyli quo Spiritus Sanctus vtitur ſimplicitas magis offendat, & immedicabile offendiculum adferat, quòd quis in ea loquatur, non ſatis attendant, vt par erat ipſos ad ſuam ædificationem facere. Idcirco etiam Euangelij prædicatio, qua Deus potentiſſimo inſtrumento vtitur ad ſalutem omnium credentium, Rom. 1. 16. viſa eſt huius ſeculi ſapiẽtibus mera ſtultitia, quòd falſum & ridiculum exiſtiment quicquid cum ſua ſtultitia, quam ſapientiam dicunt, non conuenit: quod Apoſtolus Paulus expertus eſt Athenis, Act. 17. 32. adeò vt Prophani auctores veram Religionem ab ipſo Deo populo ſuo dictatam, ſuperſtitionem & amentiam dixerint. At ſtandum nobis hac in parte Dei filij iudicio, vocantis hic amentes Cleopam & comitem ipſius, adeóque omnes ipſorum ſimiles. Nam eadem adhuc ſtultitia durat, & in dies procedit: licet iampridem Apoſtolus tam expreſsè, immò tam acriter, Corinthiorum illorum ſuperbiã corripuerit, qui ſanctiſſimam illam Apoſtoli ſimplicitatem quum faſtidirent, tantopere Euangelio prophanæ Rhetorices tunc in Græcia florentis coloribus adornato delectabantur: & quòd ad rem ipſam & doctrinę ſubſtantiam attinet, tam clarè præmonuerit Coloſſenſes, ne ſe deprædari paterentur per philoſophiam humanam, veræ ſcientiæ nomen emen-

emenritam, Col.2. 8. Atque vtinam iam tum pestis illa & & lues ab Ecclesia coacta fuisset exulare, quum contrà in dies noua subinde fecerit incrementa. Nam tum in hac historia, tum in aliis passim, nobis eorum occurrunt exempla quos solus sensus natura corruptus decipiebat. Verùm hæc naturalis ratio, iam satis per se corrupta & fallax, sese iã omni pigmentis & fuci genere adornatam offert mortalibus. Nam ex quo Deo placuit hoc nostro seculo linguarum & bonarum artium cognitionem instaurare, tam miserè pollutum est istud Dei donum, vt hodie, quum de Religione agitur nimium multi diuinam hanc puritatem mille speculationibus ex Philosophorum lacunis haustis polluãt atque prophanẽt. Sic enim Philosophorum scripta lectitant, non vt aliquam ab iis vtilitatem in huius vitæ negotiis referant, nec vt rebelles conuincant ab iis ipsis quæ sensus communis dictat, & quæ reliquiæ illæ lucis naturalis in magnis illis viris & humana sapientia præditis de veritate in multis capitibus docere potuerunt, ea in re Apostolorũ exemplũ sequuti, ac ipsorum etiam in multis locis Prophetarũ : sed contrà vt merum istud ex spõsi phialis haustũ, Cant.2.5. diluãt aqua cisternarũ, non aqua pluuia, sed humanis ratiocinationibus & imaginationibus plenarum : vt non immeritò dicat Apostolus magnos illos sapiẽtes inde suam insipientiam & fatuitatem prodidisse, Rom.1. 21. & 22. quòd modum non seruarint, aut assequi se posse pu-

putarint & de iis ſtatuere quæ caro nec ſanguis docere poſſunt, vt non immerito quidam ex veteribus dixerit, tales Philoſophos fuiſſe hæreticorum patriarchas.

Maxima prophanatio ſanctæ doctrinæ, in modo res ſacras cum affectata Rhetorice humana proponẽdi.

Vulgatum verò ac ſimplicem ſermonem quo Ieſus ipſe Chriſtus vſus eſt quanti hoc ſeculo faciunt, qui ſic Euangelij doctrinam proponunt vt parum aut nihil omnino Verbi diuini prædicatio, differre videatur à garrulitate declamatorum, aut rabularum, quæ prorſus repugnat rationi illi verbum Diuinum annuntiandi, quam & Prophetæ olim, & ipſe Dominus noſter Ieſus Chriſtus, & eius Apoſtoli ſecuti ſunt: cuius etiam expreſſam regulam Apoſtolus omnibus veris paſtoribus preſcribit, 1. Tim. 2. 13. idem apud ſuperbos illos Corinthios proteſtatus, 1. Cor. 2. 1. Nam omnem illorum orationem ſi diligenter expendas, nihil niſi verba reperias quibus auditorum æquè ac paſtorum ipſorum aures demulcentur. Abſit autem vt hac in parte bene dicendi ſcientiam, aut propriis, vſitatis ac ſignificantibus verbis vtendi, peritiam, ſiue quis doceat, ſiue exhortetur, arguat aut loquatur, reprehendam. Verum enim verò ſanctam hanc eloquentiam hauriendam dico, nõ ex oratorum preceptis, quæ huius vitæ negotiis relinquenda ſunt: ſed ex Prophetarum & Apoſtolorum ſcriptis, in quibus nullam videas ſententiarum affectationem, nullos verborum flores aliunde quæſitos, ſed ſententiarum ac verborum maximũ pondus, grauitatem, vehementiam, ex qua ſanæ

rę mentis omnibus hominibus ſit perſpicuum non ab humana arte illa proficiſci, ſed ex verè præceptis diuinis, cui nec ſapientia nec eloquentia humana potuit vnquam reſiſtere: ſed locum cedere coacta fuit. Act.26.24. Ioh.7.46.

Non ſufficit doctrinam docere, ſed eandem oportet applicari, adeò vt nonnunquã prout res ipſa poſtulat, acriores reprehẽſiones admiſceantur.

Sed vt vnde digreſſus ſum, reuertar, age perpendamus quid Dominum impulerit vt reprehenſione alioqui duriore, diſcipulos illos duos exciperet. Nec enim erant hi duo ſicuti diximus, ex eorum quos vocamus infideles & incredulos numero: ſed tantùm hærebant dubij: vt quibus etiam nondum ſe patefeciſſet. Duplex igitur quam adfert ratio eſt. Prior, nimium tardos ad credendum quod ipſos oportuerat ſine difficultate credere: qua in re ſi paulò duriore vocabulo Dominus vſus eſt, minimè tamen modum exceſſit, quaſi in prorſus incredulorum albo ipſos cenſeret. Altera eſt prioris confirmatio, quaſi Dominus his verbis eſſet vſus, veſtram hanc tarditatem reprehendo: non quòd quicquid effutitur credendum velim, ſed quòd ad rem pręſentem attinet, quam Prophetæ iam olim tam clarè prædixerunt, vt nullus ſit vobis dubitationi locus relictus: quum præſertim ſi ea falſa eſſent, is de quo loquimini non ſit futurus ille Chriſtus promiſſus Prophetarum vaticiniis. En ſummam huius reprehenſionis quæ maximam ac pretioſiſſimam doctrinam continet, quam vtinam Spiritus Sanctus in ſingulorum cordibus inſculpat. Primum igitur hinc diſcamus, Euangelij prædicationem, non eſſe

tantùm in ſui contextus expoſitione poſitam, & quarundam circa doctrinam quæſtionum enucleatione, quos fines plerique ſuis paſtoribus libenter præſcripſerint: ſed etiã in applicatione maximè cõſiſtere, prout fert auditorũ, aut morbidarũ ouium cõditio: futura alioquin inani & ſine fructu verbi Dei prædicatione. Atque iterum ad hunc iſti ſcopulum allidunt, qui patiuntur quidem ad contextum addi ſuaues aliquas conſolationes: immenſam Dei bonitatem ac miſericordiam erga miſeros peccatores commendari: ad bonã quemque opera diligenter etiam excitari: (quas fidelis eſſe Paſtoris partes quouis loco & tempore nõ inficiamur, quũ ipſe Spiritus Sanctus tam pretioſum Conſolatoris nomen aſſumpſerit) ſed ſi ad reprehenſiones deueniatur, alij quidem, & ſæpe nocentiſſimi, ſibi iniuriam fieri queruntur: & libenter bonis ac fidelibus paſtoribus potiùs caruerint quàm vt tales ferant: alij verò quod minimè voti ſui compotes fieri queant, fremunt & ſtridunt dentibus, ac in deterius labuntur: alij ad ſuam trutinam has reprehenſiones examinant, & modum eas ſemper excedere iudicant. Denique ægrotis iam ſimiles facti, vix patimur noſtra vlcera tractari, aut iis curandis & tentandis ſcalprum veluti chirurgicum adhiberi. Quid hic igitur fido Paſtori facto opus eſt? Næ, ſi velit hominibus placere, non eſt amplius Dei ſeruus, Gal. 1. 10. Primùm igitur Spiritum diſcretionis poſt ſcientiam à Deo flagitabit, vt nihil

nihil temerè, nihil nisi probè cognitum reprehendat. Deinde verum vsum diuini eloquij postulabit, vt non tantùm loquatur, sed etiam vt oportet liberè loquatur, Ephes.6 20. Itaque aduersus omnes minas intrepidus stabit, & obturatis auribus sine vllo personarū respectu, Domino auscultabit sic ipsum per Prophetam Esaiam admonenti, Exclama gutture, ne cohibeto, tanquam buccina extolle vocem tuam, & indica populo meo defectionem ipsorum, & domui Iacobi peccata ipsorum: Audiet, inquam, Apostoli buccinam eum his verbis admonentem, Prædica sermonem, insta tempestiuè, intempestiuê: argue, obiurga, 2. Tim.4.2.

Fidelis pastor non ludit operam, etsi non recipiatur eius verbū.

Caueat verò fidelis Pastor, ne fastidium illi obrepat, quòd se operā ludere existimet. Nec enim Esaias destitit populum rebellem & cótradicentem, annos circiter sexaginta monere & hortari: nec Iesus Christus Dominus noster Sacerdotes ac Pharisæos, à quibus tandem in Crucem actus est. Quinimo discimus ex quotidiana experientia, plerunque sementem in iis tandem germinare qui ad tempus saxis duriores fuerant: & contrà in iis perdi quos ad tempus bonum ac fertile solum arbitrabamur. Nostrum igitur est qui hoc munus accepimus serere, plantare, & rigare, obsequi ei à quo mittimus, & sementis incrementum eius prouidentiæ ac potentiæ permittere.

Doctrina ex sacris

Deinde summopere cauendum, ne temerarij deprehendamur sanctæ cuiusdam παῤῥησίας

Scripturis eruenda est necessariò: quamobrē etiam Iesus Christus Propheta-rum oracula in reprehensionibus adhibuit, quod hodie singulis pastoribus est imitādum.

prætextu: quod facilè cauebitur, si attendamus quomodo Dominus noster Iesus Christus, quem oportuit audiri sine vlla prorsus exceptione, tamen ex Prophetarum oraculis suam reprehēsionem eruit, tum hoc loco, tum aliàs etiā quādiu in his terris docuit: nō quòd Prophetæ superiores eo fuerint, cuius vnius instinctu ac Spiritu Prophetę olim loquuti sūt, & ad nos scripta sua transmiserunt, 1. Pet. 1. 11. sed quòd hāc diuinarum prędictionum collationem cum earundem euētu oportuerit maximè incredulis os occludere. Quid iis igitur faciendum putamus, quorum ore Dominus vult hodie suam Ecclesiam docere, consolari, reprehendere, corripere? An aliunde licebit ipsis quàm ex hoc fonte haurire quod dicturi sunt? Non id suadet Apostolus, etiam anathemate feriens Angelos cœlestes, siquis aliud Euangelium quàm quod ipse prædicauerat, annuntiaret, Gal. 1. 8. Prophetarum porro scripta minimè sunt ab hoc testimonio veritatis excludenda, quòd eorum prædictiones iam impletæ sint. Nam præterquàm quòd nonnullarum adhuc impletionem expectamus, (non eorum quidem respectu quæ pro nobis Dominum dicere & pati oportuit, sunt enim impleta illa omnia, Ioh. 19. 30. sed Ecclesiæ suæ gubernationis, & plenæ exhibitionis eorum quæ credimus & speramus) doctrinæ Euangelicæ veritas confirmata Prophetiarum impletione maximum habet pondus ad Epicureos omnes & diuinæ maiestatis contempto-

ptores, quibus hodie mundus ſcatet, conuincendos, & fideles in ipſis patefacta veritate diuina confirmandos.

Tertiò notandum, hic non de quibuſuis Prophetis Dominum loqui. Nam in Eccleſiam Dei pſeudoprophetæ multi ſemper irrepſerunt, quibus hodie terrarum orbis plenus eſt. At de ſacroſanctis libris Canonicis agit, de quorum authoritate Synagoga non ambigebat: etſi velamine mentes illorum occallerent, vt in Prophetarum lectione cæcutirent, 2. Cor. 3.14. Ab illis igitur ſolis hodie nobis ſtandum eſt, additis ſcriptis Apoſtolicis, & ij imitandi nobis de quibus agitur, Actor. cap. 17.11. Quoniam verò iam pridem Satan immenſam farraginem falſorum Scriptorum obtruſit pro ſcriptis Apoſtolicis, qua de re cóqueritur ipſe Apoſtolus, 2. Theſſ. 2.2. idcirco Canon Eccleſię Chriſtianæ retinendus eſt, ad Canonis Iudaici veritatem collatus, irrefragabilis vterque, vt ad illos quicquam adiicere, aut de illis detrahere, nulli vnquã licuerit aut liceat, ac ne Angelis quidem cœleſtibus.

Libris Canonicis ſtandũ, vt certa ſit noſtra fides.

Neque verò tantùm hæc additio detractióue intelligenda eſt de iis libris quos per Dei gratiã, vetus Eccleſia nominatim repudiauit & exploſit: & quos tamen hodie quoſdã non pudet etiam typis excuſos nobis, vt recoctam crambem, reponere: ſed eandem falſitatem admitti ſciendum eſt, in omnibus verorum textuum interpretationibus, quæ aliũde quàm ex ipſis Scripturis eruuntur.

Non minus falſæ interpretationes fugiendæ quàm falſus contextus.

Facilis ratio falsas omnes expositiones diiudicādi.

Has autem omnes falsas expositiones facillimè dignoscemus, eas examinantes ad nostræ fidei articulos, qui Apostolico symbolo continentur, diuinitus in hunc finem ab Ecclesia primitiua constructo. At si huius veritatis aduersariorum obiectioni locus esset, Scripturæ nimirum obscuritatem aliunde allatam interpretationem postulare (& huius quidem sibi auctoritatem nomine & titulo Ecclesiæ Catholicæ vendicant) quo tandem fundamento niteretur Domini conclusio? Num enim dixerint Apostolorum prædicationem obscuriorem fuisse quàm prophetarum? & Legis vmbras ac figuras Luce Euāgelij fuisse clariores, & suum Euangelium, id est quod adiiciunt de suo ad Scripturas, quod immutant aut de iisdem detrahūt, esse certius quàm scripta Prophetarum & Apostolorum? Forta$s$is eò deuenient impudentiæ, vt ausint dicere: at ni apertè dixerint, tamen præsupponunt. At quis fidem ipsis adhibebit, nisi qui sponte velit decipi?

Sacras Scripturas ab omnibus Christianis oportet cognosci.

Præterea si Christianis singulis nō licet scripta Prophetarum & Apostolorum legere, ex quibus falsum à vero discernatur, quorsum istos Christus ad Prophetas relegat, & omnes Christiani hodie ad Domini verbum remittūtur tanquam semem incorruptibile in genere totius Ecclesiæ, priuatimque singulorum ipsius membrorum? 1. Pet. 1. 23.

Si tarditas ad creden-

Quartò, si verè amentes sunt, tardi corde ad credendum Scripturis, vt hic Dominus loquitur:

tur: quid iis fiet qui nunquam de iis inquirunt? qui etiam miseram plebem ab earum lectione arcent? quid etiam iis qui hanc scholam quidem frequentant, non vt aliquid in ea discant, sed sua præiudicia adferant, & humanas ratiocinationes, id est lucernam tenebricosam ad Solem illustrandum? Tantum abest igitur, vt naturalis ille noster sensus, qui nihil nisi caro est & sanguis, & ad nos inexcusabiles reddendos tantum prodest, nos in hanc veritatem possit introducere, vt contrà sapientibus illis nulli sint insipientiores. Nam quæ maior, obsecro vos, est amentia ea quæ Luci vult allucere tenebras? Alphabetum igitur Christianorum nobis est summoperè meditandum, quod in abnegatione sui positum est: nec tantùm intelligitur nec etiam præcipuè, de concupiscẽtiis prauis & brutis affectibus: sed in primis de egregia illa scilicet ratione & intelligẽtia cæca, præcipua mali nostri sede, quæ si principatum teneat, Euangelium vnicam salutis nostræ doctrinam, in scandalum sine dubio vertet, aut tanquam stultitiam contemnendum proponet, quod tamen ad vitam æternam tanquam veram & vnicam Dei sapientiam recipi par est. *dum graue meretur reprehensionem, quantò magis doctrinæ totius contemptus? Et vnde hæc proueniant.*

Quando verò mundus istud agniturus est? Quum se nimirum esse cæcum cognouerit, id est, nunquam, vel iis testibus quos Dominus alloquitur, Ioh. 9. 41. Nos verò, fratres, qui ex eorum numero sumus quos Deus speciali gratia dignatus est, vt è tenebris huius seculi eru- *Remedium aduersus hæc mala.*

tos vocaret nos ad lucem ſuam admirabilem, 1. Pet. 2. 9. & quos in ſingularis ſuæ bonitatis & prouidentiæ exemplar omnibus tum proximis, tum longè à nobis diſſitis hominibus propoſuit, diſcamus à Deo ſupplicibus votis impetrare ſenſus Lucis ipſius noua quotidie incrementa: quod vt facilius conſequamur, magis ac magis agnoſcamus, nos à nobis ipſis nec oculos habere ad videndum, nec aures ad audiendum, nec pedes ad ambulandum: ac etiam quicquid aſſequuti ſimus mox in fumos abiturum, ſi pro eo quod oportebat, nos ex fide in fidem procedere, & Luce in Lucem, locum præparamus ſeptem ſpiritibus deterioribus eo qui expulſus erat. Atque vtinam non viderem, cum maximo meo mœrore, nimium magna horum malorum initia in maxima noſtrûm parte, ne longius excurram.

Quàm ſtupẽdas rationes ſibi homines fingãt quibus magis ac magis ſuam incredulitatem foueãt, magis ac magis ſuum animum ingratum ac ſuam ſtupiditatem detegentes.

Quinto loco, duorum diſcipulorum iſtorum conſideranda concluſio eſt, qui nõ prorſus à via aberrabant, quorum vtinam in diſcendo ſimplicitatem ac docilitatem multi imitarentur. Mulieres non ſuſpectæ nuntiauerant ipſis ſe viſionem Angelorum habuiſſe: duo verò ex ipſis Apoſtolis retulerant ea quæ in ſepulchro ſuis oculis conſpexerant, in hoc ſaltem haudquaquam à mulieribus diſſentanea narrantes. Quid igitur impedit quominus Domini reſurrectionem credant? Nempe, nemo conſpectum à ſe nuntiabat. Quid ergo? Non ſatis erit Dominum eò vſque ſe abiicere, vt nos res ſpirituales doceat per aliquem ex

noſtris

noſtris ſenſibus (quod maximum Dei beneficium eſt de ſua Maieſtate veluti cedentis) niſi etiam viſu,tactu,guſtu,auditu & odoratu percipiatur? Sed iſta omnia ſic eſſe facta concedamus: tamen intelligentiam ad illum cognoſcendum hæc omnia tranſcendere oportet, & quidem contra id quod ſenſus noſtri dictant, & concludunt. Nam ſuis oculis intueri Ieſum Chriſtum à mortuis ſuſcitatum, nondum tamē erat ipſum noſſe, nec reſurrectionis ipſius fructum percipere. Sed ſuperioribus iſtud malum accedit, quòd naturalem intelligentiam ſi ſenſus ipſi arguant in re quapiam quæ captum eius ſuperet, non modò non ipſa proficiat, ſed aut prorſus quæ ſenſibus apprehendit rideat, aut in ſtupore in vtramque partem fluctuans, permaneat. Neque procul huius rei exempla quærenda ſunt, quum illius certiſſimum teſtimonium nobis ſequens hiſtoria ſuppeditet, in iis quæ de ipſis Apoſtolis deinceps ſunt recitanda, quum ſe ipſis Dominus videndum ac palpandum præbuit. Quàm miſer igitur homo eſt, quum pulcherrimum quod acceperat à Domino inſtrumentum, quo ipſum cognoſceret, & per eam cognitionem ad ſummam felicitatem perueniret, ſic deprauatum & corruptum ſit, vt nihil ſit in homine quod magis veritati illi reluctetur, mináſque ei pareat quàm ille ipſe ὀρθὸς λόγος Rom. 8. 7. adeò vt pro eo quod Sophiſtæ ſibi perſuadent noſtram rationem, quam vocant, tantum opus habere vt præueniatur & adiuuetur, ſit

nobis à Domino petendum, vt eam prorsus immutet ac corrigat: quinimo vt quòd ad hãc veritatem attinet mortuam Ephes. 2. 1. viuificet, motúmque ac sensum in nobis ab initio ad finem vsque efficiat. Ecquid aliud autem magis decet nos à Deo postulare hodie, si vnquam aliàs, in tanta mundi contumacia prorsus inexcusanda, quàm illud ipsum, quum presertim Dominus, præter hanc historiam tot suæ resurrectionis & regni sui cœlestis sancitam, testimoniis sensibilibus & palpabilibus quadraginta dierum spatio, & traditis monumentis confirmatam, quæ in finem vsque seculorum legantur & audiantur, nostro tempore longè fortasse plura testimonia miserit eorum quæ nobis credenda sperandáque sunt quàm vllis post Apostolorum memoriam seculis? Sed quis habet oculos ad hæc conspicienda, & aures ad audienda? Heu quàm pauci: quum etiam inter eos, qui hæc considerant, maximè lyncei, vel lippi sint, vel omnino cæcutiant! Hic tamen suspiciendus est, & in sublimi contuendus, oculis nimirum fidei, quos vtinam Deus non habentibus largiatur, & iam habentibus augeat: quod in illius cæci sanatione, de quo apud Marc. 8. 4. fit nobis conspicuum.

Veram fidem exteriora & interiora semper comitãtur, & pulchrè inter

Sexto loco, memoria tenendum, non postulare Dominum simpliciter vt credatur, sed vt corde credatur: quod de iis dicitur non tãtùm in quibus nihil est nisi hypocrisis ad alios decipiendos; sed de iis potissimum qui con-

scien-

ſcientiam ſuam ſopientes ſibi ipſis miſerè imponunt, ſibique perſuadent Dominum, quum interiorem hominis partem poſtulet, parum eſſe de exteriore ſolicitũ, ſibîque ideo licere, in rebus indifferentibus quicquid adlibuerit affingere. Tales autem hypocritas ſcire velim Deum qui non minus exteriora quàm interiora formauit, aut totum hominem aut nihil poſtulare: ac neminem vnquam coram Deo vel habitum vel habẽdum verè Chriſtianum, niſi qui interius credit, & foris illud apertè demonſtrat. Qui ſi nolunt fidem illi habere qui ipſe iudex eorum futurus eſt, quîque ipſemet ſententiam tulit, Matth. 10. 32. & Luc. 12. 8. næ ſuo damno ſunt illud experturi quum non amplius diſcendi locus erit, ſed coram tribunali ſtandum, à quo nulla prouocatio eſt.

ſe conueniant.

Septimo loco obſeruandum eſt Dominum non tantùm velle indefinitè Prophetis fidem adhiberi: ſed omnibus quæ à Prophetis dicta ſunt, ac proinde iis quæ Deus etiam per Apoſtolos clariùs patefecit. Vbi eſt igitur illa fides implicita, vel potiùs omnino nulla, qua tamẽ maximi illi Catholici Romani miſerum orbem dementãt? Quînam verò dixeris eam veram Eccleſiam in qua omnia peregrina lingua traduntur, in qua miſerę animæ verbi non ſcripti veneno inficiuntur, & totus Dei cultus in cantilenas & mimicas geſticulationes conuertuntur?

In vera fide interius & exterius ſemper conueniunt.

Denique quorſum in credentibus haberentur qui de hac ſcientia tantum detrahunt,

Vera fidès nihil detrahit, addit,

aut immutat in Scripturis.

quantum aut naturali sensui displicet, aut falsę illi Philosophiæ, idest artificiali stultitiæ, de qua loqitur Apostolus, Col. 2.8? aut phanaticis cerebris, quorum est hodie, si aliàs vnquam, amplissima seges? His autem omnibus opponamus, fratres, veram animi demissionem, religioni ducentes extra scripturas, ne latū quidem vnguem recedere, in illis solis axiomata & principia nostra quærentes, ab omni profana curiositate aliena: & præsertim à fictitia humilitate, quæ maxima superbia est, qua fraude Satan in Ecclesiæ sinum se iampridē sic insinuauit, vt etiamnum hodie non possit expelli. Et hoc quidem Apostolus expressissimè, sed, vt videmus, frustra, Coloss. 2.23. præmonuerat.

Scripturæ veritas propriè pendet à Dei auctoritate. Sed id non impedit quominus veris rationibus cum Scriptura coniunctis vtamur in contumacibus arguendis: & credentibus confirmandis.

Cæterum Dominus vlterius progreditur. Nam de iis quæ passus erat loquens, tum dè sua resurrectione & ascensu, gloriaque sempiterna sequutura dicit, *Nonne oportebat Christum hæc pati, & ita in suam gloriam intrare?* Hic verò primùm hæc quæstio occurrit, an non satis sit Scripturas adferre, sine alia vlla quàm sanctæ Dei voluntatis ratione, verbo suo patefactæ, quum tamen Iesus Christus aliquam rationem ostendere velle videatur, qua nitantur quę sacris literis mandata sunt. Quinetiam videmus veterum Patrum temporibus, & nostro etiam hodie seculo non paucos eruditos viros, vt contemptoribus & atheis os occludant, nostram religionem eximiis & apparentibus rationibus confirmare. Respondeo igitur primùm rèuera solam Dei voluntatem nobis sacro-

crosancto verbo suo testatam, solum esse ac immutabile veræ fidei fundamentum, quandoquidem vnica regula est & amussis ad quam rationem quamlibet oportet exigi. Ac sanè eò nos deducit vox illa, *Oportebat*. Nec enim deerant Domino aliæ rationes suos seruandi quascunque illi libuisset adhibere: sed quandoquidem ita decreuerat ab æterno, & per suos Prophetas id mundo patefecerat, sanè istud aliter fieri nec poterat nec debebat, etiam si causas omnes & circunstantias secundas têporum & personarum inspexeris, quibus oportebat illa necessariò sicuti prædicta fuerant euenire. Quod nisi fundamentum iaciamus diuinæ prouidentiæ, res etiã minimas contingêtis, tantumdem de eius Maiestate detrahimus, infinita nimirum eius potentia & sapientia in rerum omnium à se creatarum administratione: ac proinde aut causas naturales Deo substitui oportebit, sine vllo Duce ac Gubernatore: aut abominandum illud Fortunæ idolum. Et hanc tamen prouidentiam ineuitabilem, euentuum respectu, sic cõsideramus, vt Deum non faciamus vllius rei malè vel dictæ vel factæ conscium, quum Deus omnem iniquitatem meritò semper oderit & vindicet. Verùm ista non impediunt quominus quantum fieri potest ac debet, modò ne Dei sapientiam nostræ rationi subiiciamus, sed modum seruemus, ac honorem Dei sapientiæ debitum reddamus, principia illa reliqua in hominum intelligentia, quibus impudentissimis ac præ-

fractæ frontis hominibus huius veritatis inimicis os obturetur, in medium adferamus. Sic D. Paulus ad Romanos scribens, etsi iam Euãgelium amplexatos, non sine ingentis fidei testimonio, omnem idololatriam ac superstitionem, Iudæorúmque superbam opinionem de se præ aliis Gentibus oppugnat vnica ratione naturali, nullis vnquam seculis ex humana intelligentia delebili: quemadmodum etiam Athenis aduersus Philosophos iisdem rationibus disputat, Act. 17. Hinc natæ tot eximiæ verissimæque tum in diuinis tum in humanis rebus sententiæ, ridiculis & ineptis quàm plurimis prophanorum scriptis omnis generis intermicantes.

Quanta ratiocinationis humanæ sit imbecillitas, cui nullus est locus in nostræ salutis capite præcipuo.

Sed quid agas? Inexcusabilibus tantùm reddendis hominibus ista sufficiunt, quòd nec meliores nec iustiores illos hæc cognitio naturalis reddat. At quum de veri Dei cognitione agitur, quæ vna essentia est in tribus personis: déque modo quo ipsi reconciliati salutem consequamur, ibi nostra intelligentia non modò cæcutit, sed quòd longè grauius est adeò resistit ac tam pertinaciter, vt oporteat eam ex singulari Dei gratia suam stultitiam prius agnoscere, vt aliam deinceps sapientiam agnoscat, quam caro & sanguis non docent, sed Deus ipse in Filio suo per Sp. Sanctum in iis quorum illustrare mentem & ad se pertrahere dignatur.

[illegible] fidei [illegible]stræ arti[illegible] nõ ni-

Verumtamen haud verebor profiteri, licet illa Dei sapientia sola fide discatur, non autem hu-

humana ratiocinatione, nullum tamen articulum esse fidei, qui non probari possit certis & indubitatis principiis, quibus nemo nisi insigniter impudens possit contradicere: cuius rei fidem faciunt scripta veterum doctissimorum Christianorum Philosophorum aduersus idololatras & Ethnicos, quæ ampliorem sanè tractatum meritò poscerent.

tantur humana ratiocinatione, nullus est in ipsis tamen quem non possimus verum esse naturalibus principiis probare.

Sed aliis omissis articulis, de hoc aliquid amplius dicam quo de hic quæstio agitatur, homines putà seruari non posse alia ratione quàm per vnicum Seruatorem qualem Scripturæ docent, verum Deum & verum hominem, hominem, inquam, passibilem reipsa, vt Apostolus coram Agrippa rege disseruit, Act. 26.22. plenumque dolorum, contemptum ac reiectum, vt loquitur, Esa. 53. 3. deinde per resurrectionem à mortuis in summum dignitatis gradum euectum, in quem alios secum traheret. Illa, inquam, omnia vera esse & ita fieri oportuisse naturalibus principiis probari ac demonstrari possunt, aut alioquin hominibus pereundum fuisse, aut Deum non fuisse Deum (quæ nimium absurda sunt) hoc vnico posito ac concesso, Deum summè iustum esse ac summè misericordem, & omnes homines esse peccatores: quę nemo, nisi prorsus insanus, audeat inficiari. En igitur certissimam ratiocinationem: Deum oportet quandoquidem summè iustus est, hominum peccata tanquam Deum vindicare, pœnis nimirum infinitæ eius Maiestati respondentibus: quod si fecerit in singu-

Superiorũ probatio in articulo de nostro Redemptore, & iis quæ pro nobis fecit & passus est.

los animaduertens, quandoquidem singuli omnes peccatores, nullius miserebitur: & ita singulos oportebit in perditionẽ abire. Sin autẽ omniũ misereatur, perfectissimâ illâ iustitiâ suâ & quidem infinitâ spoliatur, ac proinde non amplius nisi hominũ more Deus est. Idem esto dictũ de vnico homine, si eius sic misereatur, vt in eũ non animaduertat tanquam Deus. Quinam autẽ aliquis, quisquis ille sit, simul eodẽ tẽpore in ęternũ pereat & seruetur? Superest igitur vt ipsemet debiti persolutorem se cõstituat, in quo summa eius iustitia, summaquẽ misericordia simul conueniant, vadem se ac sponsorem pro aliis omnibus offerẽs quorum misereri ipsi placuerit. Qualem autem illum esse oportet? Verum hominem, quandoquidẽ humana natura peccauit, & debitũ persoluere tenetur. Qualem autẽ hominem? Nempe sine macula. Nam alioquin ipsemet opus haberet alio seruatore, Deo verò non esset acceptũ immundum ac prophanum persolutionis munus. Verum igitur hominem esse oportet quòd ad substantiam, verúmque Adami primi hominis filium. Nam si homo esset alia qualibet humana natura, ea natura quæ rea est ac debitrix in hoc sponsore non persolueret debitum. Vt autem talis sit, sine vlla macula ac labe peccati, & contrà purus & integer, concipi & nasci ipsum oportuit alia ratione quàm peccatores homines ex parentibus peccatoribus nasci soleant. Quis autem ista perficiet? Virtus Altissimi. Cui autem fe-

rendæ pœnæ parem esse hunc sponsorem oportet? Ei quæ Dei offensæ Maiestati respondeat, vt tamen illius oneri non succumbat. Nam si tanquam sponsor sub hoc pondere fatisceret, quid miseris peccatoribus fieret? Quis porro ex tanto agone victor emergat, nisi sit ipsemet Deus? Cui enim Dominum nisi sibi ipsi parem faciemus? Ergo hunc sponsorem nō minùs Deum quàm hominem esse oportuit, qui humanam naturam sustineret eousque dum totam iram Dei absorberet, distincta tamen persona feriente, nō separata (vnius enim Dei vnica essentia est) à persona quæ in hac humanitate percutitur: quíque persoluto illo pretio sibi suísque quos asseruit coronā gloriæ reportet: quod fieri non potest nisi resurgat & magnificus ac gloriosus in eam immortalitatem gloriosam ascendat quæ summæ misericordiæ cumulus est, eos pro quibus fideiussit ac persoluit secum adducens eiusdē felicitatis in æternum participes futuros, Heb. 2.10. Has igitur conclusiones age ex posita propositione simul coniungamus: ad seruandos eos quos Deus ad salutem destinarat, oportuisse Seruatorem esse Deum, alium respectu personæ ab eo qui eum percussit, qui Filius est, & simul etiam verum in vnitate personæ hominem, ac proinde virtute Spiritus Sancti conceptum, qui pœnas peccatis nostris debitas lueret corpore & anima, iustus pro iniustis moriēs, quique sua resurrectione mortis imperiū destruēs in possessionem gloriæ æternæ sibi & suis

partæ veniret: ex immensa Dei misericordia nobis tali Seruatore destinato ac dato, sicut erat iã olim per Prophetas pollicitus. En quomodo istud arcanum, licet siue decretum respicias, siue executionem, nitatur hac vnica Dei sapientia, bonitate & potentia, longè superante omnes ingenij nostri vires, atque sit illud verum & vnicum nostræ fidei fundamẽtum: tamen ex reliquis etiam in homine certis quibusdam principiis probetur, quibus contradicentes in absurditates maximas & inextricabiles deducti, aut Deo gloriam dare cogantur, aut prorsus cum summo pudore obmutescere.

Non sufficit Scripturas iactare, nisi etiam ex iisdem adducãtur testimonia.

Textus noster habet deinceps Dominum postquam sic in genere de Scriptorum Propheticorum auctoritate disseruisset, sigillatim illa ipsis exposuisse & à Mose exorsum, deinceps alia Prophetarum testimonia percurrisse, quibus tũ abiectissimo illi statui Messię, tum eiusdem gloriosissimæ victoriæ fides fiebat. Hæc verò quum nec Rabini, nec Iudæorum falsi doctores auderent inficiari, nec tamẽ possent in vno eodémque homine tam cõtrarias duas qualitates conciliare, multóque minus vellent eius Deitatem agnoscere, coacti sunt duos pro vno Messias facere, alterum abiectum & humilem, alterum verò gloriosum & sublimem, vt duos dum quærunt, nullum habeant. Quin etiam hinc discendum, Iesum Christum non imitatum hic falsos doctores, qui semper in ore Deum & eius verbum ha-

habent, & sanctæ Ecclesiæ matris auctoritatem subinde iactitant, sed si ex Scripturis eruenda sunt testimonia, statim verbum illud suum ἄγραφον, traditiones patrum, antiquitatem, & Conciliorum laruam obiiciũt: sed quo iure, Deus esto iudex, quum excutiuntur ipsorum testimonia, & egregię cõclusiones ad lydium lapidem examinantur: parùm sanè memores dicti cuiusdam ex veteribus Patribus & magis Orthodoxis, quod scriptis suis tradidit, quæ sine Scripturis in medium adferuntur, tam facilè posse reiici quàm facilè proponuntur.

Curiositas eorum qui vellẽt expositiones illas omniũ Prophetarum quas Christus in mediũ attulit, monumẽtis conscriptas fuisse.

Cæterùm minimè dubito quin multi desiderent hæc Scripturæ testimonia, quæ Christus in medium attulit, & fusissimè vt verisimile est, ac diuinissimè exposuit, vt dicunt etiam hi discipuli deinceps, vers. 32. monumẽtis suis ab Euangelistis inserta, summo totius Ecclesiæ cõmodo, fuisse. Sed quæ discipulus ille dilectus ad hæc respondit olim nobis etiam oportet satisfacere, Ioh. 20. 30. & 31. & 21. 25. quum nihil sit à Sp. Sancto prætermissum eorum quæ ex Ecclesiæ vtilitate esse iudicauit. Ac proculdubio nescio an qui plura scripta desiderant, futuri sint propterea in eorum lectione ac meditatione diligentiores: quum tanta sit negligentia in iis euoluendis quę nobis reliqua sunt: sed ita nati sunt homines vt præsentia contemnant, absentia requirant.

Quomodo differant mendaciũ,

Denique noster Euangelista narrat hos sermones fuisse productos vsque ad vicũ in quem

simulatio vel dissimulatio. Et quo modo duo hæc postrema sint licita.

illi proficiscebantur, Dominúmque, quum ibi mansuri essent, finxisse se longiùs relictis illi progredi velle. Qua in re occurrit quæstio maximi momenti, nempe, liceat-ne aliquid dicere vel facere præter animi sensum: hoc etiam posito, bonam semper ac rectam esse cogitationem ac mentem. Nam si mala est, Dei nempe voluntati contraria, aut proximi ædificationi, extra quæstionem est, nunquam esse nec apertè nec occultè faciendum malè vel loquẽdum. Quo posito, dico nobis hic duo cauenda extrema, ne nimium simus religiosi, aut parũ. Nimium religiosos voco eos, qui putant semper sine exceptione quod intus est, seu voce, seu gestu prodendum. Parùm religiosos verò qui mentiri nihili faciunt, aut per iocũ, aut vt proximus iuuetur, lęsa veritate & conscientia. Nihilominus quoniam inter extrema vitiosa alia magis recedunt à medio in quo virtus cõsistit quàm alia, veluti prodigalitas minùs recedit à Liberalitate quàm auaritia, ideo defectus nimium religiosi longè excusabilior est defectu parùm religiosi. Igitur à Spiritu Sancto medium inter hæc extrema discẽdum est. Quod vt assequamur, aio primùm diligenter vitandas omnes occasiones quibus in has angustias coarctemur, vt aut verbis, aut gestu aliquid simulemus. Deinde aio plurimum inter se differre, non dicere, aut exterius non prodere quæcunque cogitantur, aut non dicere vel exterius exhibere quæ cogitantur eodẽ prorsus modo atque cogitantur, & Mentiri, verbis

aut

aut gestu. Exempli gratia, Dominus iubet Esaiam Prophetam Ezechię mortem imminentem nuntiare: & Ionam Niniuitis subuersionem intra dies quadraginta minari: quæ tamẽ non omnino decreuerat. Nam si decreuisset, etiam reapse impleuisset. Nec propterea tamen mentitus est, aut Prophetas in mẽdacium impulit. Est enim Deus ipsa veritas. Sed quum pulchrè norit Dominus homines stupidos, nisi acribus aculeis excitentur nihil sentire, surdósque nihil percipere nisi in aures durius inclametur, idcirco non omne quod decreuit, dixit, sed ad decretum suum appositam cõditionem reticuit, Ni videlicet Ezechias & Niniuitæ conuerterentur. Nec Esaias igitur mentitus est, nec Ionas, ac multò minus ipse Dominus, licet nec Esaias ipse nec Ionas Dei decretum cognouerint, vt erat conditionale, nisi quum illud ab euentu didicerunt: quod factum, Iurisconsultis bonum dolum vocatum, Ezechiæ & Niniuitis fuit salutare, qui fuit etiam Domini scopus. Sic olim Dominus Mosen alloquens dicebat, non simulatè sed expressis verbis, Exod. 32. 10. Dimitte me, vt irascatur furor meus contra eos; & deleam eos. Aliter igitur loquebatur quàm ipse cogitaret & vellet facere: vnde dici potest verè tamen & sanctè, ipsum hic erga Mosen & populum vsum, non quidem mendacio (quod de Deo cogitari non posset sine detestanda blasphemia: ac sanè mirum in modum Dominus erat iratus) sed simulatione ac dissimulatione, non ex

vitio, sed ex immensa sua bonitate: simulatione quidem in eo quòd omnino visus est hunc populum velle consumere & delere: dissimulatione verò, quòd consilium suum occuluit, nimirum Mosen excitandi, tum ad tantò vehementiores pro hoc populo preces fundendas, tum ad eiusdem peccati magnitudinem attentiùs perpendendam: vnde factum deinceps vt Moses in populum adeò seuerè animaduerterit: & flagitij sui immensitatem ob oculos ipsis posuerit. Sic Iosuam non arguemus vllius vitij, sed potiùs summi & strenui Ducis partes impleuisse dicemus, quum metum ac fugam simulauit, vt vrbis Hai incolas incautos inuaderet, Ios. 8. 5. Et quidem si modò iustu sit bellum laudabilia sunt eiusmodi stratagemata, modóque non admisceantur periuria vel consilia illicita, quibus nimirum aduersus primam aut secundam tabulam, aut aduersus vtramque peccatur. Ac sanè qui speculandi & explorandi hostium consilia munus in se recipiunt, à Deo postulare seriò debent, vt singulos ipsorum passus regat, quum vix ac ne vix quidem fieri possit, quin multa mendacia proferantur, quibus ira Dei accenderetur, nisi Deus suorum defectus excusaret, operis potiùs bonitatem & rectum finem quàm administrandi rationem intuitus, sicut cum obstetricibus Ægyptiacis actum esse legimus, Exod. 1. 19. Rahabæ, Ios. 2. 5. Chusai, 2. Sam. 16. & 18. mulieri illi quæ missos a Dauide duos exploratores texit, 2. Sam. 17. 20. Sic

Da-

Dauidem crimine liberabimus amentiam simulantem vt vitæ suæ consuleret, 1. Sam. 2.13. Nam longo interuallo distãt, consilium suum tacere aut occultare, quum de Dei gloria promouẽda agitur, aut proximi cõmodis suoque ipsius consulitur, & malum vitatur, & scienter prudenter mentiri, vt rei falsæ quæratur authoritas. Dominus igitur hic prę se gestũ tulit vlterius pergere volentis, licet alia sua mẽs esset, vt hac ratione discipulorum quibus occurrerat in via moueret magis ac excitaret desiderium ipsum secum retinendi, & attentionem sibi apud eos maiorem compararet: tantùm abest vt hoc facto mendaces, hypocritas, dissimulatores ac versipelles homines in dictis aut factis excusarit, quum contrà simplicitas ac veritas nunquam satis laudari commendarí-ve queant.

Denique, fratres, multa sunt omnibus modis hic nobis discenda: primùm quomodo nos Dominus doceat ex nostris lapsibus ingentem fructum percipere, modò Spiritui monẽti locum demus. Nam nisi discipuli tardi fuissent ad credendum, non haberet Ecclesia tam certa de Domini resurrectione testimonia. At fructum hunc collecturis, morbi causa vera cognoscenda est, & medico patienter obtemperandum. Morbus hic sensum nostrum naturalem occupauit, vt in Dei sapientiam, quæ verbo eius patefacta est inquirat, & de eadem iudicium ferat. Solus Spiritus Sanctus illi medetur, hic loquutus per os Domini, vt in Ecclesia

Deus etiam nostris lapsibus ad bonum finem vtitur.

ſua loquitur per ſuos fidel es ſeruos, non tantùm quum docet, ſed etiam quum reprehendit & coërcet, & quidem nonnunquam ſeuerius, vt fert peccati grauitas, cuius medicinę modus ac iudicium, penes medicum eſto, non autem penes ægrotos. Quoniam autem multi venefici medicinam conſcientiarum profitentur, hic ipſe locus admonet, quæ pharmaca veri medici curandis iſtis morbis ſoleant adhibere: nata videlicet & eruta è Scriptorum Propheticorum & Apoſtolorum ſolo: quæ non tantùm in medium adferunt, ſed etiam commodè exponunt & permiſcent ex collatione locorum, quos textum & gloſam oportet ſuppeditare, vt ad articulorum fidei analogiam omnia referantur: ſicuti Ieſus Chriſtus hic ipſemet vſum iſtorum nobis exemplo præiens demonſtrauit. Denique petamus à Domino Spiritum diſcretionis, ne vel latum vnguem recedamus ab ea ſimplicitate & veritate quæ tantopere Chriſtianis commendatur: ita tamē vt ægrotorum habendam aliquam rationem non ignoremus: ſed vt mediis illicitis conſciētiæ non lædatur integritas, & ita mutuæ ędificationi ſtudeamus, vt ſi regiâ viâ non poſſumus, ſaltem bonis & legitimis ſemitis inſiſtentes illam adipiſcamur. Amen.

HOMI-



HOMILIA DECIMA.

Luc.24.

29. *Sed ipsi adegerunt eum, dicentes, Mane nobiscum: quoniã aduesperascit, & inclinauit dies. Ingressus est igitur vt maneret cum eis.*

30. *Et factum est, quum accubuisset cum eis, sumpto pane benedixit, & fractum porrexit eis.*

31. *Adaperti sunt autem oculi eorum, & agnouerunt eum: sed ipse ablatus est ex eorum conspectu.*

32. *Tum alter ad alterum dixerunt, Nonne cor nostrum ardebat in nobis dum loqueretur nobis in via, & quum adaperiret nobis Scripturas?*

33. *Et surgentes eo ipso momento reuersi sunt Hierosolymam, & inuenerunt congregatos illos vndecim, & eos qui cum ipsis erant.*

34. *Et qui dicebant, Surrexit Dominus vere & conspectus est Simoni.*

35. *Tum ipsi exposuerunt* [eis] *quæ* [gesta erant] *in via, & vt fuerat agnitus ab ipsis in fractione panis.*



XPLICANDA nobis superest reliqua pars historiæ, qua continentur vltrò citróque habiti sermones inter Iesum Christũ, & duos illos discipulos, quos hactenus in tertia persona est alloqutus. Porro quum Euangelista nõ dicat illos fidem ad-

Quomodo hi duo discipuli tantopere de Iesu Christi resurrectione dubitarint, quum ab omni æuo hanc doctri

nam Ecclesia retinuerit, & tam multos a lios à Iesu Christo vidissent suscitari.

hibuisse Domini verbis, nec etiã repugnasse, verisimile sit eos adhuc in vtrãque partẽ dubios fluctuasse, quum non haberẽt quod regererent, & tamen nondum possent sensum illum naturalem vincere, qui persuadet fieri nõ posse vt à se mortui resurgant. Quum enim testes oculati fuissent multorũ quos Iesus Christus mortuos excitauerat, & nominatim resurrectionis Lazari, quæ superiore demum septimana contigerat: & quum apud populum Dei esset vulgo doctrina resurrectionis iam ab omni æuo recepta, exceptis Sadduçęis, magna fieret duobus istis discipulis iniuria, si quis eos putaret, de resurrectione in genere dubitasse, vt solebãt prophani, de quibus agitur Act. 17. 32. Ac futurã vltimo demũ die resurrectionem tantum nouerant & exspectabant, quod ex Marthæ verbis colligi potest, Ioh. 11. 24. Miracula verò de suscitatis à Iesu Christo hoc habebant loco, vt sibi persuaderent, quemadmodum Iesus Christus mortuos suscitauerat sua potentia, sic etiam oportere Iesum Christum si resurrexisset aliena vi resurrexisse, quum longè sit verisimilius à viuo mortuum excitari, quàm mortuum sua ipsius vi suscitari posse.

Deitatẽ Iesu Christi non benè tũ nouerant qui Dei Filium vocabant.

Vnde verò hic error manabat? quòd huc vsque Iesus Christus ab illis fuisset habitus pro eximio quidem viro, potente in dictis & factis, sed virtute alia quàm sua, putà diuina, qualis in excellentissimis aliis Prophetis emicuerat. Et hoc etiam ex Marthæ verbis colligi

po-

poteſt, Ioh. 11. v. 22. vt hinc appareat eos ipſos qui Ieſum Chriſtum agnouerunt, & Dei Filium confeſſi ſunt, & eum qui in mundum erat venturus, vt Petrus, Matth. 16. 16. multóque magis ille Centurio, Ioh. 19. Matth. 27. 54. & Mar. 15. 39. non ſatis intellexiſſe quid dicerent: quod etiam perſpicuum fit ex Luc. 23. 47. vbi pro his vocibus, verè hic homo Dei filius erat, dicitur, verè hic homo erat iuſtus.

Deitas Ieſu Chriſti inde maximè patuit, quòd ſua ipſius vi ſuſcitatus eſt.

Quum igitur hi diſcipuli non alio Ieſum Chriſtum quàm ſimplicis hominis loco haberent, quem ſciebant eſſe mortuum, hic hærebant: nec enim poterant Ieſu Chriſto quod vnius Dei proprium eſt, putà iterum coniungendi animam corpori, poteſtatem tribuere, tanquam ei qui poteſtatem ſolus etiam habuiſſet de nihilo creandi, ſimúlque copulandi. Quamobrem etiam Apoſtolus Domini noſtri perſonam nobis deſcribens, Rom. 1. 2. 3. & 4. primùm vnicam nobis perſonam proponit ſub Filij nomine: deinde eandem nobis diſtinctè declarat ſecundum vtramque naturam diuinam: quod patefactum fuiſſe docet, quòd ſe ipſum ex mortuis ſuſcitauit: & filium Dauidis ſecundum carnem.

Summa hæreſeum repugnãtium iis quæ de duabus in vna perſona naturis credenda ſunt.

Apage igitur Arrianos & Samoſatenianos Ieſu Chriſti diuinitatem prorſus abnegantes: Arrianos creatam illi diuinitatem tribuentes: Neſtorianos Deitatem Filij coëſſentialem in Diuinitatem παρυσίας & gratiæ extrinſecus venientis mutantes: Eutychianos duas naturas inter ſe permiſcentes & confundentes, denuo

ſuſcitatos in iis qui olim Monothelitæ, deinde Monophyſitæ dicti ſunt, noſtróque tempore in noſtris Vbiquitariis: quibus omnibus opponamus præter alia infinita teſtimonia & argumẽta neceſſaria, ex ipſis S. Scripturæ fontibus hauſta, ſola hæc Ieſu Chriſti verba, quum dicit, Habeo poteſtatem ponendi animam meam, & eam rurſus aſſumẽdi, Ioh. 10. 17. quod nemo alius præſtare poteſt quàm qui ſimpliciter verus Deus & verus homo nuncupatur. Ieſus Chriſtus igitur verè mortuus per ſeparationem animæ à ſuo corpore, quatenus erat homo: viuebat tamen, immo erat ipſamet vita quatenus Deus, Ioh. 1. 3. & 4. Quapropter non minus dubitandum erat poſsit-ne ſeipſum à mortuis ſuſcitare, quàm dubitãdum Deus, ſit Deus, an non.

Quo ſenſu reſurrectio Ieſu Chriſti nonnunquã tribuatur perſonæ Patris & Sancti Spiritus.

Nec iuuat excipere, hãc reſurrectionẽ plerumque Patri attribui, atque etiam nonnunquam Spiritui Sancto, Rom. 11. Nam quum hæ tres perſonæ ſint eadem ſimplex & vnica Deitas in vna eſſentia, in voluntate & potentia, quod de vna dicitur, alteri etiam conuenit, quarum tamen operationes ſępe Scriptura diſtinguit, tum vt eſſentiã à perſonis diſcernat, tum etiam Mediatoris officium, quod vnius Dei Filij proprium eſt: ſine ſeparatione tamen vlla ab inuicem.

Quanta cũ difficultate tollatur à nobis noſtra incredulitas.

Denique quum videamus qua in re boni iſti viri tam craſſè ſint hallucinati, vt ſeipſos propria ſalute priuaturi fuerint, niſi fuiſſent ex immenſa Ieſu Chriſti miſericordia melius ab

ipſo

ipſo docti, licet tam diu iam in Ieſu Chriſti ſchola eruditi, quantæ ſint & quàm denſæ noſtræ tenebræ cognoſcamus, Deúmque precemur vt ſuæ Lucis in nobis fomitem magis ac magis accendat, tum vt quæ adhuc ignoramus nos doceat, tum vt quæ iam didicimus melius & firmius animis noſtris inſculpantur. Et hoc omni tempore valde nobis eſt neceſſarium, ſed hoc præſertim calamitoſiſſimo, quo quaſlibet ſtupendas & abſurdas hæreſes, cum tanta ſpiritus erroris efficacia, in eos qui non ſunt benè plantati & radicati in Domino, quotidie renaſci conſpicimus.

Vt igitur redeamus ad duos noſtros diſcipulos, quid obſecro merebatur eorum tarditas, poſt talem reprehenſionem, & tam amplas admonitiones, niſi vt ſuæ dubitationi permitterentur? Nihilominus tamen Dominus, qui nunquam ſinit opus ſuum imperfectum in ſuis electis, quum animaduerteret non poſſe iſtos de ſua opinione dimoueri, niſi oculis ſuis ipſum intuerentur, illorum infirmitati ſeſe accommodauit, & quidem modo quodam nouo & inuſitato, fingens ſe ab illis velle recedere, quibus magis etiã volebat innoteſcere. Quòd igitur Dominus ſimulauit ſe vlterius velle progredi, factum eſt vt deſiderium ipſum retinendi tantò magis in ipſis accẽderet. Et ſanè, ſi ſaperemus, idem illum in nobis operantem ſentiremus. Nam quò ſpectant eius paternæ caſtigationes, quæ extrinſecus totidem iræ ipſius teſtimonia viderentur, & quidem ſæpiſ-

Quum Dominus ſuos videtur velle deſerere, tũ propius accedere ad ipſos parat, niſi per eos ſteterit qui vel caſtigantur, vel explorantur.

ſimè eouſque accenſę, vt nos iam iam deſerturus eſſe videatur? Et quidem in primis quum ſuorum preces non exaudit, adeò vt quo pluribus fatigant Deum precibus, hoc minus ad tempus exaudiantur, qua de re ſæpe Dauid in Pſalmis ſuis conqueritur: aut quum Eccleſiam ſuam duriſſimo ſubiicit examini, cuius tamen cauſæ aut occaſio prorſus latent. Pſal. 44. 10. 18. cuius etiam rei fidem nobis facit huc maximè ſpectans Iobi hiſtoria. Et tamen tum etiam nos ipſe Dominus quærit, ſi modò noſtra bona norimus. Nam ſi caſtigat, paterni amoris eſt teſtimonium, nolentis quos diligit perdere, Heb. 12. 6. ſin verò probat, pręterquàm quòd cum tentatione vires ſuppeditat illi ferendæ pares, 1. Cor. 10. 13. ſuarum etiam promiſſionum veritatem ita nos facit experiri, Iac. 1. 3. modò tamen ad Dauidis exemplum expectando expectemus, Pſal. 40. 1.

Sancta importunitas eſt Deo gratiſsima.

Sed in hoc imitandi duo illi diſcipuli, vt quum à nobis longius recedere videbitur, eũ magis retineamus, & vt ita dicã, cogamus aſſiduis precibus nobis auxilium ferre, ſicuti dicuntur hi duo diſcipuli coëgiſſe Dominum vt ſecum diutiùs commoraretur. Sic dicitur Lydia quædam πορφυροπώλις Paulum & Sylam apud ſe manere coëgiſſe, Act. 16. 15. quæ ſanctiſſima importunitas tantum abeſt vt Domino ſit ingrata, vt contrà gratiſſimam eſſe oſtendat, Matth. 11. 12. & variis ſimilitudinibus, Luc. 18. 4.

Increduli-

At proh dolor! tantùm abeſt vt maxima

pars hominum hac in parte suo fungatur officio, vt contrà cupientem Dominum ingredi, foras expellat: & visitantem aliter quàm nostra caro cupiat, contra ipsum obmurmuret, ac ei valedicat, immo per impatientiam & peccatorum omne genus extrudat, vnde malorum omnium initium, ingrediente tandem etiam inuitis illis Domino, sed tanquam iudice.

tas arcet Dominũ ingredi volentem impatientia verò iam ingressum foras expellit.

Cæterum etsi duo illi discipuli Dominum retenturi Solis occasum causati sint, nihil aliud longiùs intuentes quàm ordinarium Solis occasum, hinc tamen possumus sensum allegoricum elicere in quo nos oportet proficere, tum maximè saltē quum Dominus nobis occurrens gratię suę recipiendæ nobis occasionem offert. Nam quis, oro, est miseræ istius vitæ dies? Quot videas qui eius exortum aut meridiem tantùm se attigisse dum putant, in Occasum tamen præcipites feruntur, & tenebris obruuntur sempiterna nocte tegendis, & Sole nunquam illustrandis? Et horum quidem alij nunquam istius Occasus meminerunt, aut si meminerunt tanquam tristem cogitationem à se reiiciunt, quum contrà tamen quidam ex veteribus hanc sententiam protulerit dignam quæ literis aureis scribatur, Quũ mali quępiā cogitatio obrepit, de morte cogita, & quæ mortem sequuntur, reminiscere, vix malum quod cogitasti facturus. Alij verò, qua in re plurimum peccant iuniores, sibi seniles annos pollicentur, quibus sapere discāt:

Admonitio ad senes & iuuenes vt seriò vitæ huius occasum imminentem cogitent.

quæ non modò stulta cogitatio est, sed etiam impia, qua plerique omnes decipiuntur, sed sine remedio. Nos verò saltem qui canos attigimus, quósque naturæ ordo deberet non tantùm commouere, sed etiam cogere ad meliorem mentem, vt qui alterum in cimba pedem habeamus, annon grauiter peccamus quum tam oscitanter de istis cogitamus, vt nimium sæpe pueros octogenarios referamus. Faxit verò Deus Opt. Max. vt pro tantá stupiditate ac negligentia, serio cogitemus de vitæ huius caducæ breuitate certissima, & de æterna quæ illá excipit aut summa felicitate, aut maledictione: ac det nobis in sapientum illarum virginum numero cêteri; quæ in momenta venientem sponsum cum lampadibus ardentibus expectant; hanc Domini exhortationem in cordibus habentes, Ambulate quādiu Lucē habetis vobiscum: & beatus ille seruus quem Dominus inuenerit vigilantem.

Ad omnis ætatis homines, iuuenes ac senes adhortatio, vt de huius vitæ Solis occasu sedulò cogitent.

Porrò, vt ad historiam reuertamur, Dominus dicitur postquā in ædes in quas diuerterāt esset cum ipsis ingressus, & vna cum ipsis accubuisset, sumptum panem, postquam benedixisset, fregisse, & ipsis dedisse: & tunc eorum oculos apertos fuisse: vt eum tunc agnouerint: sed repentè ex eorum conspectu fuisse ablatū. Hic autem in primis occurrit expendenda vox illa fractionis panis: deinde quomodo ex fractione Dominus agnitus dicatur & non ante considerandum: tum qualis fuerit hæc dispa-ritio, ac tandem cur tam repentè & ante cibum

bum ab illis recesserit. Ac de primo quidem nullo modo fit verisimile de sacrosancta Cœna hic agi, de qua nihil dum duos istos audiuisse verisimile est, vt qui non essent ex domesticis cum quibus eam celebrauerat, & tam exiguum spatium temporis intercessisset inter Domini cœnam vltimam, & eius passionem. Hæc igitur loquendi phrasis ducitur à more inter Iudæos recepto, quem adhuc hodie in quotidiano victu retinent, patrem nempe familias, aut totius cœtus honestissimum quemque (qualem sibi apud duos hos discipulos auctoritatem ex habitu quo apparuit, Dominus conciliasse videtur, vt cum reuerentia attentas aures ipsi præbuerint) quum primum ad cibũ capiendum accumberent panem sumere, & gratiis actis, quarum ordinariæ sunt apud eos formulæ, reliquis distribuere solitum. Quoniam autem Iudæi panibus vtebantur latioribus ac minùs spissis, ideo huius fractionis & & benedictionis, idest gratiarum actionis hic fit mentio: quod à Domino semper est obseruatum diligẽter, sicut ex miraculo illo panum multiplicatorum maximè fit conspicuum, Matth. 14. 19. & 15. 36.

Et hoc ipsũ disertis verbis præcipit Apost. 1. Tim. 4. 4. & 5. & quidem vsus phrasi summopere notanda, quum ait, bonarum rerum à Deo creatarum vsum nobis non sanctificari, idest legitimum, purum & sanctum reddi cum bona conscientia, nisi Domini veluti manu nobis concedatur, ea conditione vt largito-

Quomodo cibi nobis sanctificari dicãtur per Dei verbũ aut per gratiarum actionem.

rem eum ex immensa bonitate sua cognoscamus, & ad eius gloriam verum illarum vsum referamus. Solus enim ipse illarum Creator & largitor est, ex cuius vnius fauore pendet panis baculus, Esa.3.1. Ezech.4.16. idest vis illa nos alēdi & sustentandi quam cibis indidit, & pro sua volūtate distribuit. Adde quod non parui momenti hoc loco est, nos in Adami lapsu ius omne quod in res creatas habebamus à Domino perdidisse, Genes. 1. 29. nullibi recuperandum quàm in hoc secundo Adamo, in quo & per quem placatus Dominus suis reconciliatur.

Quàm grauiter peccetur à multis in cibo capiendo.

Vos igitur hic compello prophanos homines, quos cibum sumere sine vlla ante vel post, illum sumptum gratiarum actione non pudet quos non tantum aio ingratos esse, sed alieni raptores, etsi in prædiis vestris fortasse creuerit, aut eius pretium vendentibus persolueritis. Nam etsi apud homines legitima videtur his titulis rerum acquisitarum possessio, tamē nisi vasallus fidem præstet & homagium Domino à quo feudum habet, meritò rebellionis & contumaciæ reus eo spoliandus est. Quid verò? Nonne ipsius Dei iussu propriè in manus nostras tam varia ciborum genera cadunt, quod Iacobus de sua venatione corā patre suo meritò profitebatur? Genes.27.20. Ac si ingratus & inciuilis meritò habetur qui aliena mēsa gratis pastus, insalutato hospite recedit, quid de iis iudicandū putamus qui ne recordātur quidē eius cui vitam ipsam debemus, &

reli-

reliqua omnia quibus eandem tandem & tam variis modis fouet? Ac si meritò tanquam fures inexcusabiles condemnantur, qui non soluto hospiti pretio excedunt, quid iis futurum est, qui pro gratiarum actione, (quod solum pretium Dominus à nobis pro infinita sua patientia poscit) quam pro tot beneficiis quibus eorum mensas Deus onerat, peccata peccatis aduersus eum cumulant, tum abutentes bonis eius rebus creatis, tum prophanis & impiis verbis eum proscindentes, & instar canum ac porcorum à mensa surgunt? Quorum sanè iusta punitio non longè plerunque differtur, Domino multis modis & casibus extrinsecus contingentibus eorum intemperiem puniente, vnde fit iusto Dei furore, vt pro vino intemperanter hausto, sanguis plerunque effundatur. Et in horum quidem numero recenseo, non tantùm eos qui de istis non magis quàm bruta cogitant: sed eos etiam qui à precibus orsi, precibus etiam cibum claudũt, verùm ex consuetudine tantùm, aut quod benè sanctéque cœptum erat, in medio polluentes, sibi persuadent illa omnia posse tegi, pauculis verbis precationis, vt loquuntur, quos ad Dauidis psalmo quinquagesimo de istiusmodi nebulonibus loquẽtis verba illa relego, Quorsum tu annuntias statuta mea: & sumis fœdus meum in ore tuo? &c. Et de hoc quidem hactenus, in quo nimium à nobis quotidie peccatur: quæ vtinam Deus peccata pro immensa sua sancta misericordia tegat atque

condonet.

Quomodo Dominus sit agnitus ex hac fractione panis.

De altero nimirum, quomodo à duobus istis discipulis Dominus sit agnitus ex fractione panis, potius quàm aliter ante hāc fractionem, duæ possunt adferri rationes. Prior est placuisse Domino, recedere ab illis paranti, oculos ipsis aperire, quos quidem antea non excæcarat, sed tamen cohibuerat & quodammodo stupefecerat, vt non sit ex facie agnitus ab iis qui tamen ipsum adeò familiariter viderant & eodem vsi fuerant: quod de auditus sensu dicendum etiam est, & sono vocis Domini, sicut in historia Mariæ Magdalenæ superius audiuimus in locum, Ioh. 20. 15. Quis verò factum id miretur ab eo qui etiam creauit oculos, aures, & reliquos sensus, quos pro sua voluntate moueat & impellat, vt minimè sit propterea Iesus Christus habendus illusor, qualis est Satan & Magi: nec formam suam aut vocem mutasse dicendus, qualem Protheum illum poëtarum fabulæ fingunt. Altera est, verisimile esse Dominum in terris agentem vnà cum discipulis suis, tum duodecim illis, tum etiam aliis, peculiarem quendam ritum obseruasse ac gestum in tollendis ad cœlum oculis, vt maiestas quædam & non vulgaris gratia in ipso appareret, vnde hi discipuli attentius eum contemplati agnouerint. Qua in re nobis sanè Dominus est pro virili nostra imitandus, quum longè sit maior & excellior Dei viuentis maiestas quam compellamus, quàm vllius cuiuscunque mortalis dignitas.

Verùm,

Verùm, vt etiam contrarios abusus caueamus, modus in his ritibus adhibendus, ne pro deuotione in superstitionem & hypocrisin incidamus, eorum exemplum sequuti de quibus Dominus loquitur apud Euangelistam, Matt. 15.1.& 5.& 16.

De tertio verò, nimirū modo disparitionis, qua adhuc hodie abutūtur Trāssubstātiatores, Consubstantiatores & Vbiquitarij, fingentes verum humanum corpus præsens realiter & substantialiter, & tamen inuisibile, in cœlis & in terra, immo vbique & in omnibus simul locis, quos ipsamet Iesu Christi verba satis coarguunt, apud Lucam, 24. v. 39. tenendum est istorum nullam in hoc textu fieri mētionem, in quo non simpliciter dicitur Dominus non ampliùs ipsis apparuisse, sed hac disparitione ex eorum conspectu ablatus esse: quod sanè supernaturale quidem & extraordinarium agnosco, quum minimè ferat humani corporis pondus tam subitam ac repentinam absentiā. At si potuit Dominus tam repentè & vno momento Philippum suum seruum ab vrbe Gaza Azothum vsque transportare, cur si voluit, non potuit atq; voluit idem in suo corpore præstare, vt neque corpus eius in se fieri inuisibile, neque vllam fieri mutationem, qualitatis ac proprietatum essentialium, magis necesse fuerit quàm in Philippi corpore contigerit, Act. 8.39.& 40? Notandum igitur hac disparitione Iesum Christum realiter abscessisse, & absentem à discipulis factum, vt hæc disparitio non

Tam repentina disparitio fuit naturalis, sed nihil detrahit nec essentiæ, nec vlli naturali essentiali proprietati corporis humani.

modò non iuuet Vbiquitatem, ſed eandem omnino deſtruat.

Cur ſub initiũ cibi Dominus diſparuerit.

Denique ſiquis quærat cur hac ratione & tã repentè à diſcipulis illis duobus receſſerit, aio Domini mentem in his realibus naturalibus & in oculos incurrentibus apparitionibus, quòd ad ſuſcitati corporis veritatem, non tãtùm hanc fuiſſe, vt certiores eos faceret de ſuæ reſurrectionis veritate per realem & viſibilem ſuam præſentiam: ſed vt doceret eos ſe non ſuſcitatum à mortuis iterum in terris humanam vt antea vitam acturũ, quam Paulus animalem vocat, quòd cibo & & potu foueatur: ſed mortis ſpeluncam egreſſum, ſe etiam omnem illam mortis qualitatem & infirmitatem depoſuiſſe, non tamen naturam corpoream cum proprietatibus eſſentialibus, quas oportet diſtingui tam ab iis quibus per peccatum obnoxia facta eſt vita humana, quàm ab eiuſdem animalis vitæ conditionibus antequàm Adamus lapſus eſſet & nos in ipſo. Nam etſi Adamus ante peccatum morti non eſſet obnoxius, cibo tamen, potu & ſomno vitam illam eius oportuit foueri ac ſuſtineri: quum vita ſpiritualis animali illi opp[o]ſita, in cuius poſſeſſionem Ieſus Chriſtus ia[m] venerat per reſurrectionem à mortuis, longè alia ſit, ab iſtis omnibus immunis, quod Saducæis reſpõdit Dominus apud Matth. 22. 30. & Lucam 10. 35. & Apoſtolus pluribus perſequitur, I. Cor. 15. nominatim à verſ. 38. ad 51. Dominus tamen nondum erat ingreſſus omnino in gloriam

Pa-

Patris, ſed quadraginta dierũ ſpatio ſe ad diſcipulorum captum accommodauit, talẽ hac in re modũ ſeruans, vt ad veritatem ſui corporis ac veræ ſuæ vitæ magis ac magis patefaciendam, etiã edere ac bibere cũ ipſis voluerit, licet non ad alimentũ vt priùs: aliàs, vt in hac hiſtoria noluerit eò vſque procedere, quò doceret eos ſe viuere & in poſterum eſſe victurum alio vitæ genere, putà ſpiritualis & ab omni infirmitate tam naturali quàm per accidens immunis & liberæ, qualem hactenus egerat, ex quo in hunc mundum veniens noſtram naturam, excepto peccato induerat.

Quàm horrendi errores ex eorum hæreſibus promanent qui hodie in terris corpus Ieſu Chriſti quærũt.

Quamobrem qni pro diſtinguendis iſtis qualitatibus corporis cæleſtis Ieſu Chriſti, ideſt cæleſtis ac ſpiritualis conditionis, vitámque viuẽtis cæleſtem ac ſpiritualem, à corpore terreſtri & animali, ideſt conditionem habente terreſtem & vitam agente terreſtrem, & hoc reſpectu cum omnibus animantibus communem, noſtræ ſalutis fundamenta radicitus conuellunt, Deitatem eſſentialem Ieſu Chriſti confundentes cum proprietatibus ſpiritualibus corporiś eius ſpiritualis: quum tamen oporteat in vnitate perſonæ Domini, duas eius naturas etiam manere diſtinctas ſua eſſentia & proprietatibus eſſentialibus, non minus poſt eius reſurrectionem & glorificationem æternam quàm ante. Nam ſi aliter eſſet, reſurrectione non eſſet facta melior nec auctior humana Ieſu Chriſti natura, ſed abolita fuiſſet & in vnam

Deitatem transformata. Et quod maius est, idē de nostris corporibus vltimo die resurrecturis dicendum ac sperandum esset, quum dicantur tunc fore conformia corpori eius glorioso, Philip. 3. 10 quemadmodum ipse se demisit & exinaniuit in hoc mūdo ad tempus, nos cœlestibus suis diuitijs exornaturus & ditaturus. Ac, si finitum esse ac circuūscriptum naturalis corporis dimensionibus, vt sit prorsus ἀδύνατον pluribus locis esse simul, & esse visibile, nō esset proprium essentiale verorum omnium corporum, sed proprium per accidens, quod abesse possit sine substantiæ corporeæ interitu, quomodo cōgrueret cum eo quod dicitur Dominus vltimo die, quo apparebit maiestate & gloria insignis, futurus conspicuus, & ab omnibus, tum filiis suis, tum hostibus agnoscendus? Non simpliciter igitur damnādus hic error, vt falsissimus, sed maximè detestandus, tum quòd dum Iesu Christi humanitas sic in spectrum trāsformatur, religionis Christianæ altera columna euertitur, quòd ita doceamur Iesum Christum adhuc in terris quærere per inuisibilitatē fabulosam, & confundatur modus communicationis spiritualis solus viuificus, cum corporeo huius vitæ proprio: tū denique quod hac via Sacramētum Sacrosanctę Cœnæ in horrendam & abominandam idololatriam, si quæ fuit vnquam apud homines, commutatur, vt Deus habeatur, & tanquam Deus colatur id ipsum quod editur ac bibitur.

Histo-

Historia deinceps adiicit hos duos discipulos melius agnito Magistro in recessu quàm dum adesset præsens, maiorem fructum percepisse ex iis quæ ab ipso audiuerant quàm priùs fecissent, suum stuporē admirantes. Nā, aiebant, nonne vis illa qua in nostris cordibus operabatur, quasi ignis ab eius ore in corda nostra penetraret, quū aperiret nobis scripturas, & nobis in via loqueretur, debuerat illum nobis patefacere? Et hoc opponitur Scribarū & Pharisæorum docendi rationi, glacie frigidiori, quæ nullo modo cum doctrina cælesti sacris Scriptis comprehēsa, siue rem inspicias, siue verba, cōueniebat. Nam quòd ad Legem, qualis eorum doctrina fuerit satis testātur falsæ ipsorum expositiones, quas Dominus apud Matth. cap. 5. multis reprehendit, & coarguit. Doctrinam verò Euangelicam, quæ fuit Messiæ promissio, in regni carnalis & temporalis maiestatem transformabant: quum Dominus contrà de rebus diuinis diuinè & cum auctoritate loqueretur. Matth. 7.29.

Maximā differentia inter modū docendi quo Christus vtebatur, & eum quo Pharisæi.

Hanc verò virtutem non est quòd tribuendam arbitremur vlli humanæ eloquentiæ aut Rhetorices artificio. Nec enim dubitandum est quin Dominus noster Iesus Christus ita sit loquutus, vt eum Euangelistæ loquentē scriptis suis introducunt, verbis nimirum cōmunibus, & ad vulgi captū accommodatissimis. Etsi enim laudabilis est bene dicendi & eloquendi scientia, quum ad rectum finem in rebus humanis fertur: Dominus tamen hanc

Cur Prophetæ, Iesus Christus, Apostoli, simplici & communi more loquendi in docendo vsi sint: & quantopere hanc simplicitatem inducto fuco adulterantes errent.

docendi rationem in Ecclesiam suam noluit introducere, cuius rei testis est idoneus acris illa reprehensio qua Paulus Apostolus egregios illos oratores apud Corinthios coercet, sic eos alloquens, Ego quum veni ad vos non veni cum eminentia facundiæ aut sapientiæ, neque oratio mea, & prædicatio mea versata est in persuasoriis humanæ sapientiæ verbis, sed in demonstratione spiritualis potentiæ. 1. Corin. 2. 1. & 4. Simplicitas igitur prædicationis nihil detraxit de Scripturæ maiestate, sed contrà ostendit Ecclesiæ Dei fundamentum & ædificium totum niti vnica Dei virtute interna, qualem ipsi Iesu Christi inimici vel inuiti coacti sunt agnoscere, & quidem ab eius iuuentute, Luc. 2. 27. & sæpius aliàs, veluti Matth. 13. 54. & Iohan. 7. 46. Talis etiam Apostolorum sermo fuit, cui nec Philosophorum sapientia, nec oratorum facundia resistere potuit. Spiritus sanctus igitur propriam habet Rhetoricen, fastidiant illam licet delicatuli quidam & difficiles, quorum aliis sacrarum Scripturarum oratio nihil sapit, vt propterea malint vitam in oratorum, Poetarum, aliorúmque prophanorum scriptorum libris terendis transigere: alij verò sunt adeò audaces vt Spiritus sancti sermonem in Latiniores voces transformare nitantur quàm ferat Ecclesiæ communis vsus: alij longiùs progrediuntur, vt somnia sua & speculationes, ex huius seculi sapientibus haustas, cum doctrinæ Euangelicæ puritate

mi-

miſceant, alij natiuam illam pulchritudinem & nitorem eloquij Spiritus Sancti qui in Prophetarum & Apoſtolorum ſcriptis elucet, vanæ garrulitatis fuco inficiant, vt iam nulla ſit ampliùs inter Euangelicos concionatores, & rabulas aut declamatores differentia. At quemadmodum fugiendum eſt ambitioſum & vanum iſtud in dicendo extremum, non ideo tamen ſequitur approbandam barbariem illam quam inuexerat in Eccleſiam Dei linguarum proprietatis bonarúmque ſcientiarum & artium imperitia, aut prorſus abiicienda doctorum virorum in humanioribus literis monimenta. Nam & ipſe Dominus Eccleſiam ſuam decorare voluit inſignibus Theologis Græcis & Latinis, etiam in bene dicendo eloquentiſſimis: qui tamen ſemper intra ſuos limites ita ſe continuerunt: vt maiorem ipſos ſemper rerum quàm verborum habuiſſe rationem minimè ſit diffitendum, & ſummoperè cauerunt ne humanam & artificioſam eloquentiam confunderent cum virtute illa dicendi diuina, quam docet Spiritus S. in ſua ſchola ad res diuinas, ſacras & cœleſtes mortalibus aperiēdas, vt Deo ſoli acceptam feramus Sapientiæ ſuæ cognitionem. Nam quoties ipſi viſum eſt, ita ſeruorum ſuorum miniſterio benedicit, vt totum orbem concutiat & commoueat, quod figuratum eſt die Pentecoſtes miſſo in Apoſtolos Spiritu Sancto, quem igneæ linguæ repræſentabant. Sic noſtro tempore quoties i-

psi libuit & adhuc hodie libet potentissimè operatus est, non sanè potentia & viribus propriis seruorum suorum, sed eius vnius arcana vi qui per os suorum seruorum loquitur. At hoc loco tum interior virtus Iesu Christi considerandi est, vt eius vnius qui Spiritu & igne baptizat, Matth.3.11. tum opus exterius, quatenus officio ministri erga suam nationem ipsi defungi visum est, Rom.15 8.

Cur non omnes ad quos venit verbi diuini calor, eo commoueantur.

Hic verò siquis quærat, quî fiat, quando quidem tam ardens est verbum istud diuinum, vt primariæ dignitatis viri, & sapientissimi quique ex populo, quos ipse Iesus Christus alloquutus est, parum, aut nihil omnino commoti sint: & hoc seculo, quo Deus velut de nouo facem hanc in terras misit, maxima pars hominum non moueatur, sed potiùs gelidiores in dies fiant. Aio inde patere quod paulò superius dixi, nempe vim & efficaciam Euangelij, non pendere à verborum sono, nec magis manare ab ore concionatoris, quàm germen & incrementum sementis à satore, 1. Cor. 3.7. sed ab eo qui ex suæ voluntatis arbitrio discrimen inter hos & illos statuit: nunquam tamen sinente satores illos incassum facere sementem, quin eam sua gratia comitetur, qua inexcusabiles reddantur quotquot videre nolunt quod vident, nec audire quod audiunt. Sin excipiat aliquis rogitando, cur hanc lucem & ardorem istum omnibus auditoribus non communicet: aio, pro impia hac sciscitatione, & Dei arcanorum inquisitione, potiùs

tiùs mirandum, quomodo vnius hominis in mundo misereri velit, vt det ei oculos ad videndum, & aures ad audiendum, quum tanta sit improbitas, peruicacia & indomita rebellio hominum, qualem vel hoc vno seculo præ aliis omnibus experimur, & quidem in medio nostro sinu, ne longius nobis excurrendum putemus. Itaque in nos, nos inquam (quod non sine dolore maximo dico) qui verbum illud audiuimus & amplexi sumus specie tenus, eximio illo nomine Reformatarũ Ecclesiarũ gaudentes quadrant illa prophetæ verba, longè etiam meliore nomine quàm in veterem illum populum, Esa. 65. 2. Expandi manus meas tota die ad populum incredulum, qui graditur in via non bona post cogitationes suas. In nobis igitur, non in Deo quærenda huius defectus causa est: quum idem hodie nobis meritò possit exprobrare quod olim populo per Micheam prophetam dicebat, Popule mi, quid feci tibi, aut quid molestus fui tibi, responde mihi, Mich. 6, 3. Sapere & intelligere nobis videmur, & idcirco Dominus occultat nobis quæ paruulis & insipientibus detegit, Matth. 11. 25. diuites sumus in nobis ipsis, ideóque Dominus, qui famelicos implet bonis nos ablegat inanes: superbi sumus & elati, & ideo qui humiles exaltat, potentes è thronis detrahit, Luc. 1. 52. & 53.

Cæterum huius ignis, de quo loquimur, tria sunt propria, putà illuminare, calefacere, & consumendo purgare. Hinc itaque digno- *Ignis huius proprietates tres in credẽtibus.*

opposita rebellium ac contumaciũ perditioni.

ſcitur an ad horum diſcipulorum exemplum in hac doctrina progreſſus aliquos fecerimus, quos de cæcis in cognitione ſui magiſtri, videmus videntes & ſcientes factos, vt alios etiam illuſtrarint: de ſtupidis ac gelidis, ſublato ſtupore, zelo inflammatos, iter abrupiſſe & negotia, vt in Hieruſalem reuertentur, hanc eximiam Lucem qua fuerant irradiati, cum Apoſtolis communicaturi. Atque ô vtinam, vtinam, inquam, hoc exemplum imitati in dies fidei incrementa caperemus, alij aliorum inuicem ædificationi ſtuderemus, & mutuis datis dextris mutuis nos iſtis hortationibus ad Dei cultũ incitaremus. Agite, eamus, eamus, & aſcendamus in montem Domini, quales piorum voces deſcribit Ieremias, cap. 31. 6. & 12. Etſi verò tres illæ proprietates de quibus diximus non ſint rebellium propriæ, ſed ſolorum credentium, tamen ſuo periculo experiuntur rebelles Dominum eſſe qui loquitur: Luce Euangelij, qua alij illuminantur, ipſis ardore ſuo caliginem adferente, & tandem prorſus excæcante, vt videntes non videant: & pro eo quod alij ad bene agendum incenduntur hi ad malè agendum in malitia ſua magis indurentur, aduerſus Dei filios furẽtes, donec eos ira Dei tandem abſorbeat, qua in æternum torqueantur nunquam conſumendi. Tu verò, Deus optime, nobis hanc largire gratiã vt illis ſimiles, iſtis diſſimiles ſimus.

Verus zelus omnes difficultates ſuperat.

Denique textus habet eos ipſo momento ſurgentes, cũ feſtinatione reuerſos eſſe Hieroſoly-

ſolymam: quæ notanda circunſtantia eſt, ex qua obſeruemus quàm ſubitò ſint mutati à Domino. Nam paulò ante, Dominum ſecum retenturi dixerant, diem inclinauiſſe, ac proinde non eſſe vltra vicum illum progrediendum, ne in noctem incurreret: nunc verò ipſi de reditu in vrbem cogitant, quod iter conficere quum eſſet ſexaginta ſtadiorum, ſtadium autem ſexcentos pedes contineret, minimè potuerunt quin in altam noctem inciderent. Sed ecce quantus gloriæ Dei, & veræ charitatis erga proximum ſit zelus, vt nec dies nec horas numerare didicerit: & nunquã procraſtinãdum eſſe doceat, nec differendũ quod nunquam ſatis maturè fieri poteſt: nec à tergo reſpiciendum, ſed ſemper progrediendum, & quidem currendum, immo ſemper ad ſcopum ac metam vltimam volandum, nempe ad prҿmium ſupernæ vocationis in Ieſu Chriſto. Ideo Apoſtolus his verbis diſcipulum ſuũ Timotheum hortabatur, Prædica ſermonẽ, inſta tempeſtiuè, intempeſtiuè, 2. Tim. 4. 2. Et Dauid dicebat, Si introiuero in tabernaculum domus meæ: ſi aſcendero ſuper ſtratum lecti mei. Si dedero ſomnum oculis meis: palpebris meis dormitationem, donec inuenero locum Iehouæ: habitacula forti Iacob, Pſal. 132. 3. Nec propterea tamen negamus Deum opportunitates rerum & tempora diſpoſuiſſe, nec dicimus etiam negligendam prudentiam & diſcretionem in iſtis circunſtantiis: ſed tamen fugiendam ſummopere falſam carnis

prudentiam, quæ retrocedentes docet progredi, facto initio non à Dei regno, nec à domus Dei ædificatione, sed à familiarum nostrarum & aliorum priuatorum negotiorum cura, in quibus procurandis non stimulo, sed fræno & habenis, nobis opus est.

Singularis constantiæ exemplum præbuerunt Apostoli in vrbem coacti, licet tã ad credendum difficiles. Et quis in tali casu modus seruandus.

Porro si magnopere laudandus est duorum istorum discipulorum ardor & diligentia, non minorem laudem meretur status in quo reliqui discipuli à duobus istis inuenti sunt, etsi fuerint in credendo tardiores. Nam quos erat verisimile metu perculsos & attonitos fuisse fuga salutem sibi quæsituros, cui negotio videbatur caro maximum illis argumentũ præbere, dicuntur tamen in vnum omnes conuenisse, non tantùm Apostoli, sed cum ipsis alij nonnulli: qua in re Dei fauorem maximum experti sunt, à quo mentibus ipsorum hoc consilium suggestum est. Sic videmus Ecclesiam cæso Iacobo Iohannis fratre, & in vincula Petro coniecto non fugisse metu perculsam, sed nocte intẽpesta in ædes Mariæ Iohannis Marci matris coactam fuisse, Act.12.12. Talis etiam fuit veteris veræ Ecclesiæ mos ac consuetudo à Romanorum Imperatoribus flagrantibus horrendis persecutionibus, quod auctores etiam Ethnici ipsi testantur. Et nostro seculo scimus illud, ardentibus in nostros fratres flãmis, fuisse factitatum. Fateor propter nocturnos illos conuentus veteres Christianos horrendis falsissimis criminibus fuisse obnoxios, ac sæpe lacessitos: eademque nostro seculo aduer-

uersum nos renouata: verùm quicquid Satan per suos satellites agat atque moliatur, nó debet Ecclesiam deterrere, quin legitimis omnibus rationibus in incœpto pergat. Neque verò tamen negamus euitandas omnes occasiones, sancta prudentia quibus improbi calumniandi ansam arripiunt: velut exempli gratia, si hodie quum Deus potestatem facit nobis interdiu certis locis & horis conueniendi, ad sacrosanctum eius verbum audiendum, quidam noctu, vel seorsim conuenirent, quod faciunt Anabaptistæ, & alij qui sectas instituunt, meritò in grauissimam reprehensionem inciderent, & pœnis digni essent, quum istiusmodi studia priuata à Domino minimè proficiscãtur. Nec dicimus ingruente persecutionum tempestate, in vnum locum singulis fidelibus conueniendum, vt latronibus ac sicariorum securibus iugulum præbeant, quo nihil gratius istis futurum esset. Fugit enim Elias à Iezabelis conspectu. 1. Reg. 19. 3. centúmque illi Prophetæ in cryptis & antris latuerunt & nutriti sunt, 1. Reg. 18. 13. Nec semel ista contigerunt, teste Apostolo Heb. 11. 37. atque adeò Iesus ipse Christus Dominus noster, quum esset ei renuntiatum Iohannem Baptistam in vincula coniectum, secessit in Galilæam, Matth. 4. 12. & sæpius sibi fuga salutem, è manibus hostium elapsus, quæsiuit. Sic Ecclesia post D. Stephani cædem dispersa est, Act. 8. sed quæ istiusmodi fugas sunt consequuta, semper ostenderunt illud propriè non esse à Domini

conſpectu fugere, ſed ſe hoſtibus Dei ſancto prudentíque conſilio ſubducere, ad maiores fructus faciendos. Quum igitur variæ circunſtantiæ in huiuſmodi negotiis incurrant, vix præſcribi poteſt aliqua regula manendum-ne ſit, an fuga ſibi conſulendũ ouibus aut earum paſtoribus: verùm, ſi paſtores ex animo Dei gloriæ promouendæ ſtudio ducantur, nec de memoria ſua deleri patiantur quod alios docere debent, nempe ſuiipſorum abnegationem, ex ſancto & recto affectu quo à mercenariis diſcernantur, qui lupum venientem aſpicientes fugiunt, ac greges ſuos relinquunt, Iohann. 10. 13. aderit proculdubio Dominus ſuam voluntatem priuatim eos docturus, ſiue per ſanctum ſuum Spiritum, indita ipſis in rem præſentem ſapientia & conſilio, ſiue per oues ipſas: quod Apoſtolo cõtigiſſe videmus. Act. 19. 30. & 20. 1. Petróque ipſi Act. 12. 17. vt nõ propterea neceſſe ſit à Domino noua edi miracula. Et horum quidem frequentiſſima ſunt noſtro ſeculo exempla. At contrà multos nimiùm vidimus ita perterritos, vt in auia aberrãtes, numquam in viam redire potuerint, alios verò, ex immenſa Dei miſericordia, ſic attonitos, vt ſæpius in exitium ruentes tamen in viam reducti ſint. Quis verò miretur homines in hæc præcipitia, etiam aliquando ſponte ferri: quod teſtatur Dauid denuò ad Regem Achis confugiens? Graues tamen & inexcuſabiles iſti lapſus, quicquid prætexatur. Annon enim ſenſus communis homines expertes eſſe

neceſſe

necesse est, quum sibi persuadent tutiùs agi cum eo qui derelicto Deo ad eius inimicos confugit, quàm cum eo qui Dei promissis aduersus quælibet terriculamenta firmiter innixus, fidem suam ac vocationem imperterritus retinet, ab eius vnius pendens prouidentia? Denique, nonne planè insanus est, quicunque se rebus suis consulturum putat, scienter prudenter in Deum peccando? Itaque tantùm abest vt persecutionum æstu flagrante incunda sint hæc consilia, secedendi & à gregis vnione discedendi, quibus consiliis in leonum vngues deuenitur, vt contrà tunc maximè sit vnio fouenda, cuius hic nobis exemplum proponitur: quod si factum erit, ne dubitemus quin Dominus, quemadmodum reipsa fecit ratum id de quo maturè præmonuerat Apostolos, nempe vbi duo aut tres coacti essent in suo nomine, fore se in medio ipsorum. Matth. 18.20. sic etiam inuocatus adsit, & præsentissimum auxilium velut ἀπὸ μηχανῆς adferat.

Verum enim verò discedum ab hoc exemplo, quid sit in nomine Dei conuenire, nempe vt cætus & consilia ferantur in Dei gloriam, mutuamque consolationem & ædificationem in Domino, non autem quærantur mala consilia, consultoribus ipsis pessima. Itaque dicuntur hic vndecim Apostoli (notandum autem Domini domesticos ita ab aliis nuncupatos vndecim, sicut prius ante Iudæ proditionem Duodecim vocabantur, licet decem tantùm huic apparitioni præsentes adfuerint, *Apostoli non conuenerunt de priuatis rebus acturi.*

tum abſente Thoma, vt colligitur ex Ioh. 20. 24.) non de priuatis ſuis egiſſe negotiis, de quibus tamen cogitandi ſatis magnam occaſionem habere videbantur, ſed ſe mutuò in ſpe reſurrectionis Domini confirmaſſe, quum etiam contigiſſet vt poſt duorum illorum diſcipulorum ab vrbe in vicum proficiſcentium egreſſum, quod perſpicuum fit ex iis quæ in hac hiſtoria recenſentur, Luc. 24.22. & ea quæ in itinere ipſis contigerant, ac eorundem regreſſum, Dominus ſic diſparens Petro ſe conſpiciendum præbuiſſet: cuius etiam apparitionis nominatim meminit Paulus, 1. Cor. 15. 5. quam paucis tantùm attigit vnicus Euangeliſta: quum Euangeliſtarum ſcopus non fuerit ſingula Domini facta vel dicta nominatim ſuis monumentis conſcribere: ſicut ipſemet Euangeliſta teſtatur, Ioh. 20. 30. & 21. 25.

Eccleſia nō deſinit eſſe vera Eccleſia, licet non in omnibus etiam præcipuis religionis capitibus ſinguli conſentiāt.

Quid verò? Sanè licet adeò bene eſſent diſpoſiti, tamē dicūtur, Mar. 16 13. poſtquam duo iſti diſcipuli renuntiaſſent ipſis quæ in itinere viderāt & audiuerāt, adhuc incredulitate vel ſaltē tarditate ad credendū laboraſſe, quod de nōnullis ex illo cœtu, nō de ſingulis, intelligēdū eſt. Nā expreſſè dicit hiſtoria, maximę partis ipſorū hanc ſententiam, vel potiùs communem & vltimā concluſionē fuiſſe, qualem eſſe oportuit, verè nimirum Ieſum Chriſtum reſurrexiſſe. Vnde diſcimus non admodum mirandū, ſi etiam in præcipuis quibuſdā Chriſtianæ religionis capitibus non is eſt conſenſus quem eſſe oportuit, inter eos qui aliis præire exemplo

plo concordiæ debẽt: quũ id ipſum in ipſorũ Apoſtolorũ ipſorum cœtu contigiſſe videamus: nec etiam inde inferendum, nullam eſſe Eccleſiam vbi non eſt vſquequaque firmus in omnibus conſenſus. At ponenda differentia eſt inter hanc opinionum diſcrepantiam, & apoſtaſiam aduerſus veritatem, ſectaſque vnionem Eccleſiarum frangentes: inter materias ex quibus illæ opinionum varietates oriuntur, & dubitationes & infirmitates quæ in peritiſſimos quoſque cadũt: quod ipſum cõtigiſſe videmus initiò in Eccleſia Hieroſolymitana & Antiochena circa præcipuũ argumẽtũ de beneficio Domini noſtri Ieſu Chriſti, Act. 15.21.& 7.& inter Galat. circa eãdẽ materiã, nõ ſine maxima ſpiritus erroris efficacitate, Gal. 1.6.& inter Corinthios in articulo de reſurrectione, 1.Cor. 15.12. Et noſtr oinfelici ſeculo idem pleriſque in locis, immo nimiùm multis aſpicimus, & quidem vt hactenus immedicabile malum iſtud fuerit. Illa igitur à me allata diſtinctio diligenter obſeruanda, cauendúmque ne facilè offendiculis locum demus, & plerunque falſum iudicium feramus: quod non erit vſque adeo difficile, ſi modò monentem Apoſtolum quid hac in re facto ſit opus, audiamus, non fouentes, inquit, malum, ſed etiam quantum fieri poteſt ac debet alij alios tolerantes, mutuæque ædificationi ſtudentes, donec euadamus omnes in vnitatem fidei & agnitionem filij Dei, dona ſua ſecũdum menſuram diſtribuentis. Denique in genere tenen-

dum, vt non quæuis concordia Deo nos coniungit, ita non quamlibet opinionum diuisionem ab eo nos separare.



HOMILIA VNDECIMA.

Marc. 16.

14. *Postremò, vnà sedentibus ipsis vndecim exhibuit sese, & exprobrauit incredulitatem eorū, & cordis duritiem: quòd ijs qui ipsum conspexerāt excitatum non credidissent.*

Luc. 24.

36. *Hæc autem ipsis loquentibus, stetit ipse Iesus in medio eorum, & dixit eis, Pax vobis.*

37. *Consternati verò & expauefacti, videbantur sibi spiritum conspicere.*

38. *Tum dixit eis, Quid turbati estis, & quare disceptationes subeunt corda vestra?*

39. *Videte manus meas & pedes meos: nam ego ipse sum: contrectate me & videte: nam Spiritus carnem & ossa non habet, prout me conspicitis habere.*

40. *Et quum hoc dixisset, ostendit eis manus ac pedes.*

Iohan. 20.

19. *Quum ergo vespera esset, die illo primo hebdomadis, & fores essent clausæ [illic] vbi erant discipuli coacti propter metum Iudæorum, venit Iesus: stetitque in medio ipsorum, & dixit eis, Pax vobis.*

20. *Et*

20. *Et quum hæc dixiſſet, oſtendit eis manus ac latus ſuum. Gauiſi ſunt ergo diſcipuli, viſo Domino.*



VANDOQVIDEM omnis noſtra fides nititur iis quæ ſunt nobis fideliter ab Apoſtolis Domini nuntiata, ideſt legatis quos ipſemet vocauit, & omnis generis ſignis ac miraculis indubitatis approbauit, ſicuti docemur Eph. 2. 20. & Apoc. 21. 14. meritò fortaſſe quærat aliquis cur non potiùs primis illis ſeſe patefecerit, ad reliquos omnes deinceps docendos atque cõfirmandos, quàm Mariæ Magdalenæ, Marc. 16. 9. deinde aliis mulieribus, Matth. 28. 9. tum duobus iſtis in vicum proficiſcentibus. At ſic in Dei conſilia inquirentes, non attendunt in primis optimum fuiſſe, immo neceſſarium, vt non ſolus Petrus, ſed omnes Apoſtoli ſimul monerentur de ſua quiſque infirmitate, immo & incredulitate, vt ſeſe ipſos agnoſcerent ſibique ipſis applicarẽt quod erant alios docturi deinceps. Deinde cõſiderandũ & illud, ſi faciles in credenda reſurrectione fuiſſent, vt ei teſtimonium perhibere conarentur, à multis fuiſſe ſuſpectos futuros, quaſi ſeipſos quærerent: quibus omnibus Dominus occurrit præcedentibus apparitionibus, quæ circunſtantiis quidẽ diuerſæ fuerũt, ſed in vno omnes pulchrè conuenientes. Tertio, quò plura teſtimonia habent, qui Apoſtolorum tempora ſequuntur, tantùm abfuiſſe

Cur Ieſus Chriſtus ſeſe non patefecerit Apoſtolis priùs quàm aliis.

vt Apostoli hunc fidei articulum cõfinxerint, quo sublato reliqui omnes forent inutiles, vt contrà postremi fuerint in eo credẽdo, eò certius redditur ac firmius minúsue suspectũ eorum testimonium. Et sanè Deus sic operari solet, nos à sua prouidentia docens pendêre, nec in eius opera inquirere, ne qui sibi plurimum sapere, & esse maximè perspicaces videtur, tandem prorsus insaniisse & cęcutiuisse videãtur.

Quomodo Marcus faciat mentionem vndecim Apostolorum, quos vnà dicit coactos, quum tamẽ absente Thoma tantùm essent decem.

Itaque hic dicitur Dominus postquã repente ab oculis duorum illorũ discipulorum disparuisset, reditum ipsorum in vrbem præuenisse, vt se Petro coràm inspiciendũ præberet, vt qui præ reliquis opus haberet. Deinde quũ videret discipulorum suorũ cœtũ non tam facilè posse persuaderi, tantùm abest, vt, quod merebantur, eos deseruerit, vt contrà in ipsorũ ædes eos quæsiuerit, quo ex naturali sensu scrupulum omnẽ ipsis eximeret. In qua narratione non tantùm res gesta nobis consideranda, quæ tamen est præcipua, sed omnes etiam circunstantię diligenter expendendæ, si priùs hoc obiter obseruauerimus, non omnes illos vndecim eò loci reuera conuenisse, absente Thoma, sicuti paulò post videbitur. At quẽadmodum antea cœtus ille duodecim vocabantur, sic à Iudæ proditione vulgò dicebantur Vndecim, donec numerus ille Duodenorum surrogato Matthia in Iudæ locũ redintegraretur: aut etiam dicere non erit absurdum Euangelistam hanc apparitionem voluisse comprehẽdere cum ea quæ octiduo post facta est.

Quod

Quòd ad tempus attinet, facta dicitur hæc apparitio sub vesperam eiusdem diei quo resurrexerat: qua ex re ratũ fieri videmus id quod ait Apostolus, Dominum non sinere nos tentari supra vires, quas ipsemet sufficit. 1. Cor. 10. 13. Nam proculdubio non magno molimine prosterni tum poterant qui constantissimi videbantur. Dominus igitur reipsa comprobaturus neminem velle se eorum quos Pater ipsi dederat perdere, Iohon. 18. 9. hærere quidẽ illos animi dubios aliquãtisper passus est, quò manifestatio ipsius esset deinceps gratior & acceptior, sed interea tamen nuntiis variis, ad quatuor vsque subinde laborantes recreauit, primùm Maria Magdalena missa: deinde aliis mulieribus: tum Petro: quartò denique duobus illis discipulis quibus in itinere apparuerat: præter alias interiectas visiones, & ea quæ nominatim Petrus & Iohannes in sepulchro viderant & obseruarant: quò mendacium eorum manifestius fieret: qui furto sublatum Iesu Christi corpus cum insigni calumnia diuulgabant. Ergo exemplum istud conspicuũ nobis facit quod Psalm. 121. 4. dicitur, Custodem Israëlis non dormire nec dormitare, licet suis nonnunquam stertentibus: quod repræsentatum etiam nobis fuit in iisdem Apostolis paulò antè prece illa vltima quam ad Patrem fudit Christus imminentibus ipsi Iuda & aliis eũ capturis. Et hoc sanè officiũ præscribit ijs quos ad alios excitandos vocat, quam ob causam Episcopi nominantur, vt gregibus inuigilent,

Singulare exemplum in Iesu Christo vigilantia Pastorum in suas oues.

çorum Domino rationem reddituri, minante per Prophetam se ab ipsis sanguinem requisiturum cuiuscunque ouiculæ culpa ipsorum pereũtis. Ezech.3.18. Vnde verò tam crassi nostri lapsus, ex quibus multi nunquam emergunt, nisi quòd aut dormientibus pastoribus, inimicus nostræ salutis lolium in agrũ Domini immittit, Mat.13.25 aut qui excitati sunt, vel neglexerunt, vel serò nimis expergefacti sunt, vt virginum docet parabola Matth.25.5. & 10. Eia igitur, fratres, ad hanc doctrinã mentes aduertite: nam si aliàs vnquam, id res & hora flagitat, & locus ipse, si alius vllus, postulat ne incauti ac stertentes corripiamur.

Cur Iesus Christus suis discipulis eodẽ loco & tempore simul coactis apparuerit.

Altera circunstantia est temporis & loci, voluit enim illos Dominus eodẽ loco, eodẽque tẽpore simul coactos inuenire, & quidẽ alios præter vndecim cum illis discipulos, vt horum omnium testimonio irrefragabili totam suam Ecclesiam simul ac semel de sua resurrect ione certiorem faceret.

Metus cũ aliquo defectu coniunctus minimè damnãdus est, modò ne ab officio nos deterreat.

Non est porro verisimile totum integrum diẽ simul coactos permansisse: sed sub vesperã conuenisse, veritatem cognituros eorum quæ subinde per varios nuntios ferebantur, & sese inuicẽ consolaturos. Tẽpus igitur opportunũ explorarunt, quo tuti essent ab hostiũ suorum furore. Quãobrẽ etsi metus ille de quo hic agitur, incredulitate & diffidẽtia fuit permixtus, (qua in parte reprehẽsionẽ meretur) tamẽ quũ ipsos ab officio non deterruerit, magnopere laudãdi sunt discipuli prudẽter conuenientes, siquidem

siquidē ipsemet Dominus prudētiam cū simplicitate coniungendā esse docuit, Matt.10.16.

Sub vesperam igitur primi diei septimanæ, qui nobis hodie dies est Dominicus, Dominus dicitur ad eos venisse: quod non omnino est intelligendum Hebræorum more, apud quos dies initium ab occasu solis capiebat: quum sit verisimile duos illos viatores, quibus erant in reditu conficienda sexaginta stadia, quandoquidem iam dies inclinauerat, vt loquuntur Luc.24.29. non nisi post Solis occasum in vrbem aduenisse, & iam multa nocte. Nam sexaginta stadia conficiunt sex millia Italica, quę leucam vnam Gallicam cum dimidia faciunt, in singulas leucas numeratis quatuor millibus. Quemadmodum igitur vt periculum effugerent opportunum tempus elegerunt, eandem Dominus opportunitatem accepit, vt eò attentiùs & tutiùs ab ipsis videretur & audiretur.

Quomodo intelligēda illa vespera primi diei septimanæ.

Alia non parui momenti circunstantia superest, Dominum Iesum foribus clausis venisse, & stetisse in medio ipsorum: & eo viso discipulos ita consternatos & expauefactos fuisse, vt sibi Spiritum conspicere viderentur: ex quo apparet eos, præterquàm quòd istiusmodi visa & phasmata inopinatò in oculos incurrentia terrorem adferunt, vehementer attonitos fuisse, conspicientes ipsum sic ingressum vt fores aperiri nec vidissent, nec sensissent: siue de domus foribus, siue de cubiculi aut conclauis in quod conuenerant, istud in-

Cur Iesus Christus ingredi voluerit ianuis clausis.

telligatur. Non dubium igitur quin miraculosus hic ingressus fuerit tum in se, tum in extraordinaria celeritate: hoc miraculo docere volente Domino discipulos suos, nihil suæ diuinæ potestati mortem detraxisse, de qua nondum satis erant persuasi: sicut vicissim visibiliter ac sensibiliter demonstrare voluit verum se hominem resurrexisse, eodem corpore & eadem anima præditum quam ante mortem habuerat.

Quomodo intelligendus hic ingressus ianuis clausis qui miraculosus quidē fuit, sed tamen non immutauit Iesu Christi humanitatem: nec inuexit aut vbiquitatem aut inuisibilitatem corporis Iesu Christi somniantes.

Hic quæritur, quodnam istud miraculum fuerit. Atque illi primùm qui libenter persuaserint Iesum Christum secundum humanam suam naturam à sua resurrectione, factum esse Omnipotentem, diuina omnipotentia, vt nullis amplius corporeis dimensionibus aut loci circumscriptionibus sit obnoxia humanitas: sed essentialiter sit, & in propria corporis substantia, alij quidem dicunt vbique, non minus quàm ipsa Deitas: alij in tot hostiis, quas vocant, quot sacrificus consecrarit: alij in tot locis quot Sacrosancta Cœna administratur, & in totidem hominibus quot ad Cœnæ communionem accedunt. Quæ omnes opiniones sunt totidem perniciosissima & falsissima dogmata, immo deliria à spiritu erroris in Ecclesiam inuectę, vt Christianam Religionem non tantùm in fabulas transformaret, sed prorsus tanquam sibiipsi contrariam aboleret. Nam si huius doctrinæ fundamentum, & quæ illi superstruuntur vera sunt, actum est de incarnationis articulo, tollitur enim definitio vnionis

nis personalis duarum Iesu Christi natura-rum, sine vlla confusione aut mixtione, nec essentiarum, nec earundem proprietatum essentialium. Corruit eadem ratione Iesu Christi corporis veritas, saltem ab eius resurrectione. Sic euertetur articulus Ascensionis Domini in cœlum, quæ non erit realis loci mutatio, vt historia docet, sed mutatio naturæ visibilis ac finitæ circumscriptæque suis dimensionibus (sine quibus corpus desinit esse corpus) in substantiam inuisibilem, & plus quàm spiritualem & Angelicam. Nec enim Angeli, nec animæ nostræ sunt vno momento pluribus simul locis. Sic ridiculus redditur articulus, secundi aduentus & reditus Domini è cœlis in terras, ad viuos & mortuos iudicandos. Nam ita redire non erit, realiter & substantialiter redire, sed non mutato loco in terris, ex inuisibili qualis à sua resurrectione fuerit, vsque ad suum reditum, iterum visibilem fieri, vt solent histriones. Immo, ne procul abeamus, idē Iesus Christus corpus habuerit sine dimensione, vt medias fores penetraret: & repente ingressus factus erit visibilis & palpabilis. Sed si hunc locum pro se Vbiquitarij adferunt, magnopere hallucinantur. Nam si iam erat vbique, qualem nonnulli ex ipsis, iam ab eius natiuitate ipsi tribuunt Vbiquitatem, sanè Iesus Christus non erit ingressus in locum ex quo non excesserat. quandoquidem vbique est: sed simul & eodem momento, intus & foris fuerit, præsens & absens. Sed quis tandem harum

nugarum finis? Verumenimuero dicat aliquis, quomodo Iesu Christi corpus penetrauerit ianuas clausas, quin duæ substãtiæ corporeæ simul in vno & eodem loco concurrerint? Et si id verum est, quomodo Iesu Christi corpus suas dimensiones corporeas & naturales retinuerit? Sed antequam istis respõdeam, verum sit necne quod in medium adferunt, quînam, obsecro, verum erit visibilem & palpabilem ipsum fuisse, loquentem & plagas veras monstrantem, séque eousque ad suorum captum accommodantem, vt cibum vnà cum ipsis caperet, nisi verè & citra illusionem naturales dimensiones retinuit? Sine quibus si corpus verum esse corpus potest, vel, si cũ quibus corpus potest esse non verum corpus, sed spiritus, nonne Iesus Christus præstigiatorẽ egisse videretur, ex istis dimẽsionibus visibilibus & palpabilibus veritatẽ sui corporis à mortuis suscitati comprobans? Sic igitur istud miraculum exponendum & intelligendum est necessariò, vt veritatis corporis Iesu Christi fundamentum maneat immutabile & inconcussum. Nec verò dicitur ingressus ianuis manentibus clausis, nec etiam penetrasse lignum aut ferrum: sed simpliciter quum portis clausis coacti essent in vnum discipuli, in medio illorum ipsum se stetisse: quibus verbis describitur repentinus & inopinatus ingressus ad eos qui tale nihil exspectabant. Sed ponamus non tantùm fuisse extraordinariam in hoc facto celeritatem, sed verum super-

naturale miraculum,dico, vt ſemper immota maneat veritas corporis Ieſu Chriſti neceſſariò fatendum iſtud miraculum virtute diuina Ieſu Chriſti factum eſſe, nō in eſſentiali proprietate corporis ipſius,qua ſemper fuit ac futurum eſt in perpetuum verum humanum corpus,ſed in ianuis:veluti quum ſuper aquas ambulauit & Petrus poſt ipſum,miraculum non accidit,nec in corpore Ieſu Chriſti, nec in corpore Petri:ſed in aquarum naturali qualitate,quarum natura fluida nō ita mutata eſt, quemadmodum quum eaſdem in verum vinum commutauit, ſed miraculosè tamen firmata & veluti ſolidata, ad eos qui ipſis inambulabant ſuſtinendos.Idē factum eſt in maris rubri trāſitu, Exod.14.22.& Iordanis, Ioſ.3.16. aquis in murū ſeſe conglobantibus hinc inde, vt populo Dei liber tranſitus pateret.Quid verò fornacem illam ardentē commemorem,in quā iniecti ſunt tres Danielis ſocij, cuius flāma ſemper quidē flāma fuit,& quidē ardētiſſima,vt ſuo periculo experti ſunt ij à quibus in ipſam tres illi Danielis ſocij fuerāt iniecti, ſed cuius naturalis ardor ſic fuit cohibitus, vt ne capillos quidē ipſorū attigerit,tantū abeſt vt nocuerit,Dan.3.27.Sic leonū rabies Angelorū miniſterio fuit coërcita,Dan.6.22. Idē de hoc facto iudicandum reor,ianuas miraculo tam repentè apertas fuiſſe & tam repentè viciſſim ſponte clauſas, vt id non ſit à diſcipulis animaduerſum:aut non erit abſurdū dicere ſi negemus apertas fuiſſe,ſubſtantiam earū ceſſiſſe

verò naturali corpori Domini ipſorum creatori, momentóque iterum coaluiſſe: quod ſanè non magis eſſe mirũ poteſt, quàm quod paulò ante vidimus, ſubito ipſum è duorum illorum viatorum conſpectu diſparuiſſe. Idẽ Philippo contigiſſe legimus, Act. 8. 39. nulla tamen facta nec in Ieſu Chriſti, nec in Philippi corpore mutatione: ſed ita tamen vt Philippi corpus non ita diſparuerit tanta celeritate ſupernaturali & ineffabili, facta in ipſo aliqua mutatione: ſed quoniam à Domini Spiritu raptus eſt: at quæ miracula Chriſtus edidit à virtute veræ Deitatis, quæ in ipſo eſt eſſentialiter, & non aliunde, manarunt. Quis verò ſcit num etiam hic Dominus vſus ſit alicuius Angeli, ab Apoſtolis non viſi, miniſterio in his ianuis momento aperiendis & claudendis, ſicut Angelum adhibuit ad ſaxum à monumento reuoluendum: vt non ſit neceſſe cum veteribus nonnullis ſentire, ſaxum à Chriſto fuiſſe penetratum, quandoquidem ea de re Scriptura nullam facit mentionem quæ nos in eam ſententiam deducat? Nec enim illic dicitur reſurrexiſſe clauſo ſepulchro, ſicut hic dicitur, coactis in vnum diſcipulis, ianuis clauſis ſeipſum in medio ipſorum ſtetiſſe. Sic porta ferrea ſpõte Petro aperta eſt, vt egrederetur carcere, Act. 12. 10. quemadmodum priùs contigerat carceris fores ab Angelis aperiri miraculosè Apoſtolis, tantaque celeritate claudi, vt poſtridie carcer inuentus ſit clauſus quàm tutiſſimè: cuſtodibus tamen ad fores ſtantibus iſtorum penitus

nitus insciis, vt quæ non animaduertissent, Act.5. 19. & 23. Siquis ad hæc excipiat nullum de his verbum in textu haberi, vicissim respõdeo nullum item verbum fieri de ianuis ab illo penetratis vt comminiscuntur, quod commentum ipsorum quum tam multa absurda consequantur, vt ostendimus, falsissima, fideique nostræ articulis contraria, hinc necessariò confitendum esse inferimus falsissimam illorũ interpretationem, nostram verò contrà expositionem fidei Christianæ consentaneam, multísque rationibus, & similibus exemplis fultã, esse verissimam. Denique si vt nostris figmentis locus detur, à Domino facta miracula tam anxiè & scrupulosè examinanda sunt, næ id fuerit velle comprehẽdere quod desineret esse miraculum, si eius ratio vel ab hominibus, vel ab ipsis Angelis peruestigari posset. Iam verò vt superiores rationes omittamus, qua tandem ratione facto extraordinario & miraculoso præsentiam corpoream ordinariam in administratione Sacrosanctę Cœnæ niti dixerimus?

Quàm præclara salutatio qua Dominus suos discipulos excipit, & singulis Christianis commendatur.

Quibus sic expositis, expendenda nobis supersunt quæ in hac apparitione dicta gestáque sunt. Itaque Dominus dicitur eos salutasse his verbis. Pax vobis: quas voces noster Euangelista non expressit temerè. Nam ex visitatis illis Domino vocibus confirmari discipulos oportuit in eius agnitione, & ex verborum ipsorum sono: vt Dominus suorum discipulorum incredulitatem tribus præcipuis huma-

nis ſenſibus coarguerit, auditu primùm, quum ex conſueto loquẽdi more ſit eos alloquutus: deinde viſu: tum etiam actu, quibus adde eſum ac potum, quod hæc hiſtoria diſtinctè exprimit. At hæc omnia illis tunc & hodie nobis forent inutilia, niſi eadem referamus ad fructum quem ex hac cognitione percipimus: vt hæc ſalutatio nobis eum indicat. Nam in ſumma, quid eſt Euangelium? Nuntius veræ & vnicæ pacis, noſtræ putà Reconciliationis cum Deo, per hunc à mortuis ſuſcitatum, ideóque inter alios titulos Principis pacis titulo ornatum apud Eſaiam: & quidem Pacis ſempiternæ, cuius non ſit finis. Eſa. 9. 6. & 7. quam mundus dare non poteſt, Iohann. 14. 24. &, quod longè maius eſt, quam oblatam reſpuit. Atque hac ratione cõciliatur quod modò dixi cum Chriſti dicto Matth. 10. 34. ſe non veniſſe pacem in terram miſſurum, ſed gladium: quæ minimè ſunt intelligenda, nec de natura doctrinæ Euangelicæ, nec de Domini propoſito ac fine: ſed de euentu maximæ hominum partis reſpectu: præſertim verò miſerandi huius populi, qui tanto bono ſe ſponte priuauit, támque horrendum in ſe iudicium, tam deteſtanda rebellione prouocauit. Annon verò nos idem hodie quoque experimur? Annon hoc ipſum hodie nobis obiicitur, in toto Chriſtiano orbe pacẽ floruiſſe priùs quã iſtius Euangelij fieret vlla mentio? Iiſdem omnino vocibus olim infœlicis illius populi reliquiæ conquerebantur apud Hieremiam, Ex eo tempore

pore quo cessauimus sacrificare Reginæ cœli (Soli nimirum, in cuius locum apud bonos scilicet Christianos Catholicos Mariæ Virginis idolum successit, & infinita patronorum & aduocatorum multitudo) & libare ei libamina, indiguimus omnibus, & gladio & fame consumpti sumus, Ierem. 44. 17. At Euangelium, omnibus istis calumniatoribus & blasphemis hominibus, inuitis licet ac ringentibus, non desinet esse doctrina pacis, veræque nostrarum coram Deo conscientiarum tranquillitatis, Matth. 11. 20. quandoquidem hac vnica doctrina docemur deleri quicquid à Deo nos separabat: & eâdem contrà nobis donari quicquid Deo nos gratos efficere potest, Eph. 1. 6. & 2. 16. & 17. per eum qui factus est nobis à Patre, sapientia, iustitia, sanctificatio & redēptio. Mundus verò, quandoquidem tantum bonum recusat, misera sua & deploranda cōditione fruitor: & quum amicitia mundi sit aduersus Deum inimicitia, vt qui mundi amicitiam quærit Deo se exosum reddat, Iac. 4. v. 4. ita nos erga mundum geramus, ne huius odij causa proficiscatur ab vlla nostra culpa, quos etiam inimicorum studere commodis par est, Luc. 6. 27. & malum bono compensare 1. Thess. 5. 15. sed quicquid odij intercesserit eorum vitio feratur acceptum. En pacem qua de hîc agitur, quámque nos disertis verbis iubet Dominus nobis inuicem precari, tum verbis tū factis, qualis olim mutua fuit Christianorū salutatio, & quidem addita conditione non

fore, nisi per nos steterit, tales piorum inanes preces. Vtinam verò non tam multi hodie passim obuij essent, & quidem eorum qui Euangelico nomine gloriantur, ore pacem præferentes, corde verò infensissima odia fouentes, quos ad illa Domini apud Prophetam verba relego, Nunquid super his non visitabo, dicit Dominus? aut in gente huiusmodi non vlciscetur anima mea? Ierem. 9. 8. & 9. Eò, inquam, istos ablego, & ad Iudæ tristem exitum, cuius illi vestigia premunt, Matth. 26. 41.

Dominus obtulit ac dedit discipulis suis pacem quã eis precatus est quod adhuc hodie per fideles suos seruos homines alloquẽs facit.

Vt verò nostram historiam repetamus, obseruanda hic differentia inter hanc salutationem à Iesu Christo, & ab hominum reliquorum ore promanantem. Nos enim hoc vnum hac in parte possumus, quatenus homines, benè alij aliis nimirum precari, quarum precum effectus Domini arbitrio permittendus est. Iesus verò Christus ita suos alloquutus, etiã pacẽ eandẽ obtulit ac dedit ipsis quam optauit, quum omnem habeat in cœlis & terra potestatem, vt deinceps visuri sumus. Etsi verò non ampliùs in his terris ore suo nos alloquuturus degit, tamen, nisi impedimento ipsi fuerimus, idem thesaurus quotidie ab ipso nobis offertur ac datur nõ minùs verè, quàm quũ discipulos suos coram est alloquutus. An non enim ij sumus, quos quotidie per seruos ac legatos suos ita cõpellat, Recõciliamini mihi? 2. Cor. 5. 20. Nonne idẽ prætereà Iesus Christus est, idẽmque Spiritus Sanctus qui nostro Spiritui testatur nos esse Dei filios & Dei cohæredes? Atque

que idipſum quod ſui tẽporis hominibus Dominus dicebat, Venite ad me omnes qui fatigati eſtis & onerati, & ego faciã vt requieſcatis. Matth. 11. 28. quódque voce magna in templo clamauit, Qui ſitit, veniat ad me & bibat, his verbis eam Pacẽ, qua de hic agitur, denotans: nonne idẽ quotidie inclamat per eos in quorum ore verbum iſtud recõciliationis poſuit? 2. Cor. 5. 19. Sed de hoc poſteriore pluribus deinceps acturi ſumus.

Cæterùm vt Dominus ſtatim à limine miſeros ſuos diſcipulos hac ſalutatione voluit cõſolari, ſic etiam lapſum ipſorum non par uum minimè diſſimulauit, exprobrans ipſis, vt apud Marcum dicitur, tarditatem cordis & incredulitatem. Qua in re præbuit exemplum quod veros omnes Paſtores oportet imitari, conſolationes ac reprehẽſiones ita temperantes, vt nec dulce nec amarũ ſuperet, vt ſolent boni medici ex ſimplicibus variis pharmaca tẽperare. Atque hoc præſertim ſeculo digna ſunt iſta non leui conſideratione, quo videmus maximè noxios quoſque nihil aliud quàm Euangeliũ ad voluptatẽ poſtulare, Eſa. 30. 10. quorũ tamẽ rebellio poſtulat à nobis ne vllum finẽ faciamus ipſorũ iniquitates pleno gutture carpendi, quod idem Propheta iubet, Eſa. 40. 6. qua in re vtinã Deus ſuo nos Spiritu regat. Sed an iiſdẽ licebit vti obiurgationibus & exprobrationibus, quibus à Domino diſcipulos fuiſſe correptos cõſpicimus? Quidni? quum ex officio teneamur, ne in ma-

Conſolationes & reprehenſiones in fideli Euangelij administratione dulci & amaro ſunt temperanda.

dictionem incurramus, quam aduersus mutos canes Propheta idem olim protulit, Esa.56.10. Nam hi scholam Euangelij non ampliùs quadriennio frequentarant, nos verò iam annos quadraginta, immo quinquaginta, & amplius Dominus nullũ monendi & obiurgandi finem fecit, sed monitionibus nullũ locũ dedimus. Cuius enim cor mollitũ est, aut immensis quę à Domino accepimus beneficijs, aut eiusdem varij generis castigationibus? Et vt paucis absoluam, quis adhuc verbo huic seriò fidem adhibuit, licet Ecclesiæ reformatæ titulo gloriemur? Nam si Paradisum Dei filiis paratum esse vera fide crederemus, nonne maiore illius studio & ardore teneremur? Ac si vicissim Inferos crederemus, præparatos hanc sapientiam contemnentibus, quorum futura conditio deterior est Sodomæ ac Gomorrhæ, nonne metu trepidaremus, oculis nostris intuentes Domini securim, qua tam multæ tam variis locis Syluæ Domini decussæ sunt, & ignem illum ardentem Domini, quo tam multi & finitimi & procul à nobis remoti populi exarserunt, iam iam nobis imminentem? Quis verò huius indignationis ardori sustinendo par est? Ecquis huius torrentis exundantis impetum compescet, quo maximam orbis partem deuastatam cõspicimus ab ortu ad occasum, & à Septẽtrione ad Meridiẽ? Quid igitur hic agas? Nempe saltem, quũ nos adhuc Iesus Christus alloquatur, pacémque hanc offerat, contentus nobis duritiem nostram & incredulitatem expro-

exprobasse, supplicibus votis eum precemur, vt quā mētē suis discipulis dedit, quò in hac reprehēsione proficerent, eandē nobis largiatur.

Sed ne imitemur eos in eo quod hic dicitur, conspecto ipso non modò non credidisse quæ oculis suis videbant, auribúsque suis audiebant, sed etiam sic attonitos & metu perculsos fuisse, quòd in medio sui ipsum conspicerēt, non animaduerso tamē eius ingressu, vt non eum esse existimarint, nec verū hominē: sed spectrū, aut geniū quendā siue bonū siue malū, qui vana quadā specie corporis ipsis illuderet: quales visiones sacra Scriptura sæpe recenset, vt non sit curiosius inquirendum in modum & rationem naturalem aut supernaturalem qua illa fiant, & sese non tantùm nostræ διανοητικῇ φαντασίᾳ, sed sensibus etiam externis offerant. His aliquid amplius adde, Angelos, quoties ita Deo visum fuit, hominibus apparuisse cum veris corporibus humanis minimè φανταστικοῖς, aut per imaginem quandam animo insidentem, adeò vt etiam ederint ac biberint, licet non hoc fine vt ex cibo potuque alimentum caperent, quum Angeli istiusmodi corpora assumserint subitò in hunc vsum formata, deinde iterum dissoluta, sicut ex Abrahami historia nominatim liquet. Nec dubitandum etiam quin maligni illi spiritus Deo permittente possint istiusmodi corpora quædam induere, quod de infelicibus illis veneficis publicæ latæ sententiæ demonstrant, quæ sanè non sunt semper vanæ illusiones.

Quomodo intelligendum quod hic dicitur de Spiritus apparitione.

Quàm magni abusus in Ecclesiã inuecti ex falsis spirituum apparitionibus.

Hic verò nobis ab apparitionibus summopere cauendum. Nam Propheticæ visiones præteriere: reliquæ verò, præterquã quòd iam olim cauit Dominus ne consilium à mortuis peteretur, Deut.18.11. sunt relinquendæ incantatoribus illis ac necromanticis, seductis & seducẽtibus, quum experientia docuerit quot inde abusus in Christianum orbem inuecti sint, quótque horrendæ idolomaniæ species, quas nondum dispescere lucis Euangelicæ splendor potuit: ex quo quilibet amentissimus discat quantopere sint fugiendæ: quum præsertim maxima pars talium apparitionum meræ sint imposturæ legibus puniendæ: qualis ille fuit pseudoSamuel qui Pythonissæ apparuit.1.Sam.28.14.

Errum error qui de Dei operibus ordinariis aut extraordinariis non nisi ex sensu suo naturali iudicant.

Sed vnde tandem nata illis hæc opinio? Supernaturalis Iesu Christi ad ipsos ingressus, ex quo inferebant corpus illud oportere non esse corpus naturale: qua in re parùm memores se præbuerunt diuinæ potentiæ Domini nostri Iesu Christi, cuius insignia testimonia habuerant tot edita omnis generis miracula. Saltem debuerant in memoriã reuocare quid sibi contigisset, quũ viso Iesu Christo super aquas ambulante, spectrũ esse putauerant, eodem modo hallucinari quo hic etiam hallucinantur: in eo nempe quòd quemadmodum tũc miraculum illud non fiebat in Iesu Christi persona super aquas ambulantis, sed in aquis super quas ambulabat: sic in hoc tam repentino ingressu miraculum non erat factum in Domini corpore,

sed

ſed in ianuis, per quas tam repentinus ingreſſus Domino patuerat, & tam repentè rurſus coierant. Quemadmodum igitur aquę ſic ſolidatæ ſub Ieſu Chriſti pedibus nullam tamen mutationem patiebantur, nec eſſentiæ ſuæ nec qualitatis eſſentialis, non magis quàm quum aquæ glacie concreſcũt, vt etiam ſuper eas incedatur: non abſimili modo ianuæ illæ nullam paſſæ ſunt ſubſtantiæ mutationem, multóque minus corpus illud quod eas cedẽtes penetrarat. Hoc igitur ingreſſu Domini noſtri Ieſu Chriſti corpus nullo modo fuit alteratũ, ſicuti ſupra ſatis copioſè docuimus. Verumenimuero conſpicimus in hoc exemplo qualis ſit miſera noſtra & cæca natura, tum in conſideratione maximorum Dei operum, ſiue ordinaria, ſiue extraordinaria illa ſint, tum in eorundẽ obliuione. Indéque tertium maximum vitium naſcitur, quòd infinitam Dei noſtri virtutem ex noſtrarum virium modulo & captu metientes, falſiſſimas concluſiones elicimus, quibus in exitium vltimum abriperemur, niſi noſtri Dominus miſertus per ſanctum ſuum Spiritum nos meliora principia doceret, quàm quæ in nobis ita corrupta ſunt.

Quum igitur Dominus tot teſtimoniis teſtatã feciſſet, non potentiam diuinã extraordinariam, aut aliunde mutuatitiam, ſed veram & eſſentialem Deitatem, id ſi diſcipuli meminiſſent, nonne facilè concluſiſſent ex ſupernaturali hoc ingreſſu minimè dubitandũ quin qui alios à mortuis ſua vi ſuſcitaſſet, eâdem ipſe

Humana ipſa ratio poteſt ac debet infinitã Dei potentiam nobis comprobare.

quoque resurrexisset? Sed quid agas? à naturalis sui sensus apprehēsione pendent, qui sibi nō patiuntur persuaderi ista sic posse contingere. Et tamen hoc si daretur, nonne humanitus loquēdo, firma foret ac solida cōclusio, siquis inferret, Deum igitur non esse Deum, nec auctorē naturæ, si nihil nisi ex naturæ legibus potest administrare? Ex eo enim sequeretur nec Infinitū esse, nec Omnipotentē, ac proinde nullum aliū esse Deū quàm ipsam naturā, quæ tamen nec ipsa Deus erit, quādoquidē suis ipsa legib. deuincta tenebitur. En quo nos egregia illa naturalis scientia ducat: & illa insaniens ratio, per quā hoc assequuti sunt qui omniū sapiētissimi habebantur, vt maximā suam ignorātiā magis magísque patefecerint. Rom. 1. 22.

Remedium aduersus superiora & quomodo Dei promissis vtendū sit vt ex iis effecta speremus & exspectemus.

Quò verò præcipitium istud fugiamus, Dei nostri potentia immēsa est omnibus illis opponenda, qui causarū secundarū ordinē ac vices ita disposuit, vt tamen ipse maximus earum sit Rector, eas mutans, varians & abolens ex suæ bonæ volūtatis arbitrio: séque ita verè Infinitū ac Omnipotentē patefacit. Porro duo extrema hic summopere cauenda sunt, vnum ne propterea constitutum à Deo ordinem negligamus quem Deus nobis instar speculi proponit in quo visibilia ista intuentes ascendamus ab iis ad inuisibilia magni huius Operarij & Rectoris tum harum causarū tum earundem effectuū. Alterū ne hos imitati ex ingenij nostri captu Dei promissiones aut iussa metiamur, quæ tanquam vera recipiamus, aut falsa respua-

ſpuamus. Exempli gratia, ſi de credenda vnica ſola & eſſentiali Deitate, Patre, Filio & Spiritu ſancto agitur, id Philoſophus ridebit, de quo Chriſtianus minimè omnium dubitabit. Si credendum dixeris ab omnipotente Deo ex nihilo creata omnia, ſtulta naturalis ratio eludet, fidelis verò fidem verbo Dei habẽs. Creatori debitam gloriam & honorẽ feret. Atque idẽ eſto de reliquis omnibus noſtræ fidei articulis, quorũ fundamentũ eſt hoc vnicũ, Deum dixiſſe, & nobis illos expoſuiſſe. De futuris autẽ, quæ in genere nobis nẽpe promiſſa, poſita ſunt in ſpe, qualis eſt noſtra reſurrectio, reditus Domini è cœlis, ad viuos & mortuos iudicandos, alios ad vitã, alios ad mortẽ æternã, ea omnia certò euẽtura credimus, contẽptoribus in ſua infidelitate relictis, donec tandẽ vltimo illo incendio corripiãtur, vt prior ille mundus Noachi tẽporibus aquarũ cataclyſmo ſublatus eſt. Idémque nobis ſtatuendum de applicationibus ſpecialibus promiſſi ſingulis fidelibus fauoris & auxilij diuini ac liberationis ab omnibus periculis terrenis, & huius vitæ negotiis: hoc ſedulò cauentibus ne fide noſtra ab vllis cauſis ſecũdis in hanc vel illã partẽ inclinantibus pẽdeat: vt cõtrà quò magis cauſæ ſecundæ declinare videbũtur ab exitu anguſtiarũ in quas incurrimus, eò minùs animũ deſpõdeamus: quandoquidẽ Dominus toties noſtro ſeculo & in omnium noſtrûm oculis teſtatum fecit, tum maximè ſuam immenſam potẽtiam eſſe conſpicuam, quum humana auxilia de-

fecisse videntur. Verumenimuero quum sit nobis negotium cum hoste astutissimo & vaferrimo, si diuinarum promissionũ effectum assequi volumus, agite, simus primùm ex eorum numero, quibus illæ factæ sunt, credentium ac pœnitentium: deinde intra promissionis terminos consistamus, quos vltra citráque nequit consistere rectum. Exempli gratia: Dominus pollicitus est se suos nunquam deserturum: hac igitur spe ac fiducia precemur illum ne nos deserat: certo persuasi nunquam has preces irritas fore. At quum non sigillatim nobis significarit: quando, quibus auxiliis, quomodo nos periculis sit erepturus, licet quidem, Dauidis exemplum imitatos, aliquid ab ipso magis speciale postulare, ne auxiliũ suum differat, sed potiùs opem laturus accurrat, hoc vel illo periculo nos eripiat: hoc vel illo modo quem præparasse videtur ferat nobis opem: sed cum conditione, quando nimirum sic ipsi videbitur, per quos, qua ratione & modo, siue per mortem, siue per vitam: sic in vnicam eius prouidentiam recumbentes qui solus vult ac potest omnia pro suorum conseruatione. En quomodo pro perpetua perturbatione qua propter incredulitatem ac diffidentia perpetuò æstuamus, fides firmo nixa fundamento spem fouens quæ nunquam confundit, nos cum Dauide tranquillo animo & conscientia pacata in maximis quibúsque tempestatibus docet ac docebit in has voces erumpere, Iehoua lux mea, à quo timebo? Iehoua

robur

robur vitæ meæ à quo trepidabo?

Sed præter superiora illa omnia summopere nobis contrà vitandus est eorum error, qui Dei Omnipotentiæ obtentu libenter nobis miracula ex sui cerebri imaginatione obtruserint. Sic hodie qui falsissimè docent corpus reale & essentiale Iesu Christi, aut Transsubstantiari in Missa: aut in Cœnæ Domini administratione Cōsubstantiari, aut Vbique esse realiter & Essentialiter in cœlo & terra, deliria illa sua nolentibus admittere exprobrant incredulitatem, atque istis discipulis de quibus hic agitur, similes esse dicunt, ipsique Thomę, nihil nisi quod oculis suis videret aut manibus tangeret, credere volenti, quasi fides nostra à sensibus pendeat. Sed habemus, Dei beneficio, quod regeramus: ac primùm quidem Sacram Scripturam non modo nullam facere mentionem aut huius mutationis aut abolitionis panis aut vini sacramentalis, aut huius realis alicuius coniunctionis substantiarum: sed contrà ex diametro illa naturæ & vsui Sacramentorum repugnare: quum ea sit Sacramentorum natura & vsus vt spiritualis nostra cum Iesu Christo sit coniunctio, quæ minimè fiat manibus nec ore corporeo, sed virtute Spiritus sancti, apprehenso Iesu Christo per fidem, vt huic mysterio nihil sit commune cũ vllo corporis situ, nec vlla præsentia reali & essentiali corporis Iesu Christi in his terris. Deinde, tantum abesse, vt hæc miracula vera sint, quæ nobis persuadere nituntur, vt contra

Alius error ridiculus, sed longè perniciosior superiore eorũ nempe qui sua somnia Dei Omnipotentiæ pratextu obtendunt,

ne ſint quidem, aut fuerint, futuráve ſint vnquam, quandoquidem ex diametro repugnant articulis fidei, tū Incarnationis filij Dei, à quo vera humana natura aſſumpta eſt, cum vero corpore, veráque anima in perpetuū, non minus poſt glorificationem quàm ante ipſam: tū eiuſdē Aſcenſus realis & actualis ſupra omnes cœlos, in quibus oportet illum ſecundum humanitatem contineri, donec ex iis redeat realiter & actualiter viuos & mortuos iudicaturus, vel ipſis Angelis, & aliis oculatis teſtibus, qui eum aſcendentem conſpexerunt, Act. 1. 9. & 11. & Apoſtolo Petro, Act. 3. 21. vnde ſequitur vel ſibiipſi contrarium eſſe Dei Spiritum (quod ſine blaſphemia deteſtanda dici non poteſt) vel eos qui hanc doctrinam obtrudunt, nimium impudentes eſſe impoſtores ac mendaces.

Iſtiuſmodi cogitationibus non erit locus ſi maturè reiiciantur.

Tanti verò mali originē ex his Domini noſtri Ieſu Chriſti verbis agnoſcamus, *Quare diſceptationes ſubeunt corda veſtra?* En igitur quomodo hæc in nobis tentatio formetur, quū ex noſtris tantū ſenſibus de Dei verbo iudicamus & in animo noſtro quædā eorū quæ ſenſus dictat impreſſio formatur, quę nimiū temerè ſuſcepta, & nimiùm diu retenta tandem omnem falſitatem gignit & producit, plerūque eradicans quod antea plantatum incipiebat germinare. Meminerimus igitur vſitatiſſimi prouerbij, Obſidione cinctos de pacis conditionibus agentes: iam deditioni propinquos: quam obrem quum de veritate ſemel nobis conſtiterit, vbi vel minima dubitationis nubecula no-

nostris mentibus offusa fuerit, fores nostræ cogitationis obseremus, oculos claudamus, aures obturemus: ne hostis hac via nos adortus penetret: ac si fortè incautis vim fecit, magna vi tormentorum spiritualium foras ipsum expellamus, ardentibus nimirum precibus, fide & spe armati, cataphractorum instar militum, qualem Christiani militis πανοπλίαν Apostolus describit, 1. Thessal. 5. 8. & tunc à nobis hostis ille fugiet, Iac. 4. 7. neque tamen adeò procul fugiet, vt eius reditus non sit metuendus, nisi nobis cauere perrexerimus, vt nos Dominus noster admonet, Matt. 26. 41.

Ampla expositio argumenti à naturali principio desumpti quo Iesus Christus ad sui corporis suscitati veritatem probandam vtitur.

Cæterùm hoc verum aut falsum esse facilè dicitur, ac sæpe nimis contingit id esse falsum dici quod verum est: & contra verũ quod falsum est. Facilè itẽ est alios carpere, qua in re tamẽ sæpe grauiter & periculosè peccatur. Vt igitur nostris reprehẽsionibus locus sit, suumque illæ põdus habeãt, discamus ex Iesu Christo eas rationibus necessariis & euidentibus fulcire. Hi igitur, propter allatas à me superiùs rationes sibi persuadebant, quod videbant & quod eos alloquebatur nõ modo non esse suũ Dominũ, sed ne verũ quidem hominẽ esse, at spiritũ quendã, qui specie tenus formã haberet corporeã. Tũ Dominus animaduertẽs, quãtopere essent hallucinati falsam conclusionẽ elicientes ex vero naturali principio, sed malè ad rem adeò supernaturalẽ applicato, ad tam repẽtinũ eius nimirũ ianuis clausis ingressum,

errorem ipſorum corrigit, nixus naturali prin cipio & optime adaptato, nempe ad corpus ſuum vere naturale, licet per ſuam reſurrectionem vitæ animalis infirmitatis ſpoliatum, præter accidentarias, quibus ſe tamen à natiuitate huc vſque ſubiecerat. En verò Domini per partes argumentum.

Eſſe verum corpus eſſentiatum, viſibile eſſe & palpabile, ſunt ἀχώριστα ſine vllæ exceptione.

Subſtantia ſpiritualis nec carnem habet, nec oſſa. Ego habeo carnem & oſſa, Ergo non ſum Spiritus, ſed verum corpus humanum. Huius argumenti propoſitio non indiget probatione: aſſumptionis facit eos iudices, manus ſuas ac pedes ipſis oſtendens. Ne verò ſuos ſenſus decipi arbitrarētur, Videte, inquit, manus meas & pedes meos, tangite me & cōtrectate, mecum credituri non eſſe meam reſurrectionem fictam, ſed veriſſimam & certiſſimam. En, quale Domini argumentum, ſic innixum eo quod eſt adeò eſſentiale omni ſubſtantiæ corporeæ, vt eo ſublato, nempe viſibile eſſe & palpabile, quod corpus erat, deſinat eſſe corpus. Nam alioqui firma non eſſet concluſio, niſi eſſe verum corpus eſſentiatum, & Eſſe viſibile ac palpabile inter ſe indiuiduo nexu cohærerent.

Niſi Ieſus Chriſtus aſſumpſit ac retinuit verum humanum corpus viſibile & palpabile cum eſſentialibus quali

Atque ab hac perpetua & immutabili veritate corporis Ieſu Chriſti ſequentes articuli noſtræ fidei nituntur, Primùm Filiū Dei coæternum & coëſſentialem Patri aſſumpſiſſe in vnitatem perſonæ verum corpus humanum, ex virginis ſubſtantia formatum, virtute & operatione Spiritus ſancti. Ac procùldubio ſi

ſecus

ſecus eſſet, nequaquam frater noſter eſſet, nec Seruator Adamo promiſſus ex eius ſemine, ac deinceps Abrahamo, tum Dauidi: ac proinde vnum ex noſtræ ſalutis præcipuis fundamentis conuelleretur in eo poſitum, quòd natura noſtra plenè fuit ſanctificata in eius perſona qui pro nobis eam aſſumpſit, vt in ea pro peccatis noſtris ſatisfaceret, quæ in ſe ſuſceperat, tanquam vas atque ſponſor noſter, vt vitam ęternam ſua obedientia ad mortem vſque Crucis acquireret.

tatibus, non eſt frater noſter nec redemptor.

Deinde quemadmodum vera fuit eius humanitas, in omnibus, excepto peccato, noſtræ ſimillima, ſic eius vita fuit veræ naturalis vita, veriſſimæque eius paſſiones, non autem ex opinione aut ſpecie tenus. Nam alioqui noſtra liberatio vana & imaginaria foret.

Niſi Ieſus Chriſtus verum humanum corpus habuit, non autem ſpecie tenus, noſtra redemptio vana eſt & illuſoria.

Tertiò, licet per reſurrectionem omnes illas infirmitates exuerit, & iam tum ſtatum & qualitatem vitæ ſpiritualis induerit: nihilominus tamen corpus illud verè retinuit verum corpus humanum & naturam eſſentiæ, verè corporeæ, viſibilis & palpabilis. Nam alioquin à reſurrectione frater eſſe noſter deſiiſſet, ſi corpus haberet cuius à noſtris corporibus eſſentia differret, ac proinde falſum illud eſſet quòd Maria Magdalena diſcipulis nuntiare iuſſa eſt, Aſcendo ad Patrem meum & ad Patrem veſtrum. Quòd ſi ſecus eſſet, quo fundamento, quæſo, noſtra viuificatio niteretur?

Si Chriſtus per reſurrectionem accepit aliud corpus eſſentiâ & qualitatibus eſſentialibus, verũ ipſius corpus non reſurrexit.

Quartò, idem numero & ſubſtantia corpus

Si Ieſus

Christus aliud corpus essentia aut qualitatibus essentialibus accepit, nostra corpora etiã in morte remanebunt.

quod fuit crucifixum & sepulchro conditum à mortuis resurrexisse. Ideóque non simpliciter memoratur Dominus discipulis pedes ac manus ostẽdisse, *sed suos pedes, suas manus, suũque etiam latus*, & quidem in quibus plagarum quæ in cruce acceperat stigmata, tum manuũ pedúmque ac lateris impressa manerẽt, quod deinceps pluribus audituri sumus. Ac sanè si aliter esset, minimè suscitatum à mortuis corpus eius fuisset, sed aliud accepisset essentia & numero: ac proinde concludendum esset non eadem nobis per resurrectionem reddi corpora, mortémque hoc respectu victoriam in nos obtinere, Iesúmque Christum non fuisse corporum & animarum liberatorem.

Glorificatio corporis Iesu Christi nihil in eius essentia aut proprietatibus essentialibus mutauit.

Quinto loco, ex iisdem supradictis rationibus, ex quibus apparet resurrectionem nihil immutasse, nec in Iesu Christi corporis substãtia, nec proprietatibus eiusdem essentialibus, etiam fit cõspicuum glorificationem eiusdem nihil immutasse in sua essentia, nec eius qualitatibus essentialibus, licet euectus sit in summum dignitatis gradum supra res omnes creatas, summas medias & infimas.

Iesu Christi corpus suo Ascẽsu realiter & actualiter terris excessit vsque ad suum reditum vltimo die futurum.

Sextò, Assensum eius proinde realem & actualem fuisse, cum loci mutatione necessariò coniunctum: sicut eiusdem è cœlis reditus verè futurus est realis & actualis: etsi quòd sic à terris supra omnes cœlos euectus est, & sicut ipsi libuerit descensurus est ex iisdem ad viuos & mortuos iudicãdum, ratione & modo planè ὑπερφυσικῶς & procedẽte ab eius verè diuina

virtute,

& nobis incomprehensibili contingat.

Quibus ita positis, concessis & probatis, videmus quot detestandæ hæreses, totius Ecclesiæ Christianæ omnium ætatū suffragiis condemnatæ, nostróque tamen seculo repullulantes, refutentur hac historia: ad quas accedit eorum doctrina qui volūt reale Iesu Christi corpus & essentiale factum esse inuisibile & Impalpabile, vt in his terris sit adhuc pręsens, siue Vbique, vt hodie quidem audent nimis impudenter mentiri: siue in tot locis quot ipsis libet, & nominatim in pane illo incantato Missæ, aut, vt alij, in Sacrosanctæ Cœnæ pane. Qui errores quum prorsus & ex diametro pugnent cum veritate Iesu Christi corporis, quod visibile est ac palpabile, atque in sua essentia verè tam naturale, quàm in suis qualitatibus super naturale & gloriosissimum: non mirum est si Iesus Christus argumēto à naturali principio ducto sui corporis veritatem probauit, quod nos etiam illum hodie secuti facimus: non de rebus spiritualibus ex naturæ principiis iudicantes ac ferentes sententiam (quod falso nobis impingitur) sed, Iesu Christi exemplum, in eodem facto, secuti, applicantes vero & naturali Iesu Christi corpori, naturale principium: ac proinde simile simili: sicut contrà monet Apostolus spiritualia cum iis quæ sunt spiritualia coniungenda. 1. Corinth. 2. 13.

Falsissima est doctrina præsentiæ essentialis corporis Iesu Christi in terris ab eius Ascensu in cœlos: & prorsus conuellit articulos Incarnationis, Ascensus & reditus eiusdem ex cœlis.



HOMILIA DVODECIMA.

Luc. 24.

41. *Adhuc autem ipsis non credentibus præ-
gaudio, & mirantibus, dixit eis, Habetis hic escu-
lentum aliquid?*

42. *Tum ipsi porrexerunt ei partem piscis aßi,
& aliquid ex fauo apiario.*

43. *Quæ ille accepit, & in eorum conspectu
comedit:*

44. *Dixítque eis, ibi sunt sermones quos lo-
quutus sum vobis quum adhuc essem vobiscum, o-
portere impleri omnia quæ scripta sunt in lege Mo-
sis, & Prophetis & Psalmis de me.*

45. *Tunc aperuit eorum mentem vt intellige-
rent Scripturas.*

46. *Et dixit eis, Ita scriptum est, & ita opor-
tuit Christum pati & resurgere à mortuis tertio die.*

47. *Et prædicari eius nomine resipiscentiam
ac remißionem peccatorum apud omnes gentes in-
cipiendo ab Hierusalem.*

Iohan. 20.

21. *Dixit autem eis iterum, Pax vobis.*

Admirandum exemplũ nostræ natiuæ rebellionis aduersus Dei verbũ.



ACTENVS audiuimus quãta lenitate & bonitate Dominus suorũ discipulorũ tarditatẽ & incredulitatẽ tolerarit, quũ ad eos vltrò accessit, seque in eorũ gratiã eovsq; demisit vt pedes suos, manus ac latus eis exhi-

exhiberet, quæ viderent ac palparent: vnde hunc fructum discipuli perceperunt, vt summa ipsorum tristitia & mœror in maximum gaudium conuersus sit: quem in nobis effectum gignit Euangelij fide apprehensi prædicatio. Rom. 5. 1. At quæ subiiciuntur illos nondum credidisse, sed miratos fuisse, pugnare videntur cum hoc gaudio, quod non cadit nisi in animum qui acquiescit in eo quo lætatur. Hinc igitur primùm discamus quàm altas in hominum animis radices agat incredulitas ac diffidentia, vt non frustrà dictum sit, oportere nos à Patre ad Christum quasi violenter trahi, Iohan. 6. 44. vt de nobis seriò dies atque noctes cogitantes, Deum supplices oremus vt cœptũ in nobis opus perficiat: qua in re quum plerique negligentissimi sint, inde fit vt tam multa tristissima eorum exempla conspiciamus, quibus quod acceperant eripitur, quòd nimirum paucissimi indefesso cursu ad metam vsque decurrant.

Nihil spirituale est in homine regenito, quod nõ sit permixtum carni tam in intelligentia quàm voluntate.

Deinde notandũ, quòd in nostra regeneratione, quemadmodũ natura nostra, qui vetus homo dicitur, nõ nisi pedetẽtim extinguitur, sic nouus homo & spiritualis non nisi secundùm mensuram augetur, vnde fit vt fides & incredulitas, spes & diffidentia, certitudo & dubitatio in vnum & idẽ intellectus nostri subiectum incurrant: velut etiã amor & studium boni ac virtutis cum inclinatione ad malum in idem voluntatis subiectum incidunt: ita inter se carne & spiritu luctantibus, vt suo ipsius

exemplo nos Apostolus copiosè docet, Rom. 7. Quoniã verò nec intellectus noster nec volũtas magis possunt diuidi & in partes secari, quàm animæ nostræ essentia quæ simplex est & spiritualis: idcirco tam contrarias inter se qualitates nõ oportet considerari seorsim, sed tantùm distinctè, tum in se ipsis, tum in ipsarũ effectis: qua de re hodie inter fanaticos nonnullos controuertitur. Nulla igitur tanta fides est, vel in maximè regeneratis, quæ non sit incredulitate permixta: nec spes, quæ non cum infidelitate luctetur: nec tam recta voluntas quæ non in sinistram partem nonnihil deflectat, nec denique bonum vllum opus, quod non aliquo vitio & labe inficiatur: quemadmodum aquæ tepidæ nulla particula calida est non mixta frigore, nec vicissim frigida, quæ non sit caloris alicuius particeps: non frustrà nec temerè Dauide dicente, Domine, ne intres in iudicium cum seruo tuo: quia non iustificabitur in conspectu tuo vllus viuens. Iam verò quid meritis illis, quid venalibus satisfactionibus futurum est? Non mirum igitur si sic discipuli crediderunt, vt etiam quod credebant in dubium vocarint: sicque lætati sint vt nihilominus attoniti permanserint: vt nulla sit in istis repugnantia quominus istorum vtrumque sit verissimum.

Huius doctrinæ vsus. At quis immensam Domini clementiam, bonitatẽ ac misericordiã hic non admiretur, qui quò magis discipuli gratia se eius indignos præbuerunt, eò profusiùs illam in eos effudit:

fudit:

fudit: quóue longiùs ab eo recesserũt, propius ad eos accessit, vt sciamus suorum electorum salutem ab eius sola gratia pendere, non eius tantùm exordium, sed etiam medium & finẽ, donec ad suam perfectionem aduenerit: vt omne os occludatur, & Deo detur gloria, verissimúmque illud esse confiteamur quod ait Dominus, Ose.13.9. Perditio tua, à te est, Israël, sed in me auxilium tuum. Porro si in tanti boni partem venire cupimus, in nobis detestemur quod hic in discipulis meritò reprehendimus, & magis magísque nostram incredulitatẽ condemnemus, nostrámque diffidentiam: ac quod in his ipsis est laudabile sequamur, quòd aduersus Magistri reprehensiones non responsarunt, sed contrà culpam fassi se dociles præbuerunt, quæ vera est verorum Christianorum nota.

Quomodo Apostolorum incredulitate Dominus vsus sit admiranda sua prouidentia in confirmandis Apostolis & tota Ecclesia de resurrectionis articulo.

Denique non minus admirandam ac suspiciendam Domini in hoc facto sapientiam, quàm eiusdem potentiam ac bonitatem intueamur. Nam, obsecro, nonne certissimum est, Dominum vno momẽto potuisse omnem istam discipulorum incredulitatem corrigere? Cur verò non vno momento, sed pedetentim correxit? Primùm, quia non tenebatur citiùs: ac proinde minimè mirandum quòd tunc quidem nihil amplius in ipsis effecerit, sed quòd voluerit facere quòd fecit, & sicut fecit.

Deinde (quò magis se admirandum hic ipsius opus præbet) maximo ipsorum id commodo factum est, & in totius Ecclesiæ Dei vti-

litatem. Nam quò tardiores in credendo fuêre discipuli, eò meliùs ipsis innotuit, in suam ipsorum ac nostram vtilitatem, quanta sit naturæ nostræ prauitas, ac proinde quàm immēsa Dei erga suos misericordia. Deinde quò in credendo difficiliores fuerunt, eò plura testimonia Dominicæ resurrectionis habuerūt, cuius nimium multa non possumus habere, quandoquidem in ea nostræ salutis causa formalis posita est. 1. Cor. 15. 16. & 17. Non igitur solis ista contigerūt, sed nobis etiam ad mūdi vsque consummationem erudiēdis ac semper confirmandis. Quantus ergo, Domine, & qualis es artifex, qui ex discipulorum tarditate & veluti stupore, tum ipsorum tum nostrum etiam emēdas, tātùm abest vt quod meritò facere poteras, nobis illum crimini vertas. Sic ab initio factum est nō sine tua prouidētia, vt præclarum illud operum tuorum specimen Adamus in tantum exitium præceps ferretur, in quod nos vnà secum traheret, vt in tam sublimem statum à secundo Adamo, qui Filius tuus est æternus eueheremur. Sic ex huius lapsus pœna, quæ mors est, vitam eduxisti æternam, in Filij tui persona, pro omnibus electis: sic inimicus nostræ salutis, ex tyrannide illa quam in nos exercebat magis depressus est, etiam pedibus nostris conculcandus.

Cur & quo modo Iesus Christus quū à sua Itaque historia narrat, Dominū nostrū clarioribus ac certioribus etiā testimoniis illos de sua resurrectione certiores facturum, voluisse

luisse coram ipsis & vnà cũ ipsis edere, vt ante mortem consueuerat: & quidem vt omnem illis scrupulum ac dubitationem eximeret, nõ autem quòd, vt antè, cibo & alimento corporeo indigeret. Verum enim illud est, Dominũ tantisperdum impleuisset & passus esset quæ ad nostram salutem ac redemptionem requirebantur, nobis in omnibus, excepto peccato, factũ esse simillimum: sed impleto cõsummatóque mysterio, factũ esse primitias suscitatorum à mortuis egressum sepulchro, & iã tum cœpisse vitam cœlestem ac spiritualẽ degere, nobis hodie incomprehensibilem, cuius meminit Dominus Matth. 22. 30. Nihilòminus tamen, quò tum eius discipuli tum Ecclesia tota in posterum de ipsius resurrectione certò persuasi essent vsque ad eius reditum, placuit ipsi quadraginta dies totos à resurrectione sua in terris agere, priusquam ingrederetur in plenam fruitionem suæ sessionis ad dexteram Dei Patris. Hoc igitur intermedio tẽpore, à resurrectione ad eius ascensum, ad id se accõmodauit quo non egebat, vt nimirũ ederet ac biberet, minimè quidẽ vt antea ex hoc cibo alimentũ percepturus, sed veri sui corporis resurrectionẽ cõfirmaturus. Quapropter nihil hic imaginãdũ, aut anxiùs inquirẽdũ de huius cibi digestione, aut egestione, cui vitã animalẽ viuens obnoxius erat, quã etiã Adamus ante peccatum degebat: sed contrà minimè dubitandum quin Dominus hoc cibo ad alium longè præstantiorem finẽ vsus, eũ in sua principia

resurrectione cœpisset vitam cœlestem viuere, voluerit cũ discipulis suis edere.

ſicut ipſi viſum eſt, diſſoluerit.

Quomodo Angeli etiã cũ Abrahamo comederint: quæq; differentia hic obſeruanda inter Ieſu Chriſti humanitatẽ, & corpora quibus Angeli ſunt vſi.

Idem eſto iudicium de Angelis cum Abrahamo edentibus ac bibentibus, non quidem per viſionem intellectualem, ſed (quum certũ ſit eos in veris corporibus apparuiſſe, nuntiaturos Abrahamo quæ ſcire ipſum oportuit & credere) eò vſque ſeſe ad illius captum accõmodantibus: quum hoc ſit extra cõtrouerſiam poſitum corpora illa creata tantùm in hũc vſum, eo abſoluto fuiſſe diſſoluta. At maximæ duæ differentiæ nobis hic obſeruandæ inter hæc corpora quibus vſi ſunt Angeli, & Ieſu Chriſti humanitatẽ. Prior eſt in eo quòd Dei Filius ita ſibi noſtrã naturã vniuit, vt hæc Filij Deitas, & hæc humanitas vnica ſint perſona, θεάνθρωπος. Sed corpora quæ Angeli aſſumpſerunt, ipſis tantùm inſtrumentaliter coniũcta ſunt. Altera, quòd hæc humanitas perſonaliter vnita fuit Dei Filio in æternum: corpora verò Angelis iſtis coniuncta inſtrumẽtaliter fuêre tãtùm ad tempus, & ad vnũ actum.

Vſus huius doctrinæ.

Quapropter omiſſis multis ſpeculationibus, non tantùm inanibus, ſed etiam pernicioſis, quibus à recta via in auia præcipites ferremur, ſuſpicienda eſt & adoranda Filij Dei bonitas & clementia, quòd pro ſuorum etiã inimicorum ſalute, dignatus ſit, arcano prorſus incognito & inſcrutabili, non modò ſeſe ſubiicere realiter & actualiter omnibus miſeræ noſtræ carnis infirmitatibus, tam naturalibus quàm in naturam à peccato inuectis, excepto tamen peccato, vt etiam poſtquam eaſdem

dem exuit, nos eiusdem cũ ipso gloriæ participes facturus, tamen plenam huius gloriæ fruitionem per quadraginta dierũ spatium distulerit, sese ad nostrum captum, quantum fieri potuit, accommodans, quò faceret nos tum de sua resurrectione, tum de nostra, suæ vnius vi, tandem etiam sequutura certiores.

Iesus Christus ipse vult suam doctrinam ad doctrinæ propheticæ normam examinari.

Historia deinceps narrat Dominum, qui nunquam opus suum imperfectum relinquit, quíque non eò venerat tãtùm vt de sua resurrectione discipulos suos certiores faceret, sed etiam vt maximè fructum, qui ab ea sperãdus est eos doceret, vlterius progressum esse: priùs tamen collatis superioribus omnibus cum sacrarum scripturarum testimonio: ex quo discimus quo fidem nostram oporteat, & nos ipsos niti fundamento.

Cur hæc scientia dicatur Theologia: quoue sensu Iesus Christus veteris fœderis tabulas in tres partes diuiserit.

Et ideo rerum diuinarum scientia dicitur Theologia, non tantùm eò quòd, sicuti quidã existimarũt, de Deo loquatur, qui eius est subiectum & argumentum, sed quòd vera Theologia nihil aliud sit quàm quod ipse Deus nos in sua schola docet, primùm per eos qui aduẽtum eius præcesserũt, Prophetas vulgò appellatos, in quibus Moses primum ac præcipuũ locum sibi vendicat, Deut.34.10. quo Dominus primo scriba & amanuensi vsus est, quam etiam ob causam de ipso distinctè hic loquitur, deinde per alios Prophetas, quo nomine omnes reliqui veteris fœderis libri comprehenduntur, à variis Prophetis diuersis temporibus conscripti. Quòd verò Dominus distin-

ctè Psalmorum mentionem facit, meo quidē iudicio, duas ob causas, cōsideratione dignissimas, factū est. Prior, quòd Dauid figura fuit expressa personæ Iesu Christi: prçterquā quòd passim frequentiores sunt in Psalmis prophetiæ de venturo passuróque Messia, quàm in vllis aliis Propheticis scriptis. Altera, quòd ex aliis discamus quid Dominus nos alloquutus dicat: psalmi verò præterea nos doceant quid nos alloquenti Domino sit respondendum: vt sit eximius concentus & harmonia inter doctorem loquentem, & discipulos respondentes: quam harmoniam vtinā Spiritus sanctus pro sancta sua & immensa misericodia nos magis ac magis doceat.

Prophetiarum veritas ex euentu rata fit: ac vicissim veritas Euangelij ex Prophetiis patefit.

Verumenimuero fides nostra non satis firmo niteretur fundamento nisi de prophetiarum veritate constaret ex euentu, non semper incerto manente: cui difficultati sic Dominus occurrit, vt dum implerentur præfixa Dei sapiētia tēpora, cultus ceremonialis à Domino sit institutus, qui fidelium oculis fidei exhiberet quæ realiter suo tempore & modo implēda erant, & ita foueretur eorum fides in spe rerum earum quarum impletio in tempus posteritatis ipsorum differebatur. 1. Pet. 1. 10. & 11. Idcirco Iesus Christus quum in propria persona venisset, præterquàm quòd amplius & dilucidiùs, sine comparatione, Patris omnem voluntatem nobis exposuit, quàm alij omnes Prophetæ, Iohan. 15. 15. nostræque salutis mysterium plenè ac realiter impleuisset, iam adedit

dit quæ erant adiicienda, quò suos discipulos planè confirmet: nimirum irrefragabilem cō-sensum ac conuenientiam eorum quæ de ipso prædicta fuerant, cum iis quæ ipse pro nobis impleuerat: adeò vt veteris Testamenti testimonio Noui fœderis tabulæ confirmētur, & vicissim veteris Testamenti prædictiones, earundem euentu ratæ fiant, quemadmodum historia Euangelica nobis istorum fidem facit: vt non sit magnopere laborādum, in quærendis aliis rationibus (etsi nec illæ nos deficiunt) quibus harum tabularum auctor Iehoua Deus æternus comprobetur, ac perfrictissimæ licet frontis Epicurei & Athei coarguantur.

Hæc igitur non in Apostolorum tantū gratiam dicuntur, sed totius Ecclesiæ Dei, quam oportet hac conferentia sese aduersus eosdem hostes communire, immo & aduersus nostram ipsorum incredulitatem. Sed præter superiora diligenter etiam notandum est primum, Dominum non esse indefinitè loquutum, sed vniuersaliter, quum diceret oportuisse quæcunque de ipso scripta fuerant, impleri, putà, quęcunque facere ipsum & pati pro nobis oportuit in hoc mūdo. Quę si vera fuisse demōstrauit eorū impletio, an nō necessariò cōcludendū est ea quæ supersunt, nō quidē ad nos Deo cōciliandos (nā ea perfectissimè sunt impleta) sed introducendos in huius gloriæ plenā possessionē, cuius tantùm pignora & arrhas possidemus, suo tempore & loco, nō minus certò

Prophetiarum collatio cum earundem euentu, necessaria est ad Ecclesiæ fidem fulciendam.

Ac præteritorum veritas de futuris nos certiores debet facere.

& verè esse perficienda, quantumlibet ista contemptores Numinis irrideant, 2. Pet. 3. 3. & 4. quemadmodum Noachi diebus contigisse sacra historia testatur? Matth. 24. 37. & 38.

Intelligenda prium pastoribus quę docere alios parãt.

Denique Dominus vlterius progressurus, suósque discipulos ad munus, quod illis impo nere parabat instructurus, nouum sermonem orsus est, eadem salutatione repetita, Pax vobis: nec immeritò sanè. Quã quum Dominus secundo iterarit, etiam sciamus esse dignissimam quam millies repetamus ac meditemur: ad quæ hoc etiam accedit quòd hic sermo quem ingreditur, propius ad ipsos Apostolos, totámque Ecclesiam suam, quàm prior pertineret.

Homo naturalis non modò est ignarus, sed etiã ineptus immo & hostis veræ doctrinæ suæ salutis: quod in nobis malum sola Dei gratuita potẽtia sanat, aduersus Pelagianorũ errorem.

Quum igitur Dominus esset ipsis Ecclesiæ suæ in vniuerso terrarum orbe fundatoribus vsurus, & non possent alios docere quæ ipsi ignorarent, D. Lucas indicat Dominum sic eos alloquentem, simul etiam in ipsis virtute sua diuina fuisse operatum, aperto ipsorum intellectu ad intelligendas Scripturas: ex quibus quædam capita ad salutem necessaria nobis colligenda sunt. Ac primùm quidem, quum ex mera gratia Domini nostri Iesu Christi nobis intellectum aperiri necesse sit ad salutis doctrinam percipiẽdam, sequitur illum clausum esse & hebetatum ex naturæ corruptione: & quidem eò vsque vt necesse sit eum de nouo refici, quòd ad qualitates, ab eo cuius vnius virtute initio factus erat & creatus. Non igitur hic nobiscum vt in noctis tenebris agitur,

quæ

quas sola diei luce dissipari oportet, ad lucem excipiendam paratis ac dispositis nostris oculis: hic verò primùm oportet à Deo nobis oculos dari spirituales, quemadmodum nato illi cæco dedit corporeos, de quo apud Iohan. 9. qua de re disertè monet Propheta, psalm. 146. 8. Meritò igitur omnium temporum Ecclesia Pelagianorum errorem, qui cæcitatem nostram Originalem negabant, explosit.

Eorum refutatio qui certas quasdam reliquias Lucis ac boni in nobis, cum Dei gratia volunt concurrere.

Idem esto de Semipelagianorum nostri tẽporis sententia iudicium, qui nescio quam reliquam in nobis Lucem somniant, aut saltem aliquam dispositionem ad doctrinam salutis recipiendam, vt inde educant sua opera, quæ Meritoria dicunt, manantia à reliquiis Liberi arbitrij naturalis, quod gratia tamen adiuuet ac corroboret: quum tamen Sp. Sanctus, per quem Pater & Filius vt per agentem suam virtutem coëssentialem & coæternam, nos illuminant, non minus sit creator qualitatum animæ nostræ in nostra regeneratione, quàm in prima creatione fuit Creator essentiæ nostri corporis & animæ: ac eximiarum illarum qualitatum, quibus anima nostra initio fuerat exornata, quásque in primo nostro parẽte perdidimus, quòd ad cognitionem attinet in qua posita est vita æterna, vt Patrem agnoscamus solum verum Deum, & eum quem misit Iesum Christum, Ioh. 17.3. quod caro & sanguis docere non potest, sed solus Pater qui est in cœlis, Matth. 16.17. Tantùm autem abest vt docẽtem eum à nobis ipsis possimus aut velimus

audire, aut in totum aut ex parte, vt etiam non simus idonei ex nobis ipsis ad cogitandum quicquam de Deo, 2. Corin. 3. 5. & quod maius est, nostrę carnis sapientia sit inimicitia aduersus Deum, Rom. 8. 7. Ac proculdubiò si Deus nos deprehendit mortuos in delictis & peccatis, vt expressè loquitur Apostolus, Ephes. 2. 1. non tantùm lethaliter læsos ac vulneratos, nisi Dei gratia, nos suscitet, ac non tantùm iuuet, vt falsi isti doctores loquuntur, quomodo mortuus à se sensum ac motum vllum haberet? Quod de vero bono & salute quam in Iesu Christo consequimur dictum esto.

Naturalis de Deo cognitio, & conscientiæ reliquiæ ad solam condemnationẽ obsignandam sufficiunt.

Nam in reliquis omnibus extra istud bonũ, ac præsertim in iis quæ sunt naturalia & maximè grata, tantùm abest vt trunci simus aut stipites, vt contrà tanto in illa impetu & ardore feramur, vt nullis habenis retineamur. Quũ igitur hanc veritatem docemus, non facimus homines stupidos ac plumbeos, non tollimus ipsis intellectum nec voluntatem, partes animæ essentiales: sed dicimus hominem ψυχικόν, qualis in mundo nascitur, quum ex carne tantùm natus sit, nec Lucẽ habere nec Intellectũ, nec rectitudinẽ voluntatis aliã quàm carnalẽ, idest Lucẽ non Lucẽ, ac rectitudinẽ non rectitudinẽ in nostræ salutis mysterio. Nam reliquię illę in hominis Intellectu cognitionis de æterna potentia & Diuinitate Dei, Rom. 1. 19. & 20. procul absunt à rerum earũ cognitione quas caro & sanguis docere non possunt: tantúmque iuuãt ad inexcusabiles reddendos homines

mines & condemnationem in non regeneratis augendam. Reliquiæ verò illæ qualescũque quibus vel accusatur vel excusatur conscientia, vel ipsis testibus virtutibus Philosophicis, eòdẽ omnino redeunt, Rom. 2.15. Et hæc quidem hactenus de primo illo capite.

Addamus iam ad superiora discipulos sic dispositos, & in intellectu suo mutatos, ad Scripturas remitti. Ibi enim quærendus est is ad cuius cognitionem sumus dispositi. Ac si iidem illi qui sanctum Spiritum receperunt, ad Scripturas remittuntur, quid fiet stultis illis & insanis hominibus, qui in Platone vel Aristotele Theologiam quærunt, & in genere in stulti iudicij sui ratiocinatione, vel in Totum, vel ex parte?

Spiritus sanctus vbi discipulos capaces doctrinæ reddidit, ad Scripturarũ scholam eos remittit.

Præterea quorsum Dei filij ad Scripturas ablegantur, & non aliò, si tanta esset earũ obscuritas & ambiguitas, vt extra ipsas earundẽ interpretatio quærenda, aut aliunde lux maior accersenda? Non minus sanè ridiculum commentum, quàm siquis dixerit Sole alio ad Solẽ illustrandum opus esse, quò Lucis eius beneficio fruamur. Causa igitur propter quam non à quouis Sacræ Scripturæ percipiuntur, est in nobis, non autẽ in verbo Dei. Nam monimentis ita sunt traditæ consignatæque à fidelibus Dei scribis ac præconibus, vt nisi à quibuslibet percipi possint, non magis incusandæ sint quã sol ipse si cæci luce ipsius nõ afficiantur. Nec tamen diffiteor sic esse dictatam à Spiritu sancto doctrinam, vt multi loci obscu-

Frustra remitteremur ad sacras Scripturas, & non aliò, nisi essent sufficientes ad salutem nostram nobis declarandã & quis hac in re modus seruandus.

riores occurrant, quorum non eſt tam facilis quàm reliquorum intellectus: ſed factum iſtud ad Lectorum acuendam diligentiam: quum in aliis locis ita clàrè & perſpicuè loquutus ſit, vt nulla ſit vllius loci difficultas cui non alterius perſpicuitas lucẽ adferat: vt pulchrè dixit quidam ex veteribus. Quibus adde ea quæ ad noſtræ fidei articulos ſpectant, quæ propriè ſunt in ſacris Scriptis veſtiganda, tam propriè, tam perſpicuè, tam ſæpe in iiſdem declarari, ac deinceps in breuem ſummam eſſe collecta, quæ Symbolum Apoſtolicum dicitur, vt ipſi increduli, ſi modò inquirant, nullam prætexere queant ignorantiam. Præterea non datum eſt omnibus, quod imaginantur phanatici quidã homines, ita vnam modò Scripturam verſare ac meditari, vt non adhibeant bonos ac fideles earum interpretes, veteres aut neotericos, quorum opera fideli in Eccleſia ſua docenda Dominus vſus eſt. Eſſet enim iſtud quadamtenus Deum tentare: qui vult nos mutuas in nobis docendis operas conferre: ſuæque Eccleſiæ hanc gratiam largitur, vt fideles ipſius ſerui poſt obitum etiam in Eccleſia loquãtur & doceant. Verumtamen ea conditione legẽdos & audiendos ipſos dicimus, quam voluerunt in ſcriptis ſuis legendis adhiberi, nempe vt ad ſacrarum Scripturarum contextum examinẽtur & expendantur ipſorum interpretationes, & an ipſimet hallucinati ſint, aut aliquid prę ter ſcriptarum ſenſum litteris mandarint, exploretur. Quòd ſi fiat, libros legere virorum
inſignium

insignium veterum aut recentiorum non erit extra scholam sacrarum Scripturarum vagari, sed contrà bonis ducibus ad earum intellectum & fructum duci.

Hinc discamus etiam vnde fiat vt plerique, Scribas & Pharisæos imitati, quotidie in suis scholis Scripturas voluant ac reuoluant, & tamen semper cæcutiant, cæcorúmque ductores sint: quòd nempe, pro docilitate, suas conclusiones domo adferant, & pro modestia, qua decebat eos opinione sui vacuos ad earum lectionem accedere, superbia & fastu Pharisaico turgeant. Rabbini enim hodierni nostri ac summi Magistri, nonne ij sunt quos non pudet pro sacris Scripturis, quibus illos esse contentos oportuerat, obtrudere non tantùm quod falsò nomine dicunt Verbum Dei ἄγραφον, & traditiones humanas, quarum nullus finis, sed quod longè peius est Scripturam ei subiicere quam vocant auctoritatem Ecclesiæ Catholicæ? Immo truncato Dei verbo scripto, mutato, ampliato pro voluntate & arbitrio suo, Pontifici auctoritatem dare dispensandi ius omne diuinum & humanum, vt à nullo mortali possit iudicari? Denique quò spectat omnis eorum doctrina nisi vt suam iustitiam stabiliant? Quînam igitur fidei iustitiam apprehenderent? Roman. 9. vers. 31. & 32.

Vnde fit vt multi Scripturas voluant, in quibus tamen nihil intelligunt.

Itaque cauendum ne Spiritus sanctus egregiis illis Doctorũ titulis alligetur (nam omitto Episcopos, Archiepiscopos, Cardinales,

Huius obseruationis vsus.

& similes istius Ecclesiæ columnas, in quibus vix decimum quemque reperias, quem vnquā sacras Scripturas discendi docendi-ve cura subierit) sed memoria potiùs repetenda quæ de ipsis Dominus prædixit, ac deinceps impleuit & implet quotidie, Esa. 29. dicens se ipsis miscuisse spiritum soporis, oculos ipsorum clausisse: prophetas & principes eorum qui vident visiones operuisse, adeò vt omnis visio futura sit ipsis vt verba libri signati. Quid verò Dominus ipse de iisdem ore suo protulit? Confiteor tibi, Pater, quòd hæc absconderis à sapientibus & intelligentibus, & detexeris ea infantibus, Luc. 10. 21. Quamobrem Dauid non dicit simpliciter Legem Domini dare sapientiam, sed addit, Simplicibus eam dari. Quis verò nos ad hanc modestiam & simplicitatem comparabit? Solus Dei Spiritus, nos ipsos in primis docens agnoscere: meram putà ignorantiam cum summa arrogantia, immo malitia, coniunctam, qua Deo prorsus indigni reddimur: deinde formans in nobis sanctum desiderium ex istiusmodi miseria exeundi, vt deinceps pedetentim in rectam viam ex suę bonitatis mensura deducamur.

Iesus Christus consideratus primùm in suis passionibus deinde in victoria sua scopus est totius Scripturæ.

Et vt propiùs ad historiam reuertamur, Dominus suo sermone indicaturus Apostolis, ipsos opus habere hac intellectus illuminatione non sibi solis sed aliis etiam, disertè exprimit ab ipsis quæ ex Scripturis didicerint ad alias nationes esse perferenda, miro hac in parte vsus artificio, scientia salutis quę in scri-

pturis

pturis discitur ad duo capita reuocata: deinde in alia duo capita distributo vsu & fructu qui ad fideles ex hac Scripturæ cognitione redit, quæ distinctè nobis etiã expẽdenda sunt. Duo igitur illa capita, ad quæ summa huius scientiæ refertur, sunt Iesu Christi Passionis & eiusdem Resurrectionis Victoria. Nam etsi tam in Vetere quàm Nouo Testamento pleraque alia capita continentur, tamen quũ Iesus Christus omnium eorum sit finis, siue Legẽ moralem attendas, quæ nos in nobis ipsis condemnat, & in Iesu Christo iustificat, Rom. 8. 3. & 4. seu Legem ceremonialem, vmbram cuius Iesus Christus est corpus & substantia, Col. 2. 17. seu promissiones Euangelicas, quæ in ipso omnes ratæ sunt, 2. Cor. 2. 20. sequitur vnum eũ esse ad quem illa omnia referenda sunt. Vicissim verò tota Iesu Christi vita, vt ex ea salutem colligamus in duobus his capitibus posita est, nempe tum in Lucta passionum quæ iam inde ab eius conceptione cœperunt, & in sepultura desierunt: tum in eiusdem victoria per resurrectionem, quam Ascensus & Sessionis ad dextram patris triumphus excepit.

Resipiscentia est primum caput fructus quẽ ex Euangelica doctrina percipimus.

Quòd attinet ad alia duo capita quibus vsus & applicatio doctrinæ salutis cõtinetur, summa illa, cuius ipse Iesus Christus auctor, accuratè & assiduè consideranda est ac meditanda, non modò quòd ad substantiam, sed etiam quòd ad ipsorum ordinem, vt inde ordiamur vnde faciendum est initium si vbi desinendum est volumus desinere: qua in re multi

vehementer falluntur, & toto cœlo errant. Prius igitur caput est Resipiscẽtia, primùm in agnitione posita miseræ conditionis, in qua quisque nostrûm nascitur, quà velut in ipsos inferos vsque detrudamur, non vt in iis maneamus, sed anteactã vitã meliùs agnoscere ac proinde detestari discamus, quæ Contritio cordis dicitur, Deo sacrificium gratissimum & acceptissimum. Psalm. 51. 19. deinde in renouatione spiritus & voluntatis ex immensa Consolatoris gratia, formato in nobis, post odium peccati, amore Dei & recti, vt pedetentim corruptionis nostræ reliquias oppugnemus & expugnemus, quod opus vltimo demum die perficiendum est.

Remissio peccatorũ est alterum caput Euãgelicæ doctrinæ, in quo nostra salus perficitur.

Alterum caput inseparabiliter cum priore cohæret, fiducia nempe quam idem ipse Consolator nobis largitur, quæ verus est filiorum Dei thesaurus, tam pro peccatis præcedentibus satisfactum, pretioso agni sanguine, qui tollit peccata mundi, Iohan. 1. 19. quàm reliquias illas corruptionis in nobis & fructuum eius tectas esse, per integram ac perfectam obedientiam eiusdem vera fide apprehensi, ex fœderis Domini formula, quò non tantùm ab æterna morte liberemur, sed quod longè maius est, in ipso capaces & digni vita æterna fiamus.

Quatuor illa superiora capita diligenter expensa, pa

Non abs re igitur hãc summã tantopere cõmẽdaui, quã faxit Deus quotidie melius concipiamus animo & in vsum nostrũ referamus. Nã præter superiora illa hæc vera est ratio qua tutissi-

tissimè vera doctrina salutis à falsa discernatur: veri pastores, qui audiendi, à falsis, qui fugiendi: ac proinde vera Ecclesia, in qua manēdum est, à falsa in quam vel nunquam ingrediendum est, vel semel ingressis subitò ab eadem recedendum. Falsa igitur est Religio quā hodie Iudæi profitentur, quandoquidem Iesus Christus crucifixus, & à mortuis suscitatus, est ipsis scandalo, 1. Cor. 1. 23. ac nullam agunt pœnitentiam, nec habent vllum testimonium remissionis peccatorū suorum, nec per sacrificia, quæ, quum nec templum habeant, nec Sacerdotium, facere non possunt: nec per Euangelium, quod contemnunt ac respuunt. Multò minus vera Religio vocandæ illæ deuotiones ac superstitiones Ethnicorū, quandoquidē Euangeliū ipsis fuit stultitia. Turcarū verò Alcoranū quid memorē, merū Dei & hominum contemptū, certúmque testimoniū & summè horrendū vltimi Diuini furoris in orbē terrarū: licet si de veritate Religionis ex multitudine iudicandū sit, vt hodie multi docent, hęc sit futura Mahumetanorū potior, à qua videatur standū? Quid verò dicturi sumus de egregia illa scilicet Ecclesia, quæ Catholicum & Apostolicum nomen ementitur, seipsam mendacij arguens, quum eandem se Catholicam & Romanam prædicat? Aio longè etiam magis istos quàm illos peccare: quòd aliquem omni honore dignum palàm reiicere, non sit tantum nec tam detestandum flagitium quàm eundem admittere, palpare, osculari

testantur quale sit verum Euangelium, veráque Ecclesia quíque sint veri Pastores.

omnes titulos illi conuenientes ore quidem tribuere, ſed reipſa debita ipſum gloria ſpoliare. Et ita ſe rem habere vel inde patet, quòd Ieſus Chriſtus quidem ab ipſis dicitur Dominus noſter, verùm tamen hac conditione vt eius præcepta immutentur, truncentur, addatur iis quidquid ſeruo illi ſeruorum Domini adlubuerit, penes quem tanta eſt poteſtas, vt à nemine poſſit iudicari: & qui ſibi vendicat autoritaté omnia pro libidine gerendi, Cœlum aperiendi & claudendi, quibus ipſi videbitur, vt ne muſſitare quidem aduerſus eum liceat. Seruatorem quidem vocant, ſed in nobis ipſis, quatenus gratiam hanc largitur, vt per noſtra merita ſimus ipſi noſtri Seruatores: ac noſtris deficientibus meritis, mutuò accipiamus, quæ noſtris deſunt ab omnibus ſanctis & ſanctabus Paradiſi: ſed numerato pretio, quale voluerit bonus ille diſpenſator ſuorum theſaurorum alchimyſticorum, præparatorum & excoctorum in ſuæ imaginationis fornace, donec tandem in fumos abeant. Paſſum quidem & mortuum pro nobis agnoſcunt, ſed hac conditione, vt deleta Culpa, pro Pœna ſatisfaciamus, vel in hoc mundo, vel in Purgatorio. Ecquod autem hic monetę genus in pretium numeratur? Miſſæ, preces illæ Pater noſter, Aue Maria, Vigiliæ pro mortuis: & pro defunctis, nec edentibus nec bibentibus oblationes, quibus ventrem ij farciunt qui iſta in ſinu rident, & de iis lætitia exultant cæteris flentibus: & mūdum cantionibus implent: ac modò omnis illa

illa deteſtanda idolomania claudatur his verbis, *per Christum Dominum nostrum* pulchrè cum Ieſu Chriſto agitur in regnum ſuum reſtituto & ſcilicet agnito, qualis agnoſci vult. Quid amplius? Noſter apud Deum Patrem eſt Interceſſor, ſed matrem habet Reginam cœli, etiam auctoritate Natum iubendi prædita. Nã præter alias multas impias & abominandas voces, non tantùm cantillant, ſed plenis buccis iſta horrenda vomunt, *Sanctam Virginem ſuam eſſe aduocatam, & ſuam ſpem.* Quid amplius? *Matrem etiam miſericordiæ:* denique nihil ſacræ Scripturæ de Deo & Ieſu Chriſto dicũt, quod iſti Mariæ Virgini nó attribuant, quam audent ſic compellare in deteſtandis illis ſuis precatiunculis (ignoſcat verò Deus blaſphemas illarum voces mihi referenti, vt magis deteſter) *Roga patrem, iube natum, & iure matris impera.* Nóſne verò ampliùs ambigere, ſit-ne iſtiuſmodi Eccleſia, Dei vera Eccleſia? An hodierna Romana Eccleſia tantùm aberrarit, an verò apoſtaſiam à Domino fecerit, an ſit tota illa ipſorum Hierarchia pro Apoſtolica cognoſcenda, licet ea abutatur.

Eia igitur, fratres, Optimum Maximúmque Deum patrem noſtrum cum vero Petro laudibus efferamus, quòd nos denuo dignatus ſit vocare ex denſiſſimis poſt omnem hominum memoriam tenebris, ad lucem ſuam admirandam: háncque ſanam doctrinam ſequuti, toti à Domini paſſionibus pendeamus, & ab eius victoria quam de domito Satana, peccato & *Vſus doctrinæ ſuperioris.*

morte reportauit, primùm ac semel in se, quatenus supra lignum tulit, non sua, sed nostra peccata: deinde quatenus nobis easdem vires, cuique secundum suam mensuram sufficit, in omni lucta spiritus aduersus carnem, vt nos etiam deuictis iisdem hostibus in ipso, & per ipsum, triumphemus: ex fide in fidem incedentes, & pœnitentia in pœnitentiam: donec vltimo tandem illo die plenam peccatorum nostrorum remissionem consequamur, & nobis ante iacta mundi fundamenta præparato Regno perfruamur.



HOMILIA DECIMATERTIA.

Luc. 24.

48. *Vos autem estis horum testes, & ecce, ego mittam promissum Patris in vos.*

49. *Vos autem manete Hierosolymis vsquequò induamini virtute ex alto.*

Iohan 20.

21. *Sicut misit me Pater, ita & ego mitto vos.*

22. *Et quum hæc dixisset afflauit [eos] & dixit eis, Accipite Spiritum Sanctum.*

23. *Si quorum remiseritis peccata, remittuntur eis: si quorum retinueritis, retenta sunt.*

TEX-


EXTVS hic, cuius expoſitionē aggredimur, pendet à ſuperiore Domini ſermone, quîcum pulchrè cohæret & conuenit. Nam quum Ieſus Chriſtus ipſe ad ſuos diſcipulos ingreſſus Pacē ipſis attuliſſet, nunc etiam modum adiicere dignatus eſt, per quem mundo communicaretur poſtquam ex terris exceſſiſſet: vt ſciamus ipſum non abſtuliſſe ſecum eam in cœlum, qua ſuam Eccleſiam priuaret: ſed vt contrà nobis eam ab Aſcenſu ſuo, maiore quàm aliàs vnquã virtute ſupernè cõmunicaret, ſicut de ea loquitur Apoſt. Eph. 4.10. & ipſemet tandē ſuis diſcipulis declarauit, Matth. 28.20. Modus autem ille quem ad hoc effectum elegit eſt ſacroſanctum Euangelij miniſterium, Leuitico ſucceſſurum: cuius primum initium quum hic nobis proponatur, efficitur hanc hiſtoriam non poſſe nimiùm attentè à nobis expendi & conſiderari, quandoquidem ab ea dependet ædificatio corporis myſtici Ieſu Chriſti, quæ Eccleſia eſt, alibi ſanctorum coagmentatio nuncupata, Eph. 4.12. ad quod accedit vnũ eſſe ex præcipuis ſalutis noſtræ fundamentis, quod Satã per cuniculos ſemper aggreſſus eſt, faciliorem ſibi de eo victoriam, quàm de ipſa doctrina promittens. Nam probè nouit, quemadmodum Eccleſia non poteſt ſubſiſtere niſi per verũ miniſteriũ à Deo inſtitutum & ritè adminiſtratum: ſic nullam faciliorem viam iſtud ædificium ſubruendi (ſi fieri poſſet) quàm in illud immiſſis

Quomodo hic textus cum ſuperiore coniungendus, ſanctũ nempe miniſterium cum doctrina propter quã eſt inſtitutum.

destructoribus, nomen præferentibus architectorum. Hæc autem age fusius cōsideremus ab istis Iohannis Euangelistæ verbis facientes initium: *Sicut misit me Pater, sic ego vos mitto.*

Sanctum ministeriū est merè diuinum nō autem ab hominū inuentione.

In primis igitur notandum sacrosanctum hoc ministerium non esse humanum inuentum, id est ab humana prudentia profectum, nec eorundem prouidentia, sed prorsus esse diuinum ac cæleste: qualis naturæ etiam est quidquid in hoc munere geritur: vt discamus in mundo sic versari quasi in eo non simus, quemadmodū Apostolus illud sigillatim persequitur, 1. Corinth. 7. v. 29. 30. & 31. & quidem quasi iam in locis cælestibus sederemus. Coloss. 3. 1.

Deus longè aliter autor sancti ministerij, quàm huius orbis optimarum ac pulchrè constitutarum politiarum, & eius contemptum longè grauius vlciscitur.

Nam etsi reuera Deus omnium humanarū politiarum rite cōstitutarum auctor est, quod Ethnici cognouerunt, & Apost. docet. Rom. 13. 1. à maximis dignitatibus ad minimas delabens: tamen in illis regendis & administrādis vsus est, & vtitur sensu naturali, & ea prudentia quam genus humanum adhuc ex illa ruina retinuit, prout his vel illis hanc admetiri dignatur: excepto quòd populo suo extraordinariè politiæ formam & leges dictauit, Mosis adhibito ministerio, cuius in excipiendis ipsis suarum legum verbis opera vsus est, eòusque vt vestium formam præscripserit. Numer. 13. 38. nec rerum etiam abiectissimarū oblitus sit. Deut. 23 13. At in hoc facto Dei Filius ipse ore proprio designauit, vocauit & instituit

tuit suæ domus architectos. Itaque sacrosanctum hoc ministerium quicunque contemnunt, sciant se in Deum ipsum ἀμέσως esse iniurios, cuiuscunque tandem sint conditionis, summæ aut infimæ: ac proinde istud ædificiũ Ecclesiã, nempe Dei, staturam ac permansurã, se verò quantacũque dignitate polleãt pessum ituros ac funditus exterminandos: vel illa teste statua ingenti quam confregit lapis è monte excisus sine manibus. Dan. 2. 45. quod omnium seculorũ experiẽtia docuit, & nostro sæculo Dominus nobis demõstrauit, & pro sua in nos beneuolentia est demõstraturus, in maximos etiã Monarchas eandẽ cum reliquis viã ingressos. Contrà qui dociles se loquenti magistro per suos præcones & legatos præbebũt, ij sunt quorum non peribit vllus pilus capitis. Luc. 21. 18. At si Deus nõ parcit summæ dignitatis hominibus & regnis, quid nobis fiet abortiuis homuncionibus, qui cum cæteris collati vix populi nomine aut Reipub. digni censebimur? Et tamen quãta arrogantia turgemus, & aduersus tot quotidianas admonitiones, cum tot diuinis iudiciis in nostra capita coniũctas quàm sumus cõtumaces. Magna enim, fateor, adest auditorum frequentia, sed de nobis meritò dici potest loquutus Isaias his verbis, Hic populus accedit ad me labiis suis, sed cor eius longè abest à me. Esa. 29. 13. Quis hoc verò dixerit? Maximæ nimirum partis corruptissimi deprauatissimíque mores, in Dei & hominum conspectu. Ecquod enim vitium

apud nos adhuc non regnat impunitum? Frustra monemus, hortamur, increpamus, nō audit currus habenas, retrò ſublapſa feruntur omnia. Quis autem animaduertit? Quàm altū ſtertit iuſtitia, tantis malis nullum adferens remedium? Quid nobis aliud igitur ſupereſt, aut quid amplius dicturi ſumus, niſi vt aut Deus breui det vobis meliorem mentem, aut maturè nos ad ſe è medio veſtrum recipiat, ne imminentibus veſtris ceruicibus horrendis Dei iudiciis vobiſcum obruamur? Vos verò Dei hominúmque contemptores ſcitote, has non irritas fore minas, ac potiùs veritatem in mendacium commutandam, aut veſtrā conditionem Sodoma Gomorrháque fore deteriorem, quum illa dies aduenerit. Quis verò nobis illa dixit? Vos igitur, contemptores, vos præfracti & indomiti homines, audite quid ferat dicta ſcriptáque de hac re ſententia, Matth. 10. 15. Marc. 6. 11. & Luc. 10. 12. eam legite & relegite, ſi Deus vobis eam gratiam largiatur. Illic enim videbitis, niſi ad meliorem frugem redieritis, quid vos maneat, &, niſi vehementer fallor, iam iam impendeat.

Qui Apoſtolos miſit, idem ad finē vſque ſeculorum mittit ac miſſurus eſt Paſtores ac Doctores: quorum eſt

Ratum igitur eſto, hanc eſſe vocationem à Domino. At, excipiat aliquis, vos nō eſtis Apoſtoli, nec iis de quibus hic agitur, ſimiles. Fateor. Apoſtolicum enim munus non fuit inſtitutum vt eſſet in Eccleſia Dei perpetuum, ſicuti paulò poſt docturi ſumus. At percontatores iſtiuſmodi ac contemptores ſcire velim,

lim, eum à quo hic miſſi ſunt Apoſtoli eundem eſſe qui miſit & miſſurus eſt ad finem vſque ſeculorum, Matth.28.20. Paſtores & Doctores. Epheſ.4.11 Præterea ſcitote peruicaces contemptores, nos qui à Deo vocati ſumus, licet omnium indigniſſimi, ad hāc veritatem in hac Eccleſia docendam & prædicandā, quum nihil in medium adferamus quàm quod Apoſtoli ore & ſcriptis docuerūt, idē eſſe acſi hodie eoſdē Apoſtolos vos cōpellātes audiretis: quum ſic è terris exceſſerint, & in cœlos recepti ſint, vt adhuc loquantur & loquuturi ſint ſuis ſcriptis in finem vſque ſæculorum. Quod ſi probè noſtis & compertum habetis, vt etiā debetis, cur igitur noſtris admonitionibus locum non datis? cur aduerſus ſtimulos recalcitratis? Si verò in dubium vocatis, cur non inquiritis? cur non confertis ea de re nobiſcum, aut cum aliis? cur non ſcrutamini ſcripturas, vt iubet Dominus, ne vos decipi patiamini? Iohan.5.39. eorum exemplum imitati de quibus mentio fit Act.17.11? An non habetis, aut ſaltē vos oportet habere, ſingulos in priuatis ædibus & familiis ſacroſancta Biblia vulgari idiomate? Forſan ita eſt, forſan etiā ſecus. Nec enim hodie multi ſunt famelici, qui huius cibi ſpiritualis tum publicè tū priuatim depaſcendi deſiderio ardeant. Fuit hoc ſtudium prioris ætatis, illa fuerunt tempora: verùm tamen hoc verbum ſiue accipiatur, ſiue reiiciatur, immotum manet. Denique quicquid contingat, ego & collegæ mei ma-

non minùs quam Apoſtolorū Patronus ac defenſor.

nus abluimus ab omni culpa immu nes: ac licet ab Apostolorum diligentia longè absimus, bona tamen conscientia cum Apostolo dicere possumus ac testari, per Dei gratiam, nos esse puros à sanguine omnium istorum contumacium ac contemptorum. Act.20 26.

Legitima vocatio, nempe electio facta secundum Dei ordinationem est prima nota veri pastoris.

At quoniam falsi pastores etiam se audiri volunt, & non minus quàm nos, aut vehementiùs etiam inuehuntur in eos qui ipsos non audiunt, hinc discendum, quomodo discernendi sint, nequis decipiatur. Itaque videmus hic Iesum Christum misisse suos Apostolos domus suæ futuros fundatores, ac proinde non simpliciter eos accepisse munus sementem faciendi per totum orbem, quod perfectè ipsos impleuisse minimè dubitandum est: sed etiam ipsis impositum munus eos constituendi Pastores & Doctores, quorum opera istud ædificium sartum tectum conseruaretur ac foueretur: quod ab ipsis bona fide summáque diligentia præstitum esse videmus, ex eorum historia quàm D. Lucas diligentissimè conscripsit, & ex eorundem epistolis. Ibi igitur reperturi sumus non tantùm quod suo tempore fecerunt ac constituerunt: sed etiam perpetuum & inuiolatum canonem & regulam à Domino præscriptam ex qua, quotiescunque opus esset, operarij in Dei Ecclesiam vocarentur.

Quæ quum vt à Domino præscripta sunt obseruantur, etsi in deligendis operariis Iesus Christus vtatur hominum ministerio, tamen quum hic seruatur ordo ipsius nomine, perin-

de

le est ac si ipsemet ore suo ipsos eligeret, quandoquidem per suum Spiritũ adest & electionem regit. 1. Corinth. 12. 11. & 28. & Ephes. 4. 11. Itaque quotiescunque locus est huic ordini in Ecclesia, prima hæc est nota ex qua falsi Doctores & Pastores, quos oportet vitari, à veris quos audire iubemur, facillimè discernantur, Nempe vt qui currunt, idest, audent in Ecclesia docere, vel clàm vel palàm, sine legitima electione & vocatione, secundum ordinem institutum à Iesu Christo per Apostolos in Ecclesia, vt loquitur Ierem. 23. 21. exauthorentur ac reiiciantur. Hic ordo, est libera & legitima Electio, facta ab Ecclesia, bono ordine post legitimum examen doctrinæ ac morum, & quàm proximè quidẽ fieri potest ad regulam quam Apostolus clarè præscribit 1. Tim. 3. 2. ac etiam Tit. 1. 7. Quo posito certissimo firmissimóque fundamento, primùm qui vltro in Ecclesias irrepunt, ad eorum exemplum de quibus agitur. Act. 15. 24. quod ipse Dei Filius, quum se dicat à Patre missum, noluit sibi tribuere (& quod disertè de ipso dicit Apostol. Heb. 5. 5.) quo iure, quæso, admitterentur aut audierentur, quandoquidem non expectata Sancti Spiritus vocatione, necessario vel sui opinione inflati, vel ambitione, vel auaritia, vel stultitia, vel illis omnibus simul impulsi sese non vocati ingerunt?

Nam quòd ad vocationẽ extraordinariam attinet, fatendum est Dominum qui domus suæ Magister est, non sic astrictum teneri vo- *Quãdo & quibus conditionibus admittẽda*

Sit vocatio non praecedente ordinaria electione.

cationi ordinariæ quam instituit, putà liberæ ac legitimæ Electioni, inuocato Dei nomine ab iis quos oportet, quin aliquos extraordinariè suscitet: sed causam aliquam euidentem oportet apparere, ex qua quantum fieri potest, cognoscamus Dominum velle talium instrumentorum extraordinariorũ vti opera. Porro hæc occasio est manifestissima, quum adeò perturbatus est ordo, vt solum nomẽ retineat, cuius prætextu quælibet confusio rerúmque perturbatio in Ecclesiam vniuersalẽ aut particularem inuehitur, quod sæpissime factum legimus in Dei populo. Quemadmodum igitur tunc Dominus populi sui misertus, immediatè & inordinatè Prophetas suscitabat, auctoritate extraordinaria præditos, vt Reges, Sacerdotes ac populum intrepidè reprehenderent, bonos autem consolarentur, contumaces minis terrerent, quod olim etiam per Mosen promiserat, Deut. 18. 10. & 15. cuiusmodi exemplorum tota sacra historia plena est: idem etiam in Ecclesia Christiana præstitit, excitatis insignibus viris, interiore demum afflatu impulsis, cuius tum doctrina tum vita testis erat, præsertim Arrianæ hæreseos temporibus, quæ maximam Ecclesiæ partem peruaserat, vt ex Historia Ecclesiastica satis est conspicuum. At quum Dominus institutum à se ordinem conseruat integrum, aut saltem non ita corruptum quin essentia illius præcipua retineatur: & non desint veri ac legitimi Pastores qui malo se opponant, quorsum diceremus extraordi-

ordinarios illos à Deo mitti, licèt (quæ est istorum hominum veteratoria sui dissimulatio) falsam doctrinam non inuehant? Dico præterea, etiamsi talis in Ecclesiam irrepsisset confusio qualem dixi, non ideò tamē statim istiusmodi homines admittendos, aut audiendos. Sed si spiritus etiam legitimè vocatorum probandi sunt 1. Iohann. 4. 1. quòd nonnunquam eiusmodi Pastores in lupos vertantur, Act. 20. 30. ac Ecclesiam decepisse comperiantur. 1. Tim. 5. v. 24. quod in Iuda proditore, vno ex duodecim discipulis, & in vno ex septem illis Diaconis nomine Nicolao patuit, Apoc. 2. 6. & 13. annon multò magis cauendum ne temerè eiusmodi concionatores & Doctores, sine legitima vocatione ordinaria admittantur & ferātur: sed sedulò est danda opera, vt qui & quales sint dignoscantur, vnde prodeant, qui mores, & imprimis quod doctrinæ fundamētum; denique vt probè innotescant, prius quàm illis in Ecclesiā vllus aditus pateat? Præterea, quum de Zelo & scientia ipsorum planè constiterit; tamen si nulla dum vocatione externa confirmati sunt, qualem tempus tulit: aut si vocationem habuerunt, sed ab iis qui alios & seipsos decipiunt tum illos necesse est legitimè cōuocata Ecclesia, prout Ecclesiæ feret conditio, maturo consilio & collatis sententiis, ac si fieri potest, præsente aliquo alio legitimo Pastore, eligi ac vocari, vt de extraordinariis, aut ordinariis, sed vitiosis & deprauatis, fiant ordinarii, per sanctam & legitimam electionem, sine

vllo schismate vel hæresi.

Superiorum exempla ex sacris deprompta.

Sic Iesu Christi ipsius tēporibus operabatur is, de quo discipuli quum renuntiassent Magistro, dicentes se in prima sua profectione vidisse quendam eiicientem dæmonia sub nomine Christi quem prohibuissent, quòd se non sequeretur, respōdit ipsis, Ne prohibete illum, Qui enim non est aduersum nos, pro nobis est, Luc. 9. 49. Sic dissipata Hierosolymitana Ecclesia, post mortem Stephani, qui profugerant Euangelium sparserunt vsque in Phœniciam, Cyprum, & Antiochiā, qui tamen minimè dicuntur, nec verisimile est etiā, fuisse missi Hierosolymis, donec missus est ab Ecclesia Barnabas, qui in iis locis ritè omnia cōponeret. Act. 11. 20. & 22. Atque ipse Philippus, vnus ex septē illis Diaconis aliquid amplius præstitit, Euangelium annuntians Samaritanis insciis Apostolis, qui certiores facti, re comprobata miserunt Petrum & Ioannem, vt Ecclesias Samaritanas, iactis à Philippo fundamētis superstruerent, Act. 8. 5. & 14. Nec sanè dubitandū quin præter ipsos Apostolos, & alios Euangelistas dictos legitimè vocatos & missos, vt ex Timothei vocatione patet, 1. Tim. 4. 14. plerisque ex iis qui Iesum Christum audiuerant, itidem se ad Euangelij prædicationē applicuerint, quos deinceps Apostoli comprobarunt & confirmarunt, quod Eusebius historiæ Ecclesiast. lib. 3. cap. 31. testatur.

Introductio ad munera Ecclesiasti-

Verùm alius quidā est introductionis modus planè extraordinarius, is qui nō modò non ob-

obſeruat ordinē inter homines conſtitutū, ex Dei preſcripto & ordinatione:ſed ex diametro repugnat huic ordini, cuius tamē velū obtendit. Et hic ſanè periculoſiſſimus eſt & in Eccleſia minimè omniū tolerandus: quē etiā hodie pro viribus oppugnamus, & qui tantū tamen promouit pedetentim, vt iſti homines ſibi ſolis Eccleſiæ Catholicæ nomē arrogēt, ideſt vniuerſalis & Apoſtolicæ, & tandē Rom. qua in re ſibiipſis mendaciū impingūt, iuſta ſanè Dei prouidētia, quū Roma nequeat eſſe terrarum orbis vniuerſus, ac proinde Rom. Eccleſia nō poſſit eſſe vniuerſalis Eccleſia: ne ſi quidē concedatur illā eſſe reliquarū omniū caput: quum caput non poſſit eſſe totum corpus. His igitur duobus capitibus poſitis, quæ ne ipſi quidem aduerſarij noſtri negauerint, nempe Electionē verā ſolū eſſe oſtiū per quod aliquis bona cōſciētia poteſt in ſacroſancti miniſterij partē venire, tā Sacramentorū quā bonorū Eccleſiaſticorū adminiſtrationē: deinde hāc Electionem eſſe totius Eccleſię legitimè ordinatæ: ſicuti cōſpicuū eſt ex hiſtoria Apoſt. totaq. vetere Eccleſia quādiu per multa ſecula ſuā puritatē retinuit: ex omnib. veteribus Canonibus (vel ad vltimū vſq; Concil. Baſil. per Papā Leonē abrogatum, licet non omnis ſublata ſit ab illo, vt par erat corruptio) quæro qua conſciētia poſſit vllus in toto illo Papiſtico Clero legitimæ vocationis aliquem tituluum adferre: tantùm abeſt vt de noſtra queri poſſint, de qua deinceps pluribus acturi ſumus.

ca qualem habet Eccleſia Romana hodierna, nulla eſt & prorſus irrita, immo Dei verbo ex diametro repugnans, & vſui veræ veteris Eccleſiæ & veris antiquis Canonibus.

Eccleſia Romana non poteſt eſſe vniuerſalis.

Electiones mutatæ in nominationes ex Regum & aliorum arbitrio.

Nam obſecro, nonne hinc quidem electiones mutatæ ſunt, etiam impreſſis hac de re Concordatis, in nominationes Regibus ac Principibus attributas? Quibus ſiquæ ſunt additæ conditiones, nonne tamen irritæ ſunt, vt citra controuerſiam Regum ac Principũ hac in re voluntas obtineat? Inde verò vbi Electionum nomen retentum eſt, an non penes Capitula quæ vocant (bone Deus quale hoc hominum genus) omnis earum poteſtas reſedit?

Patronatus Indultus, Collationes Reſignationes, Permutationes, Deuolutiones, in Eccleſiam Romanam inuecta, veram electionè abolent.

Annon etiam cuilibet notum eſt pro Electionibus Chriſtianis fuiſſe in Eccleſiam obtruſos patronatus, Indultus, collationes, reſignationes, permutationes, deuoluta, tam apertè támque directè & ex diametro repugnantia omnia, Eccleſiæ veteri, antiquis puris Canonibus, quàm tenebræ Luci ſunt contrariæ?

Celerius Romam currēti dignitatis gradus confertur.

Annon etiam, vt ſimilis initio finis reſpondeat, equis celeribus Romam vſque literæ perferuntur, vt ratæ fiant hæ vocationes, membranæ inſculptæ & plumbo appēſo, quæ bulla cariſſimo pretio vænalis proſtat? Adde his deteriora, nempe quum in omni Iudiciali foro pœnæ ſit obnoxius qui vendit quod alteri priùs vendiderat, tamen Romam centũ curſoribus aduentantibus, idem Beneficium ambientibus, totidem bullas magno pretio redēptas expediri, magno emptorum periculo.

A Periuris manifeſtis promiſſiones Roma-

Quid? quòd in tota iſta Curia Romana, examen quod doctrinæ & morum habetur, & in electionibus eſt eſſentiale, & eaſdem præcedere

cedere debet necessariò, nihil aliud est quàm deteſtandum periurium, nempe teſtimonium eius de quo nunquam eſt quæſitum, quod primùm faciunt notarij Apoſtolici falsò nominati, cum procuratione Romæ iuriſiurandi exigendi ab iis qui ex quotidianis periuriis & manifeſtis victum ſibi comparant? *næ inchoan tur.*

Ecquis verò eſt alius Canonum aut Conſtitutionis veteris & legitimæ vſus in talibus prouiſionibus, niſi vt amplificentur cauſæ derogatoriæ? Iam quid aliud eſt iſtud quàm exercere nundinationem animarum, quæ pretioſiſſimo ſanguine Ieſu Chriſti Dei filij redemptæ ſunt? quid aliud quàm omne ius diuinum & humanum vendere, quid aliud denique quàm impudentiſſimè Simoniacum & ſacrilegam eſſe, ſeu venditores ſeu emptores ipſos conſideres? Atque hæc de primo quidem ad Eccleſiaſticas functiones aditu dicta ſint. *Iuris omnis diuini & canonici abolitio vnico pennæ ductu in bullis.*

Sin verò deinceps agatur de manuum Impoſitione, quam Conſecrationem dicunt, & ordinationem, quandoquidem id quod non eſt præſupponũt, nempe legitimam Electionem, ſequitur manuũ Impoſitioné & Conſecrationem ſuperioribus innixam, merum eſſe Dei & hominũ ludibriũ: quemadmodum minimè poſſunt inficiàs ire, quin veteribus Canonibus illa omnia irrita declarentur: & quidẽ addita excõmunicatione expreſſa tũ ſic ordinantis, tũ etiã ordinati. An verò talem excommunicatorũ vel ſuis ipſorũ Canonibus cœtũ, eſſe Eccleſiã & ſponſam Ieſu Chriſti cenſebimus? Atque *Papa cum ſuo Clero excommunicantur ſuis ipſorum Canonibus.*

huius cætus Caput illius esse Pastorem vniuersalem, à nemine iudicandum, licet in inferos animas plenis plaustris ducentem, quæ Decretalium ipsissima verba sunt?

Omitto immensam multitudinem rituum, quorum alij, licet suum vsum ad tempus habuerint, iam sunt prorsus inutiles ac superflui: alij ridiculi: alij idolomania & impietate prophani: quod per se in omnium oculos incurrit eorum qui non sunt istiusmodi pollutionibus inebriati.

Origo ieiunij quatuor temporũ & abusus.

Sed hæc altiùs repetenda. Pastores & quibus erat animarum commissa cura, quos Curatos deinceps dixerũt, bonis illis temporibus singulis annis quater in vna quaque Diœcesi conueniebant cum primario, & eo qui inter ipsos principem locum tenebat, cui nomen Episcopi postea tributum est, & qui prior erat ordine, factus est gradu superior. Eodem tempore tota Ecclesia ieiuniis Deo se cómendabat, eiúsque Spiritum implorabat, vt benè à Pastoribus regeretur, ad Apostolorum exemplum. Act. 13. 2. In hoc cætu multis occurrentibus casibus prouidebatur, & in vacuas sedes legitima electione vocati mittebãtur: hinc Quatuor temporum ieiunia in Ecclesiam inuecta. At pro hoc legitimo vsu, Deus bone, quid hodie in talibus cętibus fiat, vel dicatur, nosti: de quibus sanè non exigẽda ratio est ab Episcopo, parum de cætibus illis sollicito, nisi forte id negotiũ agatur ex quo cõpendiũ aliquod captet.

Monstrosi episcopi portatiui.

At pro Episcopis Diœcesanis, in Ecclesiá irrepse-

repserunt monstra quædam Episcoporum, quos vocant Portatiuos, sine Diœcesi, sed qui præferunt (ô impudentiam nullis auditam antea seculis) nomina miserarum quondam Ecclesiarum à Turcis euersarum, veluti Tyri, Sydonis, Bethlehemi, Chalcedonis & reliquarum: & hi circa tempus quartæ suæ messis annuę veniẽtes, specie vel ipsis pueris ridicula, quotquot rasi Clerici fuerint ipsis vna septimana oblati, promouent sine alio examine, conuenientissimo vocationi ipsorũ ordine.

Primùm enim creant ipsos, non minus ridiculo quàm barbaro nomine, Acolitros pro Acoluthis, idest sequentibus, qui olim eligebantur, & quidem iustissimas ob causas, vt Pastoribus semper adessent, eosdémque semper sectarentur: quos eâdem septimanâ, si opus est Portitores faciunt, sine Portis tamen vllis custodiendis: tum Lectores sine libris, & non rarò sine vlla literarum peritia. Et hæc quidem olim fuerunt in cœtibus Ecclesiasticis honesta munera, quum alij portas custodirent nequa fieret confusio: alij lectioni verbi Diuini vacarent, quod mox explicabitur. *Acoluthorum, Portitorum & lectorũ larua.*

Postea repente fiunt subdiaconi: sed vt tertiam quandam personam in Missa maiore sustineant, quum olim Diaconis adiungerentur vt in ipsorum administratione eis adessent: tum Diaconi sed sine vlla pauperum cura aut bonorũ eorundẽ administratione: futura sanè alioquin etiam illa pessima & periculosissima. *Subdiaconi & Diaconi ementiti.*

Tandem denique euadunt in presbyteros, *Abominanda*

deformatio muneris presbyterorum.

minimè quidem vt præſint cenſuris Eccleſiaſticis tanquam paſtores aut ſeniores, ſed vt fabulam agāt in qua ſacroſanctæ Cœnæ Domini adminiſtratio cum inſigni blaſphemia pedibus conculcatur. Nam quum inſtituta ſit, nõ ad offerendum Patri Ieſum Chriſtũ, quod fuit illi vni proprium, & ſemel in ęternum ab ipſo perfectum eſt, ſed ad eius memoriam ſolenni ritu concelebrandam, ſibíque vera & viua fide ſpiritualiter applicandam, bonus iſte ſcilicet presbyter ſeſe, quoties iſtiuſmodi Miſſæ fiunt altæ vel ſubmiſſę ſacrificium facit actualiter & realiter corporis Ieſu Chriſti, (ô ſcelus horrendum! ô nefas ſuperioribus ſæculis inauditum!) offerendi Deo Patri pro peccatis, non ſolùm viuentium, qui viam adhuc inſiſtunt ſalutis aut damnationis: ſed etiam defunctorum iam iudicatorum, niſi fortè in Purgatorio illo ſuo adhuc hæſerint. Vah! quanta mundi cæcitas! Eo-ne homines deueniſſe ſtuporis, vt conſcientiarum tranquillitatẽ iis credant quibus ne minimam quidem partem terrenorum bonorũ permiſerint! an igitur amplius litigandum eſt, iſtíne per portam in Eccleſiam ingreſſi ſint, vt veri paſtores, an verò vt latrones & fures vim fecerint, ſicuti loquitur cui & intus & in cute noti ſunt, & qui futurus eſt ipſorũ iudex, quamlibet ſuam in eos vindictam differat? Iohan. 10. 1.

Nullus Diaconus, nullus Presbyter, nullus

Verùm age, quînam dixeris rationem illam ordinandi tolerandam, vt conferantur cum Scribis ac Phariſæis, qui quantumlibet hypocritæ,

eritæ, tamen sedebant in cathedra Mosis, quũ ne munera quidem illa & dignitates quas sibi vendicant sint à Deo, nec ab eius sancto Spiritu in Ecclesia. Nam pretiosa illa Diaconorũ, Presbyterorum & Episcoporum nomina isti quidem retinuerunt, vt diximus, sed eorum vsum penitus sustulerunt, vt tota illa hominum colluuies nihil aliud sint quàm sacrilegi Diaconatus inuasores, quum bona pauperum sic administrent, vt nec accepti nec expensi paginam vllam vnquam producant. Ecquis igitur verè dixerit vnquam esse vllum in ipsorum Ecclesia Diaconatum, Presbyteratum aut Episcopatum, cum omnibus ipsius gradibus Archiepiscopatu, Primatu & Patriarchatu si has voces vero & germano suo sensu ex Ecclesiæ totius & veterum verorum Canonum regula accipias?

Episcopus in Ecclesia Romana hodierna nisi nomine tenus: sed omnes Diaconatus vsurpatores, siue expensi & accepti ratione.

Ecquis etiam ferat aliud ipsorum sacrilegium, quo destinatas præbẽdas aut pensiones studiosis adolescentibus, in sacrorum librorũ lectione sese exercentibus, & in hunc finem in Ecclesias, quas vocãt, Collegiales collectis, occupant egregij illi cœtus, quæ Capitula dicunt, hominum, inquam, cœtus, quos proculdubio nemo melius cõuenientibus titulis descripserit quàm quibus Apostolus Cretenses depingit, Tit.1.12.

Horrenda sacrilegia Ecclesiarum collegialiũ.

Caput verò illud vniuersale, Cardinales, Datarios, Copistas, Bulistas, Auditores, Referendarios, Protonotarios, & reliquam illam Romanæ curiæ fecem, Officiales, Vicarios,

Monstrosa officia & omnino indignissima in Ecclesiã inuecta,

quae sanè non reformanda sed abolenda potiùs essent.

Priores, aio non magis posse inueniri à Deo ordinatos, quàm paradisum in inferis collocatum. Quis verò in posterum est dubitaturus, an mater horrendę huius confusionis vera sit Ecclesia nécne, quæ sanctorum est coagmentatio. Ephes.4.12. & cœtus eorum qui à Deo docti sunt. Esa.54.13. an non verò potiùs maledicta illa Babylon, quæ tã graphicè notatur à D. Ioanne in Apoc. an etiam nos ab ea recedentes apostatæ dicendi simus, ac non potiùs in Dei domum reduces? An Reges, Principes ac Magistratus Christiani Baalis & Damasi altaria subruentes, ad veram Domini mensam instaurandam, dicendi sint Ecclesiam transformasse, ac non potiùs reformasse? An miseras ouiculas priùs in auia errantes, & in leonis positas faucibus oportuit à scortis & lenonibus exspectare lupanarium reformatio nem: an verò sint officio defunctæ quum vocem verè fidelium Pastorum à Deo suscitatorum audientes, quos ex doctrina, vita, moribus, ac etiam morte probè agnouerunt, primùm à sancto Dei Spiritu electos, deinde legitimè ordinatos, secutę sunt, & quum nullum à suis Magistratibus præsidium aut auxilium haberent, confugerunt in foramina & scissuras petræ, & in cauernas maceriæ, vt loquitur Cant.2.14. Sapiens, vbi Deus ipsis nouos Abdias suscitauit, à quibus vero pane, verèque viua aqua sustentatæ sunt, & adhuc hodie sustẽtantur, tantisper dum plena spes libertatis affulgeat? Ac siquis in dubium vocat nostram reforma-

reformationem, tum in doctrina, tum in ordine à Domino in domo sua instituto, & à nobis pro virili nostra restituto: semper sumus professi ac profitemur nos huius controuersiæ iudicem admittere Dei verbum, de quo in legitimo & verè Christiano Concilio disceptetur.

Et hæc quidem in hanc historiã habui quæ dicerem, quòd hoc sit initium omnium legitimarum vocationum, quæ ad sacrosanctum Ecclesiæ Christianæ ministerium spectant. Nam prima illa duodecim discipulorum missio, de qua meminerunt Matth. 10. Marc. 3. & Luc. 9. non sanè fuit Apostolica vocatio (qua in re quidam ex veteribus hallucinati sunt) sed tantùm tyrocinium, quo formarentur in posterum, esséntque tubarum instar, quarum clangore singuli ad Magistrum, qui adhuc cum ipsis erat, audiendum excitarentur: quod etiam longè potiore ratione est intelligendum de aliorum septuaginta discipulorum missione, cuius Lucas 10. capite mentionem facit.

Prima illa missio duodecim Apostolorum ante Iesu Christi mortem, nõ fuit vocatio Apostolica.

Iterum igitur aio, quũ hæc Apostolica vocatio ea sit ex qua reliquæ omnes manarunt, nõ posse satis eam à nobis accuratè expendi & examinari: totam autem hanc considerationem ad duo præcipua capita referemus, quorum illud prius, quid Apostolicæ vocationi commune sit cum aliis vocationibus Ecclesiasticis propriè verbi ministerium spectantibus: alterum quid habeat propriũ ac speciale.

Quid Apostolicum munus habuerit cõmune cum reliquis inferioribus quæ ab eo promanarunt.

Commune fuit igitur Apostolis, Prophetis, Euangelistis, Pastoribus ac Doctoribus, dare operam omnes Euangelij prædicationi & administrationi. Huius autem partes tres, Verbi prædicatio, Sacramentorum administratio: ordinis ac disciplinæ Ecclesiasticæ conseruatio, circa quas versari omnes sedulò secundum suæ vocationis limites oportuit.

Prima, Apostolatus dignitas, quòd ore proprio Iesu Christi Mediatoris exhibiti immediatè cõstitutus est.

Proprium verò fuit Apostolatus, primum Apostolorũ immediata vocatio, quos ipse Dei Filius ore proprio vocauit, docuit, ac denique in vniuersum orbem misit: & hoc ideo velut essentiale huius muneris vrget Apostolus. Galat. 1.1. se nempe non ab hominibus, neque per hominẽ missum esse, sed per Iesum Christum, ac Deum Patrem, ac proinde per Spiritum sanctum. Act. 1.2. id est hanc vocationem immediatè diuinam fuisse per Filij personam, non adhibitis à Domino nec Angelis, nec hominibus: quum plerunque tamen Dominus Prophetas missurus, vel Angelos adhibuisset ministros in variis visionibus, vel etiam ipsos homines, paucis exceptis, ac Mose nominatim extraordinariè ab hoc ipso Dei Filio misso Exod. 32. vbi Angelus dicitur, non quidem essentiæ respectu, sed officij, nomine Patris Mosen alloquens: cui sese per annorum quadraginta spatium facie ad faciem seruo suo communicauit, Deut. 34. v. 10. Fateor interim non minus semper diuinum opus fuisse quum interuentu creatarum à se rerum aliquid fecit, quàm quum ipsemet loquutus est. Verumtamen

men quemadmodum inter homines verba ipſa Regis longè maius habent pondus ab eius ore manantia, quàm à ſeruis perlatus nuntius: ſic Deo viſum eſt Apoſtolicam vocationem hoc honore afficere, vt quæ ſit in ipſius Eccleſia præcipua & fundamentalis: tam ad eos magis ac magis in tanto munere confirmandos, quàm ad Eccleſiam de vocatione ipſorũ certiorem faciendam, ac ſi Dei Filium ipſum proprium in ſuorum Legatorum ſpecialium perſona vidiſſent ac audiuiſſent ſe ipſos alloquẽtem. Hæc porro perſuaſio ac certitudo vocationis maximè hodie nobis neceſſaria eſt, aduerſus eos quibus non ſatisfaciunt quæ illi ore proprio docuerunt, inſtituerunt, ac ſcriptis ſuis mandarunt.

Ex vocatione immediata Apoſtolorũ arguitur falſi auctoritas Apoſtolica, quam ſibi arrogat Epiſcopatus Romani vſurpator.

Hac etiam eſſentiali circunſtantia, vocatione nimirum immediata quam Apoſtolus expreſsè notat Galat. 1. 1. tyrannis eius arguitur qui ſibi hodie authoritatis Apoſtolicæ titulum arrogat in Eccleſia Dei, Petri ac Pauli ſucceſſionis obtentu, eâdem quà in cæteris omnibus arrogantia. Oſtendat enim oportet, vbi, quando, & quomodo ſit ore Domini proprio vocatus in Apoſtolum, cum reliqua illa quorum ſe ſucceſſorem dicit turba: vnde neceſſariò ſequeretur vocationẽ illam ex immediata factam ordinariam.

Auctoritatem Apoſtolicam & vſurpationẽ Antichriſti

Equidem ſcio non magnopere ipſum laboraturum in re tam falſa & inſolente probanda, ſed excepturum Apoſtolatui hanc fuiſſe datam auctoritatem, non in horum tantùm,

mentibus respōdetur. sed in successorum omnium ad finem vsque seculi persona. Verùm quid hoc eum iuuat, nisi etiam probarit ita fuisse institutum Apostolatum, vt in Ecclesia semper essent Apostoli? At nunquam hoc probaturum certissimum est: nos verò facilè contrarium rationibus euidentissimis demonstraturi sumus. Præterea, licet concedamus hoc illi quod postulat, nihilominus probandum restat hoc munus Apostolicum duodecim Apostolis, quibus accessit decimus tertius Paulus, commune ac indiuisum, fuisse primùm ad duo capita restrictum Petrum ac Paulum, ac deinceps hæc duo capita in vnum, ex Dei ordinatione, caput ministeriale, quod vocant coaluisse: ac tandem hanc Vniuersalitatem attributam ei quicunque foret Episcopus Romanus. Quid amplius? Bonus hic vniuersalis Apostolus sibi addendi, immutandi, dettahendi de doctrina Apostolica potestatem vendicat: & hanc sanè potestatem reipsa exercuit & adhuc inter homines exercet. Ergo doceat Iesum Christum ore proprio aliam vocationem Apostolicam instituisse hac ipsa de qua agimus superiorem. At si hæc Apostolorum vocatio, est eadem cum ea qua Pater misit Filium, vt nobis eius fidem faciunt hæc Christi verba, Quemadmodum me Pater misit, sic ego mitto vos: quandoquidem hac postrema prior illa destruitur, nonne Iesus Christus aliam illam erigens auctoritatem Apostolicam Romanam, sese ipsum exautorasse videbitur? Blasphemia horrenda

horrenda nimis, & quæ tamen ex horum doctrina necessariò sequitur. Quousque tandem igitur vos summæ ac infimæ conditionis homines isti fascinabũt, & scortationibus ac immunditiis istius scorti inebriabunt? Sed tempus à Domino præscriptum ad suorum liberationem plenam & perfectam, & istius Babylonis vltimum exitium veniet, quum ipsi videbitur.

Apostolatus altera differentia & prærogatiua posita est in eo quòd Apostoli non simpliciter missi sunt ad Euangelium promulgandũ, sed ad iacienda fundamenta magnæ illius ciuitatis cœlestis, ab Oriente ad Occidẽtem pertingentis, & à Septentrione ad Meridiem, sine vlla distinctione nationum, cuius meminerunt omnes Prophetæ, ac nominatim Psal.87. Vnde Apostolus testatur Ecclesiam Christianam Apostolorum & Prophetarũ fundamento niti, quod nobis ante oculos ponit & copiosè describit, Apoc.21.14. sic Apostolo de se prædicante, & non immeritò quidẽ, à se positũ verum & solum fundamentum, 1.Cor.3.10.

Secunda dignitas Apostolatus, in eo quòd Apostoli constituti sunt fundatores & architecti domus Dei.

Itaque inter Apostolos, Pastores & Doctores quotquot sunt, fuerunt ac futuri sunt in Ecclesia Domini vsque ad finem mundi fuit ea differentia quam inter architectos aspicimus, quorum alij ædificio præsunt, & fabricanda præscribunt, alij fabri sunt & operæ: alij denique exstructum ædificium fouent ac sartum tectum conseruant. Primi verò illi fabri sub architectis (qui tamen & ipsi manum

Quales fuerunt Euangelistæ quos sibi Apostoli electos adiunxerũt ad Ecclesiæ Christianæ sub aliis architectis fundationẽ perficiendã.

ad opus admouerunt, & quidem omnium maximè) fuerunt ij quos historia Apostolica vocat Euangelistas, quales fuerũt Timotheus, Titus, & alij fideles Apostolorum comites, & àb ipsis hûc illûc missi primùm ad ea perficienda quorum ij fundamenta iecerant à quibus mittebantur: veluti ad huius ingentis cælestis ciuitatis muri partem aliquam modò hîc modò illic erigendam: deinde ad constituendos peculiares & ordinarios fabros, & ij dicti sunt Pastores, Doctores & Seniores, qui sibi commissi ædificij partes, & successoribus fideliter tuerentur ac sartas tectas conseruarent. Act. 14.23. 1. Tim. 1.3. Tit. 1.5.

Apostolicæ auctoritati simpliciter fuit credendum citra controuersiam.

Talis igitur fuit Apostolorum vocatio & propria commissio, cum plena auctoritate, adeò quidem vt licet passi sint, & optarint suã doctrinam ad Prophetarũ scripta exigi (quod ipse Christus examen sponte subiit Ioh. 5.39. & ideo Beroeenses commendantur. Act. 17.11.) Fides tamen ipsis adhibenda simpliciter fuit, tanquam præditis tanta spiritus abundantia, vt ab aliis doceri non habuerint opus, de doctrinæ Christianæ capitibus. Galat. 1.8. & 17. & 2.6. immo terribili coërcitionis extraordinariæ potestate armatis: cuius exempla manifesta sunt Ananiæ & Sapphiræ exitus. Act. 5.5. & 10. Elymæ excæcatio. Act. 13.20. & quod Apostolus testatur. 2. Cor. 10.6.

Apostoli nec habuerunt nec habere debue-

Quum igitur sit extra omne dubium hos viros cum Euangelistis officio fidelissimè defunctos, positis absolutissimè virtute sancti

Spiritus

Spiritus Ecclesiarum fundamentis, tum quòd ad doctrinam Act.20.27. tum quòd ad ordinē administrationis Ecclesiasticæ, quem etiam ex vsu monumentis ipsorum conscripto docuerunt, nonne, si quis dixerit oportuisse & oportere Apostolos in Ecclesia sibi inuicē succedere, fuerit æquè absurdum & stultum, ac si dicatur sēper oportuisse & oportere in Ecclesię Catholicæ fundamentis iaciendis occupatum esse: quo dicto tum Apostolis tū ipsi Spiritui sancto insigne mēdaciū impingatur? Nec quicquam aduersus hanc veritatem iuuat excipere, aut Apostolos non vbique terrarū sine exceptione posuisse Ecclesiarum fundamēta, testibus Americanis, & aliis istiusmodi populis ad quos nunquam Euangelij fama videtur peruenisse: immo ne vlla quidem species Religionis: aut Ecclesias Christianas olim tā celebres maxima ex parte fuisse radicitus à Mahumetismo conuulsas & extirpatas, quæ proinde sint à fundamētis instaurandæ. Verissima profectò illa omnia: & quidem non tantùm in locis in qnibus sedem Mahumetus fixit, sed etiam in Occidente, vbi licet fundamentum non penitus corruerit, vt in Oriente, ita tamē transformatum & alteratum est, vt penè aliud omnino sit. At non propterea tamen necessariò infertur continuandum Apostolatū fuisse, aut iterum in vsum reuocandum. Nam cui tātam Spiritus abūdantiam, quæ ad hoc munus est necessaria, Iesus Christus missurum se pollicitus est? Ecquis autem hanc electionē vnius

runt viros in Apostolatu successores.

Filij Dei propriam ac peculiarem ſibi vendidicarit? Adde non fore Apoſtolicam electionem vni cuidam peculiari loco deſtinatam.

Apoſtoli nullos in Apoſtolatu ſucceſſores habuerunt, ſed permanſerũt rectores, fautores, & inſtauratores Eccleſiæ per doctrinam in ſcriptis ſuis comprehenſam, & per veros paſtores & doctores administratam.

En verò qua ratione duorum iſtorum Antichriſtorum ruinas etiamnum hodie reſtaurent ac reſarciant Apoſtoli, & Eccleſiarũ planè collapſarum diſſipatarúmque fundamenta rurſus iaciant, vt tamen in mundum ipſos reuerti non ſit opus, aut alios Apoſtolos mitti, ſi reliqui Paſtores & Doctores, propè & procul, ſedulam nauẽt operam in Dei regno promouendo, nullas occaſiones elabi ſinentes, ſed quamcunque Deus viam fecerit ſequuti, miſſis legitimè electis perſonis ad operis Domini reſtaurationem, non auctoritate Apoſtolica præditis: ſed ſuum opus & inſtaurationem ad normam ac regulam doctrinæ Apoſtolicæ accommodantes, qualem eam bene conſignatis tabulis & inſtrumentis ad nos tranſmiſerunt: præterquàm quòd Dominus miſertus quorum vult, Eccleſiæ ſuæ nunquam defuit nec in poſterum eſt defuturus, extraordinariè excitatis ad tempus, tantiſper dũ legitimus ordo reſtituatur, viris ad opus illud perficiendum idoneis, qui pedetentim promoueant ſicuti Deo labori ipſorum benedicere videtur. Age verò rẽ ſic eſſe rerũ experiẽtia irrefragabilis nos doceat: ſic enim tibi viſum eſt, Domine Ieſu Chriſtę, tuæ miſeræ Hieroſolymæ ruinas ac rudera noſtris temporibus reſtaurare, quoſcunque dolos ac technas huius mũdi Princeps verſauerit, & inuita rabie draconis

conis illius quam vomuit ac vomit adhuc aduersus sponsam tuam in desertum relegatam. Apocalyp.12.15.& 16.quod opus verè tuũ supplices rogamus vt perficias, ac nos immēso & admirãdo illo tuo fauore & misericordia tutari pergas.

Tertia huius Apostolatus præeminentia cõsistit in muneris amplitudine, tam amplo videlicet quàm amplus est vniuersus orbis terrarum, ita tamen vt horum legatorum alter alteri non fuerit impedimento. Hic igitur Apostolatus mansit integer & inter illos duodecim indiuiduus, non autem in totidem partes scissus: vt quemadmodum vnus tantùm Deus est, vnum sit etiam Euangelium, vna fides, vna Ecclesia vniuersalis, sub vno & eodem Monarcha, in vnum corpus ex singulis Dei electis coacta, per hunc vnicum & sanctum Apostolatum, ac si vnicum fuisset os tredecim illorũ, Paulo nimirũ decimotertio ad illos duodecim accedente, nominatim Gentibus Apostolo destinato. Quapropter falsa illa dominatio D. Petro impudentissimè attributa, de qua minimè omnium cogitauit, inuentum perniciosissimũ est Satanæ quo falsæ vnionis obtẽtu misera hæc Ecclesia capiti suo subtracta in Tyrannum vniuersalem incidit, in totidẽ tyrannulis corporũ & animarũ, quot falsi sunt dominatores & deuoratores in reliquo Christiano orbe.

Tertia Apostolatus præeminentia in muneris amplitudine.

His diligenter expensis, comperiemus non abs re Iesum Christum comparationem insti-

Quæ sit conuenientia missionis

Iesu Christi à Patre & Apostolorũ missionis à Iesu Christo.

tuisse inter vocationem suam, qua missus est in has terras à Patre, cum Apostolorum quam instituebat missione. Nec enim vllo interuẽtu Filius in carnẽ venit à Patre: sed ex æterno suo proposito apud se ab æterno decreto, 2. Timoth. 1. 9. quod etiam Apostolis attribuitur, Ephes. 1. 11. quorum in cœlis nomina iam tum erant scripta, Luc. 10. 20. Præterea quemadmodum Iesus Christus misit suos Apostolos, ore proprio loquutus, idem & Pater fecit, Filium in sui muneris executionem introducens, formata sibi voce sensibili & intelligibili, tam in ipsius baptismo, Matth. 3. 27. quàm iterum in eiusdem transfiguratione, his additis verbis, Audite ipsum, Matth. 17. 3. quę verba Petrus diligenter obseruauit, 2. Petr. 1. 17. Præterea quemadmodum Filio Pater omnem potestatem dedit, eâdem potestate Filius suos discipulos in domo sua instruxit, à nobis, quòd ad humanitatem absens, quibus per suum sanctum Spiritum adest præsentissimus, & eosdem etiã extraordinaria coercitione armauit, sicuti est à nobis superius demõstratum. Ac denique sicuti missus est non simpliciter in Iudæorum gentem imperium habiturus, sed spiritualiter in vltimos vsque terrarum fines dominaturus, ex Patris promisso, Psalm. 2. 8. quum ore proprio vnius Israelitici populi minister fuerit. Roman. 15. 8. in Apostolorum suorum persona, tanquam legatorum & vicariorum, gentes omnes sub eius imperium redactæ sunt, externo ipsorum

rum ministerio, quod virtus eius interior comitabatur.

Et huc vsque quidem hæc comparatio protenditur, vltra quam non est progrediendum. Nam quòd ad officium Mediatoris in reconciliandis hominibus Deo Patri, nec Petrus, nec Paulus, nec alius mortalis quispiam pro nobis est crucifixus. 1. Cor. 1. 13. sed solus ille agnus sine macula, qui mundi peccata sustulit, vt non sit aliud sub cœlo nomē, inquit Petrus, quod datū sit inter homines, per quod oporteat nos seruari. Act. 4. 12. quum solus factus sit nobis sapiētia, iustitia, sanctificatio & redemptio. 1. Cor. 1. 30. Quantum igitur virtutis tribuitur sanctorū, quæ falsò ita nominantur meritis (quo nihil acerbius ipsis potest accidere) aut intercessionibus ipsorum in cœlo, quorū erat potius imitāda fides, & aliæ virtutes insignes, vt debitus ipsis honor exhiberetur, tantundem detrahitur de merito, de obedientia, de officio Mediatoris Domini nostri Iesu Christi, qui hac in re socium omnino nullum habet, nec in totum nec ex parte: tantum abest vt adoratio Reliquiarū, quas vocant, siue sint veræ siue falsæ, à Spiritu Dei manarit.

Soli Iesu Christo Domino nostro debetur honor Mediatoris & Redemptoris.

Apostoli verò quum Ecclesiarum iaciendi fundamenta munus acciperent, non ideò tamen Dominij ius est ipsis à Domino resignatum: aut potestas data, nec in totum, nec ex parte ore vel scripto docēdi, aut vllū ordinē in Ecclesiam ex suæ voluntatis arbitrio inuehēdi: sed summus ille Magister ac Dominus sibi

Apostolica functio fuit certis finibus circumscripta, nihilq; nisi ex Domini mādato & nomine dixerunt, docuerunt aut instituerunt.

soli Dominium retinuit, penes quem vnicum est potestas & auctoritas iubendi vetandíque: Patrísque in domo singula constituendi: ita suorum Legatorum vsus opera, vt testes tantũ esse voluerit eorum quæ viderant & acceperant, vt ea fideliter aliis annunciarent. Matth. 28.20. quod etiam fideliter obseruãrũt. 1. Cor. 11.23. Sic Mosi, quum diuinitus accepisset mãdatum tabernaculi construendi, nó licuit recedere, ne tantillum quidem ab exemplari quod illi Dominus ac Magister in mõte ostẽderat. Heb. 8, 5. Quamobrem optimè ac facillimè veri Pastores, quos oportet audiri, à falsis quos vitari, discernuntur hac nota quam ipse dictat Apostolus, Si Angelus è cœlo Euangelizet vobis præter id quod ab Apostolis Euangelizatum est, anathema esto. Gal. 1. 8. Agite igitur, fratres, Deo Opt. Max. gratias agamus immortales, quòd cœlitus, vt ita dicã, de nouo mittere dignatus sit fideles suos Apostolos: atque precemur gratiã hanc ipse nobis etiã largiatur, vt per ipsos veri nostri vnici Pastoris vocem agnoscamus ac sequamur: alieni verò fugiamus, Iohan. 10. 4. & 5.



HOMILIA DECIMA-quarta.

Luc. 24.

48. *Vos autem estis horum testes.*

49. *Et ecce ego emittam promissum Patris mei in vos: vos autem manete Hierosolymis vsqueque induamini virtute ex alto.*

Iohan.20.

22. *Et quum hæc dixisset, afflauit eos, & dixit eis, Accipite Spiritum sanctum.*

23. *Si quorum remiseritis peccata, remittuntur eis: si quorum retinueritis, retenta sunt.*



NTELLEXIMVS ex hoc eodẽ D.Lucæ capite Iesum Christũ Dominum nostrũ non simpliciter certiores Apostolos fecisse de suæ resurrectionis veritate, sed etiam fructum docuisse qui sit ex resurrectione colligendus: hac in parte quale sit fidelium in Ecclesia doctorum, verorúmque etiam auditorum officium docens. Nõ satis est igitur docere: nec sacras historias quæ in veteri & nouo Testamento continentur credere: sed earum vsum oportet à doctoribus ostẽdi, & nucem, vt ita dicam, ab ipsis frangi, vt nucleum videant auditores, illum hac vera fide recipiant, concoquant ac digerant: & hãc fidẽ non tantùm historicam dicimus, quam etiam habent maligni spiritus, & ob quam cõtremiscunt iudiciũ quod ipsos manet sciẽtes, Iacob. 2.19. & Mat.8.29. sed eã contrà ex qua fiãt confidẽtiores, & quæ metum foras expellit, Rom. 8.15. 31. sibiipsi doctrinam salutis applicans, qui fructus est & vsus sacrarum historiarum, Rom.15.4. ac nominatim eorũ omnium quæ

Non sufficit quæ credenda sunt docere, nisi verus etiam & Legitimus vsus proponatur.

Christus pro nobis fecit ac passus est. Hæc verò quum nec caro nec sanguis docere possint, Matth.16.17. (id est sensus naturalis noster nó percipiat) sed Spiritus sancti donum sint, idcirco in hac ipsa historia dictum est, Iesum Christum in primis aperuisse mentem suis discipulis, vt scripturas intelligerent, quas in summam ipse postea colligit Luc.24.46.

Apostoli missi sunt futuri testes nō authores nostræ redēptionis vllo modo.

At quoniam de discipulis voluit Ecclesiæ suæ fundatores facere, simul etiam addidit, quod homilia superiore fusiùs explicauimus, se illos mittere, sicut à Patre missus fuerat. Quoniam autem huius muneris tanta videri poterat amplitudo, vt sibi pares eos & æquales Iesus Christus faceret (quod non sine graui errore dici potest, & contumelia eius qui non solùm est solus Mediator & Redemptor, sed etiā Magister ac Dominus in domo Patris quæ est Ecclesia) idcirco Spiritus sanctus nos hic admonet vnum Euangelistam ex alterius collatione exponere. Nam illa docet hanc missionem Apostolicam restringendam hac voce testimonij, quòd Apostoli tantùm acceperint potestatem testificandi & hominibus annuntiandi quæ viderant, audiuerant ac didicerant ex Præceptore, nēpe omne Dei consilium de hominum salute. Iohan.15.15. & Act.20.27. quod ipse deinceps expressè ipsis declarauit. Matth.28.20. & dilectus etiam discipulus diligenter seruauit. 1. Iohan.1.

Apostolorū

Itaque ratione lōgè meliore Pastoribus ac Docto-

Doctoribus datam auctoritatem dicimus adhuc magis restringēdam & coarctandā, quorum præstantissimi longè fuerunt inferiores mensura Donorum Spiritus sancti in Apostolos collatorum, Quamobrem etiam simpliciter quidem & sine exceptione dicitur, Qui vos audit, me audit, & qui vos reiicit me reiicit. Luc. 10. 16. De reliquis verò Pastoribus & Doctoribus, quòd nō pauciores falsi quàm veri reperiantur, dictum 1. Iohan. 4. 1. Ne cuiuis spiritui credite, sed probate spiritus an ex Deo sint. Et hæc secunda nota est qua veri Pastores & Doctores quos oportet audiri discernantur ad primam illam adiicienda, nempe legitimam electionem, de qua satis copiosè diximus homilia superiore: quum sæpissimè contingat etiam electos legitimè vel citiùs vel seriùs hypocritas deprehendi, vel à veritate quam didicerant deficere. 1. Timoth. 4. vers. 1. & 5. 24. Itaque quum Apostoli testes sint omni exceptione maiores, quum hoc vel illud aliquem ex ipsis docuisse compertum est, non magis in id inquirēdum quàm si Iesus Christus ore proprio nobis illud nuntiasset. At quum siue recentioris siue vetustioris cuiuspiā alterius testimoniū adfertur, optimè quidem sanè sentiendū de iis quos viros eximios esse vel fuisse cōstat ex indubitatis testimoniis: & venerāda est antiquitas, & eorū doctrina quos fuisse suo tēpore in Ecclesia lumina splēdētia cōpertū est. Sed diligēter obseruāda sēper qua ipsimet prescripserūt

Scripta sunt sine exceptione, sed non doctorū scripta quibus illa explicantur.

regula, vt nimirum accuratè consideremus, num doctrinæ suæ fundamentum substernãt Sacram scripturam, cuius expositio cum articulis nostræ fidei congruat: quod si sic esse cõperiamus, tum verè ab ipsis recipienda quæ Spiritus sanctus eos ex Scripturis docuerit: sin minus, obseruanda quæ Dominus de pseudoprophetis in Lege pręcepit, Deut. 13. 3. & Apost. Gal. 1. 8. ita tamen vt tanta virorum illorũ habeatur ratio quantã veritas patitur. Et hoc ipsum illi quoties & quàm expresse postulant à scriptorum suorum lectoribus, tantùm abest vt eodem loco quo Iesus Christus aut eius Apostoli haberi velint, nedum in idola transformari?

Conciliatio dicti Iesu Christi iubentis suos Apostolos manere Hierosolymis, & per mulieres in Galilæam abire mandantis.

Verum duplex in hoc nostro textu difficultas occurrit: prior quòd quum antea Iesus Christus per mulieres eos in Galilæam ire iussisset, Matth. 28. vers. 10. hic iubet eos expectare Hierosolymis, dum mittat ad eos promissum Spiritum Sanctum: quod non erat tamen præstituturus, nec etiam præstitit nisi quinquagesimo demum die postquam hæc euenerunt, vt primus hic dies illorum quinquaginta numeretur. Primùm respõdeo, non iussisse ipsum per mulieres statim accepto nuntio se in viam ipsos dare, sed ipsis in memoriam voluisse reuocare quòd vltima illa cœnà ipsis prædixerat, de sua resurrectione faciens eos certiores, Mat. 14. 28. se nimirum præcessurum eos in Galilæam. Ac reuera, si vt oportebat de sua resurrectione certiores fuissent

ſent, ſtatim ſe in viam dediſſent: ſed quum incredulitate deterrerentur, Dominus pro eo quòd deſeri merebantur, ipſe voluit eos in propria perſona quærere, ac ſibi hac ratione non contradixit, nec pugnantia ſecum loquutus eſt, plura præſtans quàm eſſet ipſis pollicitus. Quod verò nunc eos iubet Hieroſolymis ſubſiſtere, factum eſt quòd quum eſſent ab ipſo de ſua reſurrectione certiores facti, non opus haberent hoc iter ingredi, vt de iis quæ ab ipſomet didicerant certiores fierent.

Conciliatur profectio quorundam ex diſcipulis in Galilæam, cum mandato Ieſu Chriſti manendi Hieroſolymis.

Altera difficultas in eo conſiſtit quòd diſcipuli, ſi non omnes, ſaltem Simon Petrus & Thomas & duo filij Zebedæi, cum tribus aliis diſcipulis, vt recitatur, Ioh. 21.2. accepto mandato manendi Hieroſolymis, nihilominus iuerunt in Galilæam, & quidem ad lacum vſque Tyberiadis, vbi Ieſus Chriſtus iterum ſeſe illis, non increpatis de illa profectione, conſpiciendum præbuit. Notandum itaque vocem Manendi qua Ieſus Chriſtus vtitur hoc loco, non ſemper idem ſignificare ac loco non moueri, ſed ſumi pro fixa in quodam certo loco habitatione & domicilio. Hæc igitur profectio fuit, non Hieroſolymæ relinquendæ cauſa, ſed contrà ſtatim repetendæ, quod etiam ipſos feciſſe videmus, vt veriſimile ſit ob quædam neceſſaria fuiſſe coactos excurrere in ſuas regiones rebus ſuis proſpecturos: quod facilè colligitur ex eo quòd quum eo veniſſent piſcari cœperunt, ex qua ſibi priùs arte victum quærebāt: minimè quidem piſcationi vt priùs

vacaturi, quasi quæ Dominus initio ipsis dixerat obliuioni tradidissent, se piscatores hominum illos effecturum, Matt. 4. 19. & quæ in hac historia repetiit, sed sibi quæsito victu Hierosolymam redituri. Nulla igitur in Iesu Christi verbis repugnantia, nullaque in Apostolis hac in parte rebellio.

Quomodo & cur Sanctus Spiritus in Apostolatu necessarius Apostolis tantùm per varios gradus communicatus sit.

Sed iterum, videri possent quæ Iesus Christus hic facit ab eius verbis dissentire. Nã hinc quidem donat eis Spiritum sanctum, & quidẽ cum signo Sacramentali, quod sanè suo maximo effectu non caruit: inde verò iubet eos Hierosolymis expectare, dum mittatur eis à Patre Spiritus. Facilis responsio, Spiritum Sanctum sua dona distribuere, non tantùm cui & quando vult, sed etiam eâ mensurâ quâ vult 1. Cor. 1. 12. 11. Quamobrem verè dici potest Deus nobis dare quod iam dedit, quum aut confirmat, aut auget donum quod iam acceperamus, quod singulis momentis ab ipso flagitare nos nobis ipsis & aliis oportet: & hoc ipsum in eius discipulis ratione quadam singulari conspicuum est. Nam certissimum est iam tum datum ipsis sanctum Spiritum quum se vocantem Christum tam prompto & alacri animo sequuti sunt: ac deinceps auctum etiam, quum res suas priuatas reliquerunt & vbique ipsum sequerentur: & quidem tum maximè auctum, quum recedentibus aliis plerisque noluerunt ipsi ab eo discedere, Iohan. 6. 66. Donum etiam miraculorum acceperunt missi in regionem illam vt Iesum nuntia-

iarent : nec sine sancto Spiritu postea reuersi tam benè respondissent, quum suum Præceptorem professi sunt esse verum Christum & Filiũ Dei viuẽtis, Matt.16 15. Nã quod illic Petro dicitur, cõmune fuit omnibus eius sociis, quorum nomine ipse responderat. Denique, nisi sancti Spiritus robore & fortitudine fuissent animati, quis dubitat quin illi Magistro suo morti tradito fuerint domum suam singuli redituri?

Et hîc quidem habemus exemplar in quo contemplemur, hinc quidem quales naturâ simus, vt nobis ipsis displiceamus, ac fidei noua quotidie supplices petamus incrementa, discipulorũ exemplũ sequuti, Luc.17 5. sempérque precibus vacemus, & sedulò vigilemus, Matt. 26. 41. cauentes summopere ne Spiritum sanctum contristemus, Ephes.4.30. Inde verò, sic nostras infirmitates docemur hic sentire, & quidem sæpe tales vt videri possit Spiritus sancti testimonium prorsus à nobis recessisse, ne tamen animum abiiciamus: sed nouas vires accipientes, nósque iudicantes ne iudicemur, meminerimus ad eum confugere, qui licet propter nostrum stuporem ac duritiem vix in nobis, vt ita dicam, operari posse videatur, nunquam tamen suarum manuum opus deserit, Psalm. 38. 8. & Rom. 11.29.

Duplex huius exempli vsus.

Sed nominatim hic obseruandi nobis gradus per quos hi discipuli vocati sunt ad dignitatem Apostolicam. Primùm igitur,

Apostoli primum formati sunt triennij spatio, dein de in his

diuersis vicibus Apostoli ordinati.

toto penè quadriennio fuerunt assidui discipuli: deinde quod ex hac historia discimus, speciali quadam & peculiari mensura Sp. sanctum acceperunt: tum iterum Apostoli designati ac missi quum Dominus in cœlum ascẽdit, Matth. 28. 19. Marc. 16. 15, & nihilominus ad diei Pentecostes missionem Spiritus relegantur: tâmque pro eo quod ipsis in hac historia dicitur, vos estis harum rerum testes, Luc. 24. 48. dicitur ipsis Act. 1. 8. Vos eritis mihi testes, postquam nimirum virtutem ab alto sancti Spiritus acceperitis. Tunc demum igitur in ipsis Apostolica facta est consecratio.

Vsus huius exempli.

Quamobrem etiam non abs re Apostolus, 1. Tim. 3. 1. laudato studio eorum qui ad sacrosanctum ministerium aspirant, simul etiam addit, opus arduum esse: quod ipsemet Paulus, tot licet eximiis donis, tam extraordinaria ratione donatus, reformidans tamen exclamat, Et ad hæc quis idoneus? 2. Cor. 2. 16. Et Timotheum alloquens ait, Ne cui citò manus imposueris, idest, priùs non probato. Ac licet Timotheus adhuc valde iuuenis ad ministerium vocatus esset, 1. Tim. 1. 14. Neophytum tamen ad ministerium admitti disertè vetat.

Quomodo & quousque sit habẽda ratio ætatis & graduum in eligendis personis ad functiones ecclesiasticas.

Hinc factum vt multis veteribus Canonibus ætas præscripta sit gradibus ministerij: & constitutum vt priusquàm ad Presbyteriũ quis vocaretur, idest ad Pastoris aut Senioris munus admitteretur, inferiora munera sustineret ad maiora illa deinceps promouendus. Qua in re licet non caruerunt aliquo funda-

men-

mento, quod ætate & rerum experientia homines reddantur aptiores ad sustinenda quælibet munera ciuilia vel Ecclesiastica: tamen ex æquo & bono fuerunt illa intelligenda, sic nimirum ne simpliciter Spiritus Sanctus alligaretur annorum numero, quum non omnes iuuenes inepti sint, nec omnes senes sapiant. Idcirco Paulus Neophytum quum reiiciat, 1. Tim.3.5. non habuit tamē in vocando iuuene Timotheo rationem ætatis, sed scientiæ & aliorum Dei donorum, quibus ornatus erat, iā inde à teneris annis fideliter eruditus in fide ab Eunica matre & auia Loide, 2.Tim.1.5. Hic igitur vitanda sunt duo extrema. Quapropter etsi plerunque non vna in sede morantur iuuentus & sapientia, non tamen Canon generalis sine vlla exceptione constitui potest. Nec scientiam perpetuò comitantur discretio & moderatio: nec pietatem, bene dicendi ac docendi facultas. Tutissimum igitur est in munerum Ecclesiasticorum ordinatione, examen instituere doctrinæ & morum, quàm fieri potest proximè ad Canonem ab Apostolo præscriptum, vt deinde ad sanctam & legitimam electionem tanquam in oculorum Domini conspectu procedatur.

Quando & cur scholæ Christianæ in Ecclesia cœperint institui.

In hunc vsum olim institutæ scholæ Christianæ fuerunt, in quibus studiosi Theologiæ præparabantur linguarum ac bonarum artiū studio incumbentes: testibus tot eximiis viris Græcis & Latinis, quorum scripta legimus: quandoquidem non placuit Domino semper

linguarum donum & alia huiuſcemodi dona ſuæ Eccleſiç per miraculum largiri. Et quidem maximè ex quo duæ linguæ præcipuæ Hebraica & Græca, fuerunt ſic adulteratæ, vt earum puritas apud vulgus perierit: quarum tamen neceſſaria eſt cognitio in Eccleſia ad ipſos textus tū Veteris tū Noui Teſtamēti legendos, vt obuiam eatur falſis aut impropriis tranſlationibus, maximo & ſingulari Dei beneficio factum eſt, vt ſuſcitarentur Academiæ in quibus linguarum illarū cognitio conſeruaretur.

Dominus admiranda ratione Vetus Teſtamentum & linguā Hebraicā per Iudæos conſeruauit, noui Teſtam. libros Græcos & Latinos in Monaſteriis.

Qua in parte rurſus ſingularis Dei prouidentia bifariam nobis eſt expēdenda. Primùm quòd in illa barbararum gentium inundatione quibus Imperium Romanum deletum eſt, voluit maximos & infenſiſſimos hoſtes diuinę veritatis, linguæ ſuæ cuſtodes eſſe, atque textuum Veteris Teſtamenti, & quidem cum tāta diligentia, vt etiam ſingulas voces, ſyllabas, elementa dinumerarint ſingulari diligentia, non ſibi ſanè, ſed nobis, profutura. Deinde quòd in monaſteriis quæ in variis orbis partibus commodis & tranquillis temporibus fuerant ſtudioſorum collegia & gymnaſia, boni ſcriptores conſeruati ſint: etſi non fuit illud tempus diuturnum, ſtatim mutatis monaſteriis & Eccleſiis collegialibus in cloacas ſuperſtitionis & ignorantiæ.

Dominus ſingulari beneficio noſtro tempore linguarum, & bonarū

Itaque procul ab illis eliminato tanto bono & in primis Theologia miſerè verſa in horrendam Sophiſticen: & huc vſque barbarie obtinente, vt duarum illarum veluti matrum lin-

linguarum interierit, ac pro hæresi habeatur cognitio: vix agitur annus octuagesimus ex quo Deo visum est, veluti cælitus, donum linguarum hominibus impertiri, ac suscitare cũ arte typographica, tum nõ paucos Principes, tum præstantissimos viros, quorum opera in instaurandis pedetentim tam horrendis ruinis vteretur, ac lucem illam in terras reduceret, quæ maximo etiam cum splendore terras iterum suo splendore collustraret.

disciplinarum collapsum studiũ instaurauit.

At verò quàm multis nimium apparẽtibus signis metuere nos oportet ne sit fulgur illud de quo apud Matth. agitur, Matth. 24. 27. Nam nonne hinc quidem videmus puritatem doctrinæ Christianę infici sophistice, & falsa philosophorum sapiẽtra, frustrà tam expresse nos monente Apostolo vt eam caueamus? Coloss. 2. 8. Annon hodie multi Christiano nomine gloriãtur Stoici, Platonici, Aristotelici, Auerroistæ, quibus si Epicuros & ἀθέους adiunxeris, quæ hodie secta in reliquo Christiano orbe plurimum obtinet, & istis iterum addideris miseros idiotas & superstitiosos, quæso quantula erit reliqua pars qui verè Christianum nomen profitentur? Ecquis autem ignorat quanta sit hodie scholarum corruptio, in quibus misera iuuentus tanquam in fœtidum lupanar introducitur, imbuẽda statim ab vnguiculis semine omnium corruptionum & vitiorum in his auctoribus qui legũtur, ac poëtis præsertim tam spurcis, tam prophanis, tam infamibus, vt nihil magis fœdum esse possit,

Admonitio de summa deprauatione scholarũ tã in scientiis quàm bonis moribus.

quos tamen in illis legi, manibus omniũ teri, exponi, & quidem commentariis illuſtrari cũ effræni impudentia & licentia videmus? Quid inde verò nobis exſpectãdum niſi quod, proh dolor! vidimus & videmus, orbem terrarum in Sodomam ac Gomorrham in dies trãsformari? Quis verò miretur barbariem in mundum reuerti? Atheiſmum palàm regnare? Dei flagellis totum orbem quaſſari? Contrà miremur tantam hactenus fuiſſe Dei patiẽtiam.

Ad Eccleſias Chriſtianas exhortatio de hac re ſeriò meditanda.

Ac ſi miſeram Eccleſiam adhuc in media Sodoma verſari oportet (nam quò abiret vt in eam non incurrat quæ toto orbe diſperſa eſt?) ſaltem nobis hanc, Deus Optime, largire gratiam, vt Lothum imitemur, nõ quidẽ in omnibus, ſed in eo quod de ipſo Petrus teſtatur. 2. Pet. 2. 6. vt in dies animas noſtras iniquis flagitioſorũ factis & videndo & audiendo excruciemus. Ac ſi verſamur in hac confuſione, nos ab ea tamen animo & factis ſeiungamus. 1. Cor. 5. 11. & ita ſimus in mundo, nec tamen ex mundo ſimus. Vos verò Magiſtratus, quibus Deus exiguæ licet ditionis dominis ſpecialem gratiam cõceſſit, maiorem & minorẽ ſcholã erigendi, quæ iam, Dei beneficio, ſuaues fructus attulit, ac lõgè latéque ſparſit, agite, forti animo illã tanquã immenſum theſaurum fouete, nóſque in illa, & tota veſtra ciuitate, ab iſtiuſmodi tam fœdis ac tetris pollutionibus protegẽda ſicut hactenus factum eſt, adiuuate. Vos verò ſtudioſi, tũ maioris tũ minoris ætatis, cauete diligenter ne vnquã ſtudia

bonarum

bonarum artium à vera salutis scientia disiungatis. Vos Professores ac Præceptores, videte ne istis profanis sordibus polluti alios vobiscum polluatis. Vos parentes maiorem date operam in liberis vestris erudiendis, non tantùm in bonarum artium scientiis, sed maximè in pietatis rudimentis imbuendis. Et eò maior hac in parte vestra socordia est, quòd quũ pateat vobis schola gratis, tantum tamen beneficium paruifacitis. Cæterùm vobiscum reputate frustrà in scholis, frustrà in templis docẽdos vestros liberos, ac inanem fore prorsus operam, si, quæ bene docti erunt, vos pessimo in domibus exemplo destruatis, vnde nimiùm frequenter contingere videmus vt ex multis plantis, bene ac fideliter excultis, paucissimæ ad bonam frugem perueniant, aut spẽ hodie nobis vllam faciant. Quæ verò hinc nobis surgere spes potest, quàm extremũ, nisi de istis seriò cogitare cœperimus & in melius emendari, tum scholę tum ipsius Status, (quod Deus auertat) exitium? Minimè quidem profectò Prophetam ago, nec ex speciali quadam reuelatione loquor. Non sum enim ego ex istiusmodi Prophetarũ, aut potius ariolorum numero. Sed quum ante oculos occurrãt necessariæ causæ, vaticinio extraordinario quid opus est in earũ effectis prædicendis, nisi Deus Opt. Max. cuius vnius prouidentia cuncta administrantur, maturè adferat remedium. Et quidem apparet tam pretiosæ rei contemptus in huius thesauri parte pretiosissima, quem

possum dicere, & verè possum affirmare Dominum in hac ciuitate deposuisse. Nam, exempli gratia, quod maius & certius huius rei testimonium esse potest, quàm quòd in hac vrbe, quā verè possumus dicere fuisse veluti fontem, (soli verò Deo laus esto) ex quo tot Ecclesiæ, immo tot procul etiam dissitæ nationes, & doctrinam & doctores hauserunt, Pastores tamen penè omnes peregrini sunt? At deficientibus pauculis, qui supersunt, operariis, nonne maximum periculum huic imminet viti desertionis? Vnde verò tandem hæc culpa? Ausim coram Deo sincerè profiteri non ab operariis, quos illi excolendæ Deus constituit, manare, sed ab ipsis parentibus & liberis, qui sacrosanctum ministerium flocci pendunt. Quid igitur nobis exspectandum dicam? Nempe quod maximę Christiani orbis parti contigisse videmus, vltimam nimirum nostram cōditionem, nisi aliter prouideatur, fore priore longè deteriorem.

Respōdetur obiicietibus in nostris Ecclesiis Pastores non eligi ex literatorū numero.

Et si verò nō sum nescius hanc digressioné, quæ tamen non ita procul aberrat à contextu, multis visam iri prolixiorem, necesse tamē est vt ad eam aliquid adiiciam, quò bonis nostris Romanis Catholicis hodiernis respondeam, qui obiiciunt nobis quosdam Pastores & alios Ecclesiasticas functiones sustinentes, quos non è scholis vocatos, sed ex officinis & mechanicis artibus ad ministeriū promouemus, quibus sic responsum velim. Primùm hoc esse maxima ex parte falsissimum, tot eximiis

miis ac præstantibus viris testibus, de quorum maxima eruditione, & scientiarum omnium cognitione fidem faciunt ipsorũ scripta, quæ istis calumniatoribus mendacium in omne seculum impingunt. Deinde, fatemur Deum reuera nostris temporibus admiranda multa præstitisse, & pro sua bonitate præstiturũ etiã per minimos: sed an hoc nouum est & insolens, ac non id ipsum potiùs quod ipsi Iesu Christo exprobratum est, Marc.6.3. & eius discipulis Act.4.13. & Ioan. 7. 48. sicut erat ante prædictum ab Esai.29.14? Sed esto, seruos illos Dei concedamus posse lapidibus comparari, nonne tamen fatendum erit sic impletã fuisse Iohannis Baptistæ prophetiam Matt. 3. 9. Deũ ex illis lapidibus suscitaturum Abrahamo filios, & Dominum perfecisse quod prædixerat Luc.19. nempe si discipuli tacuerint, lapides ipsos vociferaturos?

Sed præterea, videte obsecro insignem & effrænem istiusmodi hominum impudentiam, exprobantium nobis nostrorum ministrorum iuuentutem, quoties iuuenes eligimus, aut aliis deficientibus, aut quòd à iuuentute maximis à Deo donis ac dotibus ornati sint. Nam vbi gentium maior est ignorantia omnibus videntibus & audientibus, quàm in sacrificulorum suorum caterua? Nonne ætatũ dispensationes certo pretio in officinis Simoniacorum istorum passim væneunt, vt vel infantes lituo & mitra donati conspiciantur? Cæterùm nonne Papa ipsorum is est qui rescidit, abole-

Dispensationem ætatũ Romana Curia certo pretio diuẽdit, & Graduatorum Canonem manifestè abolet,

uit, vendidit, primùm in summa, deinde minutatim, beneficia, cõtra expressa decreta Cõciliorum de Graduatis, quos vocant? Ac sanè is ordo per se quidem bonus & benè institutus, si modò vnde oportuit cœptum fuisset ac desitum, ita fuerat perturbatus, vt de hac mutatione verè dici possit quòd communi prouerbio dicitur, ab Equis ad Asinos esse gradum factum.

Cur Spiritus sanctus hic vocetur promissum Patris.

Itaque vt contextum nostrum repetamus, Dominus exposito discipulis onere quod ipsis imponebat, nempe, cum tanta authoritate nostræ redemptionis arcanum prædicandi, simul etiam addidit se ipsis esse missurum Spiritum Sanctum, quem hoc loco vocat Patris promissum, putà, quòd esset ipsis sæpe ab ipso Iesu Christo promissus. Et quidem aliquid amplius & expressius Iohannes dicit, putà: Christũ ipsis iam tum dedisse Sanctum Spiritum, addito signo Sacramentali, nempe oris sui halitu.

Spiritus S. non hic consideratur in essentia, nec in persona, sed in effectis Apostolatus propriis aduersus Libertinorum aliorúmque phanaticorum hominum errorem.

Hic verò primum notãdum, hac voce Sancti Spiritus, intelligendam quidem tertiam personam coëssentialem & coæternam cum Patre & Filio: sed tamen non respectu essentiæ tribus personis cõmunis, nec eiusdẽ substantiæ personalis, sicuti phanatici quidã homines imaginati sunt: sed effectorũ ipsius, quę sæpe etiã propterea nominantur hoc eodem nomine Spiritus, quorũ autor ipse est. Sic intelligendum quod Ioan. 7.39. dicitur, nondũ fuisse Sanctum Spiritũ: & quod scribitur Act. 19.2. & in genere quotiescunque dicitur missus

ſus Spiritus Sanctus, datus, communicatus cuipiam, vel etiam dicitur ſuper aliquem deſcendiſſe, vel iſtiuſmodi phraſibus vtitur Scriptura, de donis Spiritus intelligendæ ſunt. Sed hic nominatim intelligenda ſunt dona illa excellentiſſima Apoſtolatus maximè propria, & quidem ea menſura & abundantia quæ ad incredulos & peruicaces conuincendos ſufficeret, per virtutem diuinam extraordinariam, quæ ſeſe exerebat in ſimplici ac nullo verborum lenocinio fucata verbi prædicatione, ſed verè ſpirituali 1. Cor. 2. 4. omni genere miraculorum inſuper confirmata quæ tamen plenè die Pentecoſtes in ipſis obſignata dona fuerunt.

Perſona Spiritus S. procedit à Patre & Filio relationis originalis reſpectu, & effectorũ eius in nobis: & cur voce ſpiritus deſignetur.

Notandum præterea priùs quàm ad huius ſigni ſacramentalis expoſitionem accedã, hinc eſſe cõſpicuum aduerſus Macedonianos & alios omnes deteſtãdos hæreticos, qui Spiritus Sancti diuinitatem negarunt, quòd quẽadmodum ſecunda Trinitatis perſona eſt in Patre & à Patre per generationem diuinã: ſic etiã tertiã perſonam quæ ſanctus eſt Spiritus, originem ſuam relatiuam & perſonalem accipere à Patre & Filio, quorum ipſe eſt potentia coëſſentialis. Quòd autem attinet ad illam effectuum cõmunicationem noſtri reſpectu, fatendum etiam eſt hunc Sanctum Spiritũ nobis à Patre & Filio coniunctim communicari: quandoquidẽ Pater non dat filiis ſuis ea quæ ipſis dat niſi per hunc Mediatorem, in quo vno & per quem ipſi reconciliantur. Et hoc ex

infinitis Scripturæ locis eſt maximè dilucidũ, quæ nomen iſtud Spiritus tertiæ huic perſonæ propter eius effectum ſpecialẽ attribuit, à quo nimirum in nobis creãtur omnes bonæ inſpirationes & ſancti omnes motus, tum in intellectu, tum in voluntate, qui alioquin effectus de Deitatis eſſentia dicitur. Iohan 4.24. vt opponatur rebus creatis tum corporeis tum ſimplicibus, creata tamẽ ſimplicitate, quales ſunt Angeli boni & mali, & noſtræ animæ, contra Sadducæorum abominandã hæreſin. Act. 23.8.

Communicatio effectuum Spiritus ſancti eſt certiſsimum teſtimoniũ Deitatis Filij.

Diſcamus inſuper ex hoc loco Ieſum Chriſtum eſſe verè Dei Filium coæternum & coëſſentialem, quandoquidem Spiritus Sanctus qui etiam vnus & idem ſolus Deus eſt, mittitur & communicatur non minùs à Filio quàm à Patre, & ordinem etiam agnoſcamus in tribus his perſonis, tam in ipſarum origine perſonali & relata, quàm in noſtræ ſalutis myſterio, ſine vllo tamen inęqualitatis gradu aduerſus Sabellianos, Arrianos, Eunomianos, Macedonianos & alia iſtiuſmodi hominũ monſtra deteſtanda, qui quantum in ipſis eſt noſtræ ſalutis primum fundamentum conuellunt, atque adeò tam ipſam formulã quàm effectum noſtri baptiſmatis, quod in nomine Patris, Filij & Spiritus Sancti ſuſcepimus.

Quid hæc vox Sacramenti ſignificet, tum quorũdam priuatorum tum etiam

Supereſt hic nobis conſiderandũ, quid Dominum impulerit vt ad hanc Sancti Spiritus communicationẽ adiiceret quæ hic commemorantur, Dominũ nempe eos afflauiſſe, addito ſuo habitu diſtinctè ad hæc verba, Accipite Spiri-

Spiritum sanctum. Ex quo nobis discenda vera Sacramentorum doctrina tantopere corrupta & deprauata inter eos qui Christiano gaudent nomine longioréḿque tractatum requirit, sed quam paucis percurremus. Tenendum igitur hanc vocem Sacramenti, ex perpetuo vsu omnium seculorum in Ecclesia Christiana Latina, significare signum aliquod sensibile in aliquem ex humanibus sensibus incurrens, ex diuina voluntate & ordinatione, quò fiamus corũ certiores quæ nobis dicit Dominus, vúltque à nobis intelligi & credi. Porro multa istiusmodi signa nobis suppeditant sacræ Scripturæ, tum in historiis peculiaribus plurimorũ sanctorũ virorũ, quibus cum egit hac ratione Dominus, tum in genere in totius Ecclesiæ suæ salute administrãda: ad quam speciem pertinẽt duo sacramenta ad Euangelicam doctrinã addita, Baptismus & sacrosancta Cœna: signa visibilia & palpabilia, de quibus in præsentia nõ agemus, nisi quatenus ad huius Sacramenti de quo hic agitur faciliorem intellectum facere videbuntur, quod quidem solo tactu fuit perceptibile, quum signum Baptismi sit præterea visibile, & sacrosanctæ Cœnæ signa, visu, auditu, gustu & tactu percipiantur.

totius Ecclesiæ respectu in Baptismo & Sacrosancta Cœna.

Ad superiora & hoc adiiciendũ, vsum huius signi respectu Domini à quo est institutũ, esse, non vt simpliciter intellectui nostro repręsentet quod significat, veluti pictura in memoriã id nobis reuocat cuius est pictura, sed etiam vt nobis det quod nostris sensibus per hoc signũ

Sacramentalis significatio Domini respectu semper & inseparabiliter iungitur cum rei

significatæ exhibitione: sed non semper hominum respectu.

exterius significatur: & per verba huic additi signo declaratur. Itaque ex Domini parte, signum & res signata tum hoc signo tū additi verbis, sēper inter se coherēt & offeruntur, exhibētur ac dātur tā verè hoc quàm illud: at n ideo tamen sequitur vtrūque semper & ab omnibus percipi. Ratio est, signū offerri organis & sensibus corporeis, rē verò intellectui fidéque tantùm percipi: quo fit vt quoniā quicunque accedunt ad sacramenta omnes in genere adferūt instrumenta & sensus naturales idcirco etiam omnes signa hæc percipiant: a quū nō omnes habeāt intellectū rei significatæ sana cognitione imbutū: atq; adeo nō quicunque hanc cognitionē adepti sunt, dono tamen fidei præditi sint, cuius resipiscentia semper comes est indiuidua, signū illi tantū percipiunt ideo quòd sua indignitate rē signatam reiiciant: vt propterea tamē nil nec Sacramētorū institutioni, nec diuinæ veritati decedat.

Perniciosissimus eorū error qui essentialiter & actualiter coniungunt substātias sacramentaliter significatas cum signis per Transsubstantiationem aut Consubstantiationem

Et sic respondetur quæstioni hodie tātopere agitatæ, & tā malè à multis decisæ. Quæ sit nimirum signi & rei significatę coniunctio. Dico itaque distinguendas inter se res significatas: nā aliquando res significatæ, res sunt substantiales & materiatæ: sicuti Man & aqua ex rupe in deserto profluens, fuerunt Sacramentales figurę corporis & sanguinis Domini, qui semel erat vēturus & offerēdus pro nobis: quorū tū participes facti sunt fideles illius seculi, vel ipso Apostolo teste. 1. Cor. 10. 3. & 4. quēadmodum etiā aqua Baptismi est Sacramentū

sanguinis

'anguinis Filij Dei, quod peccatorũ nostrorũ :st lauacrũ: ac Panis sacrosanctæ Cœnæ est Sa:ramentũ corporis pro nobis traditi, vinũ ve:ò Sacramentũ est pretiosi sanguinis pro no-)is effusi. Hoc autẽ respectu Transsubstãtiato:es ac Cõsubstãtiatores docẽt, verũ istud cor-)us & verũ hunc sanguinẽ Iesu Christi, in sua)ropria substantia, actualiter & realiter esse præsentia, & cõiuncta cũ hoc pane & hoc vino sacrosanctæ Cœnæ: si quã tamen Cœnam Trãssubstantiatores habere dici possunt. Qua doctrina cõuellũtur tres articuli nostræ fidei.)erpetua nempe veritas humanitatis Domini nostri Iesu Christi, testata sua incarnatione, & ascensu supra omnes cœlos, & articulo reditus ipsius ad iudicandos viuos & mortuos. Præterea sic etiam vsus Sacrosanctæ Cœnæ euertitur, qui sanè non hic est, vt Iesu Christi corpus in nostrum transfundatur, nec vt eius anima in nostrã trãsmeet, vt nec sãguis eius in venas nostras: neque proinde vt recipiatur manibus aut ore, nec vt gutture absorbeatur, ac multò minus vt cõcoquatur & digeratur: sed vt nobis spiritualiter applicetur ex fœderis formula, quo sese nobis ipsũ donat, & quicquid pro nobis præstitit in vitã æternam: quæ nec apprehenduntur, nec digerũtur nisi manibus, ore & calore fidei. Denique vt alia infinita absurda omittam quæ necessariò nascuntur ex hac doctrina, dico primùm Omnipotentiam Dei quam hoc loco nobis obtrudunt (& hanc absit inficiemur: cuius tamen effectum

quo errore tres articuli fidei nostræ conuelluntur, & scopus sacrosanctæ Cœnæ.

dicimus limitandum, non ex nostra imagin tione vel phantasia, nec etiam ratione qu cum nostris articulis fidei pugnet) nos indu cere in blasphemiam non minorem quàm quis apertè diceret & verbis expressis, Deu Omnipotentem esse, vt ex parte sit verus, parte verò mendax. Deinde aio non minu absurdam ipsorum doctrinam quàm si qu dixerit me Geneuæ morantem non posse fie donatarium possessorem legatæ domus Ro mæ sitæ, nisi realiter & actualiter illa domu Geneuæ præsens sit, vbi contraho.

Qualitates significatæ Sacramẽtaliter non sunt actualiter coniunctæ cum signis.

Nonnunquam etiam res significatæ no sunt res substantiales & materiales, sed tãtũ qualitates quas Deus significat & exhibe cum signis: velut in Sacramento Circumci sionis, Præputium significabat & repræsen tabat circumciso originalem & natiuan suam corruptionem: cuius præcisio repræ sentabat abolitionem harum sordium, pe sanguinem qui pro nobis fundendus erat An verò fuerit sanæ mentis hominum quærere, an hæc qualitas fuerit actualiter præsens in hoc Præputio, & eiusdem abolitic realiter cum huius præcisionis actu coniuncta?

Coniunctio Sacramẽtalis & veritas & effectum illius consistit in eo quòd res significata spirituali

Qualis est igitur futura coniunctio signi & rerum significatarum? Respondeo non fore substantiæ vel qualitatum cum his signis, sed per Sacramentalem significationem ex Dei instituto, quod verbum cum signo coniunctum nobis explicat. Sacramẽtalis autem hu-

ius

is significationis veritas & vsus consistit in o quod Dominus semper offert signum & em significatam, putà signum (quod semer est sensibile) omnibus accedentibus, & orporeis organis illud percipientibus: rem erò significatam intelligentię & fidei eorum ui accedunt cum istiusmodi spiritualibus intrumentis, & rem ipsam significatam ad vitã eternam percipiunt: incredulis contrà & indignis sola sua culpa vacuis & inanibus recelétibus ab hoc thesauro: ac proinde propter contemptum æternæ mortis reis.

ter exhibetur à Deo, fidéque recipitur, tam verè quàm verè signũ datur & recipitur corporaliter & naturaliter.

Porrò fieri non potest vt res quæpiam sit alterius signum, nisi quędam sit inter eas analogia & conuenientia. Quamobrem & hoc caput est animaduersione dignissimum, analogia nempe inter signa Sacramentalia, & rem quam significant. Idcirco Dominus quum se nobis vellet exhibere & in nobis obsignare, signum elegit aquæ, spiritualiter nobis repręsentaturus & exhibiturus in quo peccata lauãtur, sanguinem putà Filij Dei pro nobis fusum. Itidem repræsentaturus & obsignaturus in nobis vitam spiritualem & eiusdem alimoniam, panem & vinum elegit maximè vulgaria corporis alimenta: præter analogiam inter ceremoniam Sacramentalem Baptismi, & applicationem spiritualem eorum quę nobis in eo dantur: & similiter inter ritus Sacramentales visibiles & in sensus incurrentes institutos in administratione sacrosanctæ Cœnæ, & spirituales modos quibus recipi-

Diligenter consideranda est analogia signorum & rerum significatarum sacramentaliter.

mus quæ nobis etiam in ea ſpiritualiter exhibentur: de quibus non ſum hoc loco pluribus acturus.

Quæ cõuenientia inter halitũ Ieſu Chriſti & dona S. Spiritus.

Dominus igitur diſcipulis ſuis repræſentaturus & obſignaturus donum harum tam ſanctarum inſpirationum & cœleſtium qualitatum ac motuum, quos ipſis iam tum communicare deſtinabat, ſignum mirè conueniens adhibuit, quum etiam vſus obtinuerit, vt hac voce ſpiritus vtamur ad halitum quo reſpiramus ſignificandum, quo certiores eos faceret, quòd quemadmodum ipſe eſt per quem Pater in primi hominis creatione, creauit & immiſit in ipſum halitum vitæ, quaſi de vita ſua traxiſſet vitam intellectualem & immortalem quam homini communicabat, ſic in diſcipulos immitteret, & in Eccleſiam ſuam immiſſurus eſſet per eorũdem miniſterium, nouam animam, qualitatibus putà cœleſtibus & prorſus nouis, non autem eſſentiâ, vt phanatici illi Libertini, Anabaptiſtæ, & cæteri iſtius farinæ homines ſomniarunt, abutentes loco præſertim Apoſtoli 1. Theſſ. 5. 23.

Sacramẽta ſine verbo quo eorum inſtitutio & vſus declaretur ſunt inſtar corporis ſine anima.

Sed adiiciendum præcipuum in hoc opere caput. Nam fruſtrà ſine verbo Sacramenta nobis offerrentur, quo Deus naturam eorum nobis deſcribit, & quis ſit eorum vſus, futuris alioquin omnibus Sacramentis ſine verbo Sacramentali, tanquam corpus ſine anima. Quapropter hęc nobis in hac tota actione tandem attentè verba ſunt cõſideranda, Accipite Spiritum ſanctum, adiecta ſimul promiſſione finis

nis & vſus totius huius Apoſtolatus: quæ quũ longiorem tractatum deſiderent, agite in proximum ea ſermonem reiiciamus.

Precemur verò Dominum, primùm vt nos magis ac magis de Apoſtolatus authoritate certiores faciat, eſſe nimirum à Deo: ac doctrinam Apoſtolis commiſſam eandem eſſe cum ea quam Petrus doctrinam vitæ nuncupat. Ioh.6. 68. & Zacharias ſcientiam ſalutis dicit. Luc. 1. 77. quam quum noſtro ſeculo Deus in mundum veluti denuo reuocarit, nobíſque ex immenſa miſericordia dederit, eam audiendi facultatem, ſuppliciter petamus, ne in noſtram condemnationem factum ſit, (quemadmodum hodie proh dolor! maxima pars hominum eſt huius contemptus rea) ſed ad eius gloriam ac noſtram ædificationem ac ſalutem æternam. Amen. *Præcipuus huius historiæ finis ac ſcopus.*



HOMILIA DECIMAquinta.

Iohan. 20.

22. *Et quum hæc dixiſſet, afflauit eos, & dixit eis, Accipite Spiritum ſanctum.*

23. *Si quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis: ſi quorum retinueritis, retenta ſunt.*

Omnia vera Sacramenta constant signis à Deo institutis in hunc vsum extra ordinariũ, & rebus significatis, & Dei institutione verbo eius testata.



ERVM naturalium & terrenarum cõmunem vsum solus Dominus institutione sacramentali trãsfert in vsum prorsus spiritualem ac cœlestem: velut exempli gratia, aqua, natura sua maculis abstergendis & eluendis propria, in vsu Baptismi adhibetur ad nobis spiritualiter significãdum & applicãdum sanguinem pretiosum Domini, cuius effusione peccata nostra delentur, & naturalis nostra corruptio sensim, paulatímque corrigitur. Nec enim ista spõte nobis nisi docente ac præeunte ipso Domino innotescerẽt. Quamobrem signa Sacramentalia forẽt tanquam corpus sine anima, nisi addito verbo Sacramentali (id est verbo quo nobis institutio Domini declaratur.) Verissimũ igitur ac certissimum istud est, vera omnia Sacramenta, siue particularia, siue toti Ecclesiæ communia, tribus ex rebus constare: primùm ex signo, per se re terrena & naturali, sed ad vsum spiritualem applicato: deinde Re significata, quę in se tota spiritualis est, fidéque tantùm spiritualiter percipitur: tertiò institutione, quæ nobis per verbum sacramentale exponitur.

Error eorũ qui Sacramenta constituũt, sine verbo Dei.

Hæc tria diligenter expẽsa, nobis triplicem grauissimum errorem detegunt illius quæ se hodie dicit Ecclesiam Romanam. Primus in eo quòd in Ecclesiam Christianam inuexerũt quinque Sacramẽta, quibus deest anima, proindéque Sacramẽta falsò nominantur, quum nulla Sacramẽtali nitantur institutione. Nam

extrema

extrema vnctio quidem, cum miraculorũ dono desiit: prætérquàm quòd vetus illa vnctio signum recipiendæ valetudinis erat, Iacob.5. 13. hæc verò vnctio Romana, solis animam efflantibus ac moribundis applicatur. Alter, quòd mille ritus excogitarunt, & mille ceremonias, partim quidem haustas ex Iudaismo, contra Dei expressam voluntatem: à quo totus ille Iudaicus ceremonialis cultus expressè in perpetuũ sublatus est, vt cederet cultui magis simplici & spirituali in spiritu veritatis, teste Iohan.4.23. & 24. & Apostol. ad Coloss.2. 20. & Gal.5.2. totáque itẽ epistola ad Hebreos: partim ex Paganismo: insigni cum audacia vel potiùs impietate, qua longè superatur factum illud filiorum Aaronis peregrinum ignem super altare offerẽtium: quam ob rem etiam repentè fuerunt absumpti igne à facie Domini prodeunte: partim etiam ex arbitrio & ex placito hominum effictas: quibus ceremoniis sic accumulatis, aliis quidem maxima ex parte ridiculis & inanibus: aliis superstitiosis, aliis idololatriæ & impietatis plenis, obruta est & semisepulta puritas & vera simplicitas duorũ Ecclesiæ Christianæ Sacramentorum: atque adeò totus diuinus cultus profanatus & in mimicas gesticulationes est trãsformatus: & tamẽ illa sua somnia magnorum ac sublimium mysteriorum esse plena somniant.

Error in prauo vsu verbi Sacramentalis.

Alter eorũ error est, quòd verba Sacramẽtalia vtriusque Sacramẽti Baptismi & sacrosãctæ Cœnæ pronuntiant idiomate peregrino, quod plerũque nõ magis intelligũt auditores,

quàm pronuntiantes aut recitantes, contra expressam Apostoli inhibitionem. 1. Cor. 14. 5. quũ præsertim nulla ipsorũ accedat interpretatio. Omitto sacrosanctæ Cœnę integrã abolitionẽ, quę in Missam, & realem oblationem Iesu Christi pro viuis & mortuis est transformata. Nõne igitur perinde est ac si prorsus detruncassent & sustulissent verbum in horum Sacramentorum administratione? Et tamen Deus hoc ipsis nõ omnino permisit, vt in mediis istis pollutionibus Ecclesia cõstituta, suas tamen in substantia veras exteriores notas retineret: nec eas quidem inutiles, quãtumlibet defectuosas: tantisperdum adueniens diei sui lux nubes illas discuteret, quod singulari Dei fauore nostro sæculo factum conspicimus.

Refutantur superiores errores ex Christi factis & dictis in hac historia.

Non ita se gessit Dominus in hoc quo de agimus facto, quæ fuit actio Sacramentalis ad obsignandum in suis discipulis Apostolatum, & Ecclesiæ Christianæ testificãdum magis ac magis vsque ad sæculorũ cõsummationẽ Apostolos verè fuisse nũtios ab ipso Domino missos, sua prædicatione & doctrina posituros Ecclesiæ fundamenta. Postquam enim Dominus suos discipulos afflauisset, simul exposuit quid à se factum esset, his verbis, Accipite sanctum Spiritum, quæ iam nobis explicanda supersunt. Hac igitur sancti Spiritus voce, ostendit in hac actione suum halitum ipsis Sacramentaliter significare se quemadmodum extrinsecus halitum eius ipsi recipiebant, ita intrinsecus ipsis sanctum suum Spiritum communicare,

care, minimè quidem, vt superiore sermone dictum est, aut quòd ad essentiam Deitatis, aut quòd ad substantiam personalem ipsius: sed quòd ad largitionem donorum excellentissimorum & effectorum quæ ad tanti muneris executionem requirebātur: quæ proinde sunt in hoc negotio res significatæ Sacramentaliter hoc halitu, ex analogia & conueniētia huius signi cum hac re significata ac nominatim vocis spiritus huic vtrique rei conuenientis.

Significatio & exhibitio rei significatæ à parte Domini cohærent inseparabiliter in Sacramentis ritè administratis: sed non semper à parte hominum & vnde hoc contingat.

Ex eo verò quòd vocem illam addidit, Accipite, cōfirmatur quod etiā superiore sermone dixi, nempe signa sacramentalia, à Dei Filio instituta, non tantùm vt nudè ac simpliciter rerum spiritualium per ipsa designatarum memoriam refricent, sed etiam (quod præcipuum hac in re caput est) vt earundem re ipsa ac realiter faciant participes spiritualiter & per fidem omnes credentes illarum signa percipientes.

Verùm in hoc capite mirum in modum lusit spiritus erroris cum admiranda efficacia, Deo sua iudicia iustissima sic exerente. 2. Thes. 2. 11. & 1. Timoth. 4. 1. Variè autem hic peccatum est.

Primùm in eo quòd quum agitur de communicatione rei significatæ, soli & vni Deo fuit reseruanda & attribuenda hæc interior operatio, solius Deitatis incommunicabiliter propria, spiritus hic mendax rationem inuenit homines (quos euehi sursum oportebat) occupandi, modò in admiratione excel-

lentiæ ac dignitatis muneris commissi Sacramentorum dispensatoribus: modò in commẽdanda dignitate in quam hæ res terrenæ & in se naturales euectæ sunt, quum ex Domini instituto consecrantur, id est destinantur & ordinantur ad res cœlestes & spirituales nobis repræsentandas. Atque hac ratione stabiliuntur & admittuntur duo maximè detestandi errores idololatriæ & impietatis pleni, quos age ordine discutiamus & refellamus.

Duplex fundamentum erroris eorum qui volunt rei significatæ participationẽ pendere ab eo qui Sacramentum administrat.

Primus est eorum qui tãtum detulerũt iis à quibus Sacramenta administrantur, vt ab iis intrinsecum illorum effectum pẽdere voluerint, id est rei significatæ participationem, vt quum præsupponunt (quod est verissimum) ea non posse communicari sine virtute sancti Spiritus, & neminẽ dare posse quod in se non habet (quod nõ tamẽ vsque adeò semper est necessarium) falsissimam ac perniciosissimam inde conclusionem intulerint, nempe effectũ huius actionis Sacramentalis postulare, vt, is à quo Sacramentum administratur ipsemet inspiretur Spiritu sancto, & quidem cum recta intentione faciendi, ac veluti creandi Sacramentum ipsum: ex qua doctrina duplex iterum error intolerabilis nascitur. Primus in eo quòd hac ratione virtus obsignandi in nobis participationem corporis & sanguinis Domini in sacrosancta Cœna, (ô idololatriam vel impietatem abominandam) tribuitur homini Sacramentum administranti: qui proinde administrator in idolum, ac veluti nouum quendam

dam Deum trãsformatur (licet tantùm causæ secundariæ efficientis habeatur loco) quãdoquidem interior hæc operatio solius Deitatis est incõmunicabiliter propria. Error hic positus est in praua præsuppositionũ aut præmissorũ applicatione. Verissimũ enim illud quidẽ est, applicationẽ rei significatæ prorsus à sancti Spiritus virtute manare: at non ideo tamẽ quærenda in eo qui administrat Sacramenta: sed in ipsomet Spiritu sancto. Quapropter grauis error & perniciosa permutatio, alterũ alteri substituere. Altera verò præsuppositio vel præmissa, non est simpliciter & absolutè necessaria. Nam quid impedit quominus munus alicui per alium offeram, qui tamẽ ipse in partem muneris minimè veniat? Similis igitur error superiori. Nam isti homines præsupponunt, ab eodem oportere dari rem significatam, à quo Sacramentum exterius, putà signum administratur: quod est, vti diximus falsissimum. Hæc enim virtus in ipso vnico sancto Spiritu posita est, qui solus potest interius operari, & eam quibus vult conferre: non aliter ac in simplici Euangelij prędicatione, non ipse Prædicator confert credentibus salutem, quæ hoc verbo prædicato significatur: sed vnius Dei hoc opus est: vt nullæ sint aliæ hac in parte Pastoris partes aut vires, quàm externo sono deferendi ad nostras aures id quod verbo illo quod annuntiat significatur. Et ideo non dicit Apostolus Deũ posuisse vel in Paulo, vel in eius collegis, reconciliationem, sed

posuisse sermonem reconciliationis. 2. Cor. 5.19.

Quomodo vox illa ad ministrorum intelligenda, quæ verbi & sacramentorū administratoribus attribuitur.

Quum verò dicit Apostolus ministros esse Dei administros, 1. Cor. 3.9. non intelligit operationem internam esse partim à Deo, partim à ministro: sed diuersas duas operationes inter se distinctas considerat, putà externam ministri à Deo propterea instituti: & internā, vnius Dei propriam & peculiarem: quod ipsemet Apostolus exponit, quum ait, 1. Cor. 3. 7. Neque is qui plantat est aliquid, neque is qui rigat (en operationem externam) sed Deus qui dat augmentum, éstque hoc opus internum. Idem verò necessariò dicendum de Sacramentorum administratione disertissimis verbis ipse Iohannes Baptista docet, quum inquit. Equidem vos aqua baptizo in pęnitentiam, sed qui ponè me venit, is est qui baptizat spiritu & igne: neque pugnant ista cum iis quæ superiùs attigi, nimirum hanc vim à Spiritu Sancto procedere, quòd Spiritus Sanctus sit coëssentialis virtus operatrix Patris ac Filij. Nequis autem excipiat baptismum Ioannis Baptistæ plurimùm à Iesu Christi baptismo differre, qua in re plerīq; ex veteribus sunt hallucinati, Diuus Petrus expresè distinguit actionem externam Baptismi, qui hominum ministerio administratur, ab interna, quæ vnius Dei propria est. 1. Petr. 3.21. Atque idem est iudicium de altero Sacrosanctæ Cænæ Sacramento: quandoquidem vnum & idem est vtrorúmque genus, sicuti in scholis loquuntur

tur.

Alter error ex hac eadem falſa doctrina manans, non minus, eſt periculoſus. Nam ſi (vt quidam docent, ſaltem in hoſtiæ conſecratione) vt Sacramentum verè ſit Sacramentum, ſuúmque effectum eius adminiſtratio producat, oportet hanc conſecrationem fieri ex ſufficientia & intentione conſecrantis, nemo verò poteſt hanc intentionem noſſe niſi ex opinione, & ea incertiſſima (& quidem veriſimiliter potiùs falſa quàm vera, ſi tum ignorãtiam tum mores inſpicias corruptiſſimos maximę partis ſacrificulorum Romanorum, quales ſe hodie venditant,) nonne ſequitur neceſſariò neminem poſſe conſecratam ex ipſorum manibus hoſtiam accipere, niſi cum dubitatione & incertitudine? Quod ſi eſt, quînam, obſecro, rei ſignificatæ poteſt eſſe particeps, Ieſu Chriſti nimirum cum omnibus ipſius beneficiis, quandoquidem quicquid fit ſine fide peccatũ eſt? Rom.14.23. Saltẽ igitur noſtri Romani Catholici de ſe cogitẽt, ac viderint quid Miſſis ſuis iuuentur, hoc poſito & conceſſo legitimas eſſe, quod tamen ſecus eſt, ſiquidem omnis earum fructus à ſufficentia & conſcientia presbyterorum & ſacrificulorum ſuorum pendet.

Alter eorũ error, qui à dignitate & intentione administrãtis vim Sacramenti dependere volunt.

Quàm ſit igitur modis omnibus pernicioſus hic error cuiuis eſt conſpicuum: qua in re tamen Spiritus ille mendax tantum potuit, vt olim magnus ille Cyprianus: verus Epiſcopus & martyr Domini, & magna pars Epiſcopo-

Error Eccleſiarum Africanarum de Baptiſmo ab hæreticis collato.

rum Africanorum ad hunc ſcopulum alliſerint, cenſentes rebaptizandos eos qui ab hæreticis baptizati in Eccleſiam recipiebantur. Qui tamen error omnium etiam Catholicorum ſuffragiis dãnatus eſt, vt ipſimet ore ſuo coarguantur.

Vnus Deus poteſt miracula παρὰ φύσιν & ἀντὶ φύσεως facere.

Idẽ etiã de dono miraculorũ dictũ eſto, & de iis omnibus quę miraculosè facta ſunt, ideſt παρὰ φύσιν aut etiam ἀντὶ φύσεως fidelium Dei ſeruorum opera & interuentu: putà nec propriis illorum viribus, nec aliunde acceptis immutatum aut retentum naturæ vel cauſarum ſecundarum ordinem, ſed à Domino, accepta in tali negotio poteſtate interueniendi, & precibus ipſorum exauditis: natura viciſſim extraordinariam Dei voluntatem ſentiente per ſeruos eius patefactam, facta illa miracula, ſola poteſtate & virtute incõmunicabili Creatoris ſolius Omnipotentis: vel ipſo teſte Petro Act. 3.12.&16. verbis expreſſiſſimis: quæ ad omnia miracula in vniuerſum applicanda ſunt: quemadmodum videmus etiam nunquam ab illis hoc donum in vſum vocatum ſine ardẽtibus precibus, ad eum à quo, ad iſtud perficiendum opus, adhibebantur tanquam organa, ſecundum ſuam menſuram, non autem vt cauſæ efficientes. Quod ſi ita eſt in ſanctis iſtis viris, idem neceſſariò fatendum eſt, Domino dante efficaciam Spiritui erroris. Matth. 24. 24.& 2.Theſſ.2.9.

Vſus huius doctrinæ aduerſus

Quid aliud igitur eſſe dixerimus ſanctorum mortuorum inuocationem, quàm meram idolola-

dololatriam, quæ tamen eò vſque progreſſa eſt vt ſanctorum cuique priuata miracula tribuantur, etſi concederemus eos qui ſua quiete iam fruuntur (de iis dictum putate de quorum fide & vitæ integritate conſtat ex certiſſimis teſtimoniis, non autem de omnibus iis qui in legendarum album relati ſunt) res adhuc terrenas curare, atque inuocantium preces audire (quod tamen ipſis non magis attribui poteſt quàm quòd eſt Deo maximè proprium) aut ipſis ibi munus impoſitum eſſe Deum precandi pro iis à quibus in terris vt idola coluntur, & quidem eò vſque vt eorum oſſa tantùm ex opinione adorentur. *ſanctorum de functorum innocatores.*

Accedo iam ad eorũ errorẽ qui ſignis Sacramẽtalibus adhærẽtes grauius etiã peccãt quàm ij de quibus hactenus loquuti ſumus. Nam quantò præſtat homo cuiuſcunque verbi ſono aut re quapiam inanima ex ſe ſe & ſenſus & motus experte, qualia ſunt in ſe ſigna Sacramentalia: aut etiam actio qua hoc vel illud fit ab homine: tantò etiam magis eſt ridiculus, ſuperſtitioſus & idololatra qui Sacramentorum effectum tribuit aut verbo Sacramentali, aut ſignis, aut toti illi externæ actioni, quàm qui eadem attribuit homini hæc adminiſtranti. Et tamen hanc doctrinam hodierni Catholici Romani docent & admittunt, quam ſuo calculo nouiſſimum Conciliabulum Tridentinum confirmauit: nempe primùm vi ac virtute verborum ſacramentalium quæ Sacrificus inſuſurrat, res quæ priùs erant ſimpliciter *Error etiam magis deteſtandus eorum qui aut verbis, aut actioni Sacramentali tribuunt effectum Deo vni incommunicabiliter proprium.*

naturales ac terrenæ, repentè fieri res sanctas & sacras: immo (quòd attinet ad sacrosanctam Cœnam) panem & vinum euadere verum corpus & verum sanguinem essentialem & realem Iesu Christi: doctrinam sanè modis omnibus abominandam. Mera enim est Magia & incantatio vim vllam vllis vocibus aliàm tribuere, à quocunque tandem proferãtur, quàm res de quibus loquimur significandi. Nam quum ipse Dominus loquens, effecit quod loquebatur, veluti quum dixit, Remissa sunt tibi peccata tua, Surge & ambula: Fides tua te seruauit, & quum mare ac ventos alloquens iussit, Tacere & quiescere, Lazarúmque iussit foràs exire, & malignos Spiritus eadem etiam iussit (quæ in scholis vocant verba operatoria) minimè putandum est verborum illorum sonitu hunc effectum productum. Etenim hæc virtus essentialiter & incõmunicabiliter vnius Deitatis est propria. Virtus itaque sic loquentis Domini hæc effecta produxit, cuius etiam vnius vi & mandato res naturales & terrenæ fiunt Sacramenta, id est signa visibilium, spiritualium & cælestium.

Error perniciosissimus de charactere quodam imaginario qui in anima nostra formetur simplici & pura actione baptismi.

Deinde somniãt illi & docent in anima baptizatorum, aut eorum qui Confirmationem ipsorum, aut, quos vocant, Sacros ordines, recipiunt, formari aliquid quod Characterem dicunt, id est notam quandam sic insculptam vt perpetuò sit indelibilis, hac nimirum actione Baptismi, Confirmationis & suorum ordinum, nudè ac simpliciter in se considerata, quod

quod dicunt Opus operatum. Hoc verò prorſus idem eſt ac ſiquis dixerit nudam prædicationem remiſſionis peccatorum per Ieſum Chriſtum imprimere ſalutem in cordibus omnium quorum aures hic ſonus verberat, licet tamen vim illius prædicationis non percipiant, aut ſi percipiunt, fidem tamen non adhibeant: quum tamē expreſsè dicatur, omnes eos qui non crediderint, & non baptizati fuerint, damnatum iri: quæ ſanè doctrina nullum habet fundamentum, nec in ſacris libris, nec in veterum Patrum ſcriptis, ſed à quodam Papa Innocentio huius nominis tertio eſt excogitata, qui licet Innocentius nomine, re ipſa tamen fuit nequiſſimus, primus auctor Decretalium, multorúmque in orbe Chriſtiano malorum cauſa, ac ſanè quomodo Scriptura niteretur error qui attribuit alterius actioni ſenſuali & externæ (vt ipſis concedamus ſuam Confirmationem, & ordines eſſe Sacramēta) effectum in iſtorum cerebro effictum, quod, ſi verum eſſet, vnius eſſet Dei proprium: quod nec doceri, nec credi poteſt ſine idololatria nō minùs manifeſta quàm ſi hominis loquētis & operantis viribus illa tribuerentur.

Agnoſco igitur, & quidem libens agnoſco externam actionem Baptiſmi non eſſe fabulam, ſed ſacram actionem & vtilitatis maximæ. Verùm tota vis poſita eſt in eo, vt qui baptizatur, de Dei erga ſe fauore doceatur, ſibíque applicet, ac, cum beata virgine Maria, dicat in corde ſuo, Fiat mihi ſecundum ver- *Verus character per baptiſmum interiorem cum exteriore coniunctum in cordibus credētium baptizatorum*

bum tuum. Tum enim proculdubio res significata datur ipsi & obsignatur, remissio purà peccatorum & Spiritus regenerationis incrementum, qui verus est verorum Dei filiorum character. 1. Iohan. 3. 10. & 19.

Non sunt à se inuicem diuellendi, sed tantùm distinguendi tam Dominus intus docens à ministro exterius operante, ex Dei mandato, quàm Signum Sacramentale à re significata.

Veritatem igitur tot erroribus opponentes dicemus, fidos Dei seruos quum aut Dei verbum annuntiant, aut Sacraméta administrāt, nihil nisi extrinsecus operari posse, vt qui plātant & rigant tantùm, vim autem internam prorsus ab eo solo manare cuius mandato & iussu plantant & rigant, & qui solus dat vim augescendi & crescendi iis quæ sic plantata rigatáque sunt. 1. Corinth. 3 7. At loquēte ipso Domino, sicut in hac historia factum interius, tum non fuerunt duo operatores. Nam vnus & idem Magister intus effecit quod verbo suo exterius significauit, simul dispositis & præparatis discipulorum cordibus ad hoc donum vera viuáque fide suscipiendum.

Error eorū qui signis plus minùsue quàm par sit attribuunt.

Quæ si distinctio inter Dominum & seruos accuratè intelligeretur ab iis de quibus loquutus sum, à detestandis illis idololatriis recessuros arbitror, nec attributuros Sacramentis quæ vni Deo incommunicabiliter vt maximè propria conueniunt: nec vicissim Sacramentis adempturos quæ sunt illis propria, quod faciunt Anabaptistæ & similes, quibus Sacramenta nihil aliud sunt quàm memoriale quoddam & exterior tessera Christianismi, non animaduertentes Apostolum etiam de Circuncisione loquentem,

tem, non ſimpliciter dicere illam fuiſſe notam, qua Iudæi à reliquis nationibus diſcernerentur, ſed expreſsè pronũtiare. Ro. 4. 11. illã fuiſſe ſigillũ iuſtitiæ & fidei: quemadmodum etiam Baptiſmus non ſimpliciter Lauacrum appellatur: ſed Lauacrum Regenerationis, Tit. 3. 5. & Apoſtolus non ſimpliciter etiam dicit panem quem frangimus, & poculum cui benedicimus (id eſt quod cum gratiarum actione capimus) actionem eſſe Chriſtianis propriam, ſed expreſsè monet eſſe communicationem corporis & ſanguinis Domini: ſic tamen vt quæ propria ſignorum ſunt ſignis attribuat, & viciſſim rei ſignificatæ quod illi proprium eſt.

Cur nonnunquam nomen & effectũ rei significatæ tribuatur signis: & quod à vera causa manauit instrumẽto tribuatur.

Veruntamen nonnunquam, (non quidem vt hæc confundantur, ſed vt oſtẽdatur illas oportere tantùm diſtingui nõ ſeparari, nec Dei ipſius, nec etiã credentium reſpectu) rei ſignificatæ nomẽ tribuitur ſigno, veluti quũ panis Cœnæ vocatur corpus Ieſu Chriſti pro nobis traditi: & potius ſacroſanctæ Cœnæ, immo & poculũ quo ille cõtinetur, dicitur Sãguis Ieſu Chriſti pro nobis fuſus. Itidẽ eadẽmque prorſus ratione, rei ipſius ſignificatæ effecta nonnunquam tribuũtur ſigno, veluti quũ baptiſmus vocatur Lauacrũ regenerationis, & vinũ Cœnæ dicitur cõmunicatio corporis & ſanguinis Domini: quemadmodum etiam Apoſtolus longè vlterius progreſſus, nihil tamen minus cogitans quam Timotheo tribuere, quod eſt vnius & ſolius Ieſu Chriſti propriũ,

Timotheum dicit seruaturum eos qui ipsum audiuerint 1. Tim. 4.16. tribuens instrumento quod est Causæ proprium: quemadmodum etiam quum Fidei Iustificatio tribuitur: quo sensu sunt intelligendæ similes phrases crebrò apud Patres occurrentes, quibus Transsubstantiatores & Consubstantiatores abutūtur.

Hanc actionem factam semel à Christo: & Apostolatus propriam ridiculè applicari in consecratione Sacrificulorum Romanorum: sicut & alia quadā istiusmodi stulta imitatione factorum Iesu Christi.

Sed præter superiora illa, Catholicorum eorundem tum ætatis nostræ tum præteritæ, grauissimum alium errorem attendite. Nam quum hoc à Christo gestum sit semel, ac nominatim vt Apostolatui authoritatem conciliaret, ob multas superiùs à nobis expositas rationes: boni isti viri non erubuerunt hoc ad suorum omnium sacrificulorum Consecrationem transferre, adiectis tamen rasura & inunctione sua, cum aliis non paucis ceremoniis, quas ex arbitrio suo confixerunt: adeò vt quemadmodum Iesus Christus suos Apostolos afflauit, & dixit eis, Accipite Spiritum Sanctum, ecce Dominum Episcopum portatiuum, aut Magnum Episcopi Vicarium, qui Domini nostri halitum fœdo & impuro suo ore imitatus, & miseros illos Missificos his verbis afflatus, Accipite Spiritū Sanctum, repentè creat Sacrificos. Quasi verò Iesus Christus ad hanc historiam adiecerit, Hoc facite, quod in Sacrosanctæ Cœnæ institutione factum ab illo conspicimus. Hic verò quid magis miremur, an istorum inuentores, an nimis credulos homines iis quæ non imitatio Iesu Christi dicenda sunt, sed mimica tā-

tam

tum & histrionica gesticulatio? Ex hoc fonte manauit Quadragesima, quòd videlicet Christus quadraginta dies ieiunauit, dum se ad muneris, quod in hunc orbē impleturus venerat, executionem præparat. Quòd verò Christus cæcum natum sanaturus lutum saliua sua fecit, à purissima sanctissimáque sua humanitate manāte, vt virtutem suam diuinam adumbraret, qua credentium mentes illuminat, en etiā sacrificulum in Baptismi Sacramento saliuam suam impuram admiscentem. Quòd verò Christus surdo facultatem audiendi collaturus, immisit suos digitos in ipsius aures, his verbis eum compellans, Hepphata, idest, Aperire, idem scilicet istos imitari & pronuntiare par est baptismum conferentes, non magis eorum quæ dicunt faciúntve gnaros, quàm qui omnium ignarissimi, Tibi verò Deus Opt. Max. gratias agimus immortales, qui nos ex istiusmodi densissimis tenebris eduxisti, precamúrque vt eandem gratiam ac misericordiam populis omnibus ac nationibus orbis terrarum largiaris, apertis oculis & auribus etiam maximè cæcorum & surdorum per sancti tui Spiritus vim & efficaciam.

Superest excutiendus nobis in hac historia vsus Apostolis commissi muneris: qui præcipuus ex illo referēdus est: quem Iesus Christus paucissimis quidem verbis docuit, sed quibus continetur omnis fructus quem ex totius sacrosancti Euangelij ministerio percipimus. Hunc igitur ad duo capita præcipua reduce-

mus, primum exposita verborum istorum retentionis ac remissionis peccatorum significatione: ac deinceps qualis sit hæc potestas, cui & quomodo detur, quísve sit eius vsus legitimus, considerantes ex opposito quantus quámque detestandus rei tam pretiosæ hactenus abusus fuerit.

Remissio peccatorũ continet necessario integram ipsorum abolitionem, tum Culpæ tum etiam Pœnæ.

Posita igitur recta expositione vocis Peccati, quo cõtinetur quilibet animi motus, deinde quilibet consensus, ac tandem quælibet actio Dei Legi repugnans. 1. Iohan. 3.4. vocẽ Remittendi in hoc negotio dicimus idem esse ac Condonare vel Absoluere: cui opponitur vox Retinendi, quæ idem est ac Debitorem sibi deuinctum tenere, quemadmodum hac etiam Debitorum voce, peccatores intelliguntur: & Debiti nomine peccata computantur, Matth. 16. quæ nos coram Dei tribunali reos æternæ maledictionis, præter alias omnes pœnas temporarias faciũt. Nos igitur in hoc negotio duo consideramus effecta peccati, nempe primùm culpam quæ est instar syngraphæ aduersum nos obsignatæ, deinde Pœnam, illius syngraphæ debitum: quæ duo diuelli non possunt, quandoquidem culpa necessariò gignit pœnam meritam; & nulla pœna est merita sine culpa. Si Christus igitur verè nos redemit, vtrunque aboleuerit necesse est. Nam qui non est amplius reus (id est in quo culpa est abolita) meritò puniri ampliùs iustè non potest: nec is iustè pœnã effugere qui sit adhuc reus. Denique vel stupidissimos istos omnium hominum

hominum oportet fateri, eum aduersus quem obligatio manet adhuc integra soluendo obnoxiũ : & cõtrà syngrapha deleta, debitorem esse solutum. Hac de causa postquam Apostolus dixisset Deũ nobis nostras offensas ac delicta condonare, quo fidem illius rei faciat, addit deletũ fuisse quod aduersum nos erat chirographum, affixum cruci per sanguinẽ ipsius. Coloss. 2. 13. & 14. 1. Petr. 1. 2. Idem Apostolus Rom. 5... testatur nos fide iustificatos (id est liberos & à Christo solutos apprehenso per fidei instrumentum) pacem habere in conscientiis: sed falsissimum hoc esset, si qua ex parte rei adhuc teneremur, ac proinde pœnæ peccati obnoxij, ex quo sensu in nobis oritur conscientiæ perturbatio. Quibus probè intellectis ex contrario perspicuum est quid hac phrasi Retinendi peccata significetur, nempe sibi semper deuinctum debitorem retinere.

Aduersus ista quidam excipiunt, quod sanè inficiari nemo potest, nempe, primam Mortem esse per peccatum in mũdum ingressam. Rom. 5. 12. cuius ipsa pœna est. Itaque si credẽtibus Deus Culpam remittens planè reconciliatur, qui fit quòd Morti primæ credentes nõ minus obnoxij sunt, quàm cæteri omnes peccatores? Aio verò proculdubio Mortem primam & secundam à primo parẽte nostro manasse, si primam eius originem consideres: vnde in omnibus deinceps hominibus actualiũ peccatorũ quodlibet genus producitur, quorum minimum est morte prima & secũda di-

Mors prima credẽtibus nõ est propriè pœna peccati sed potiùs Dei donũ non paruũ:

gnissimum: quæ omnia delentur Iesu Christi sanguine & obedientia non minùs quàm ipsa Culpa. Mors prima tamẽ remanet, sed immutata prorsus natura per hanc reconciliationẽ: vt quæ non ampliùs à furore Dei, sed ab eiusdem bonitate proueniat, suos ex huius vitæ caducæ miseriis educentis, quos iam tum, animę quidem respectu, faciat æternæ vitę felicitatísque participes. Corpus verò quòd attinet, tantùm abest vt hac animæ separatione dãni quicquam patiatur, vt contrà animæ peccandi instrumentum sic esse desinat: & illa putrefactio sit illi ad vitam spiritualem præparatio, quod pulchrè Apostolus pluribus explicat. 1. Cor. 15. Mors igitur prima, quæ natura sua in maximis pœnis peccati recensenda est, credẽtibus fit Dei donum, quo misera & calamitosa ipsorum natura in longè meliorem statum mutatur, quem & ipsi cum Apostolo votis omnibus expetunt. 2. Cor. 5. 2. & Philip. 1. 23. Ad reliquas autem obiectiones in hoc ipsum caput deinceps respondebitur.

Quomodo in sola vera Christiana religione discamus Deum suis omnia condonare quidem ex gratia, sed pœnas seuerissimas exigere à sponsore.

Remissio porrò qua debitorem suum Creditor ita soluit, vt ab eo nihil ampliùs possit repetere, aut à sola creditoris gratia procedit, aut quòd ipsi plenè satisfactum sit, siue à debitore, siue ab alio quolibet eius nomine. Iam igitur considerandum nobis vtra ratione coram Deo absoluamur: qua in re Religionum omnes species præter vnicam verè Christianã irritæ sunt, nullóque nixę fundamento. Nam si Deum imaginamur ita nobis debita nostra

remittere,

remittere vel cõdonare vt pro ipsis nulla fiat satisfactio, & quidem pœnæ illi respondens quam culpa meretur, sequetur Deum illum, aut nõ esse peccatorum iustum vindicem, aut si punit tantùm ex parte, tãtundem ei de summa & perfecta iustitia sua & iudicij seueritate decedere: ac proinde non esse Deum perfectum, sed qualem eum Epicurei fingunt: nempe aut non iudicem mũdi: aut Deum ex parte tantùm, ac proinde non Deum, quandoquidẽ in verum Deum nulla prorsus cadit imperfectio. Sed contrà, si requiritur ad liberationem solutio ad vltimum quadrantem, primùm, (quandoquidem peccatum ex eius qui eo læsus est maiestate est æstimandum, læsus autem est Deus æternus, immensæ Maiestatis ac iræ & indignationis in vitium) quis hoc pretium tandem obtulerit? Quis hoc debitum exsoluere meditabitur, vt illud implere possit? Quis vel condignè se potest apparare ad hoc pretiũ offerendum? Verùm tamen vt dixi oportere summè iustum esse Deum in iudicando, sic oportet vicissim ipsum summè clementem esse in misericordia, vt verus esse Deus comperiatur. Ecquis igitur tam repugnantia cõciliabit? Sola Christiana Religio, quę sola nouit vnicũ quendam tertium idoneum ac sufficientem vadem ac spõsorem omnium debitorum, qui quærunt & obtinent in ipso suam apocham & à chirographo liberationem, Iesum Christum putà, verum Deũ, ac proinde satisdatorem idoneum apud Deum Patrem suũ: & per-

ſolutorem in natura humana quā aſſumpſit, vt ſua ſanctitate quicquid eſt vitij ac corruptionis in natura noſtra prorſus aboleret, vt obedientia ſua perfectiſſima in ea humana natura, noſtræ rebellionis omnem culpam tegeret: ac tandem peccatis noſtris debitas pœnas lueret, ad vltimum vſque denarium, ſupra lignum, in quo pro nobis eſt crucifixus. En quomodo in hac pro nobis ab hoc tertio facta ſolutione, hinc quidem ſumma iudiciorum Dei ſeueritas in peccatores ſit omnibus maximè conſpicua: inde verò immenſa quoque & ineffabilis quædam perfectiſſima miſericordia, in eos qui tantum beneficium vera fide amplectũtur. Nempe is ipſe Deus eſt qui ex ſua immenſa miſericordia Filium vnicum ſuum nobis ſpóſorem eſt largitus, qui corpus pro corpore interponeret, & animam pro anima. Is ipſe ſolus eſt qui perſeuerãs in hac infinita bonitate, hunc ſponſorem nobis annuntiat, offert & donat per Euangelij prædicationem, & ſuorum Sacramentorum adminiſtrationem: is ipſe ex eadem gratia & bonitate ſingulari format in nobis inſtrumentum illud Fidei ad hoc donum recipiendum aptum: is denique eſt qui nos ipſos iuſtificatos tandem etiam in vltima illa & beatiſſima die glorificabit: In ſumma, in hoc vnico vero Euangelij arcano ſimul concurunt tũ ſummũ ac ſeueriſſimum Dei iudicium, quatenùs pretio redẽpti ſumus tam magno támque pretioſo, Filij Dei nempe ſanguine. 1. Pet. 5. 18. tum eiuſdem infinita Miſericordia

ſericordia, quatenus nobis hic Sponſor impu tatur in Remiſſionem omnium peccatorum, & vitæ æternæ acquiſitionem. 1. Theſſal. 5. 9. Quēadmodum enim ipſius ſanguis eſt ſolutio pœnæ debitæ noſtris peccatis, ſic eiuſdem obedientia perfectiſſima, vnde immenſi illi eius dolores ac pœnę, ius nobis acquirit ad vitam æternam: ex ipſius Legis formula quæ hæc eſt, Hæc fac & viues. Rom. 3. 30. Iſtud autē eius vtrumque beneficium, Mors eius, inquā, & obedientia applicatur & imputatur per inſtrumentum fidei, ex formula gratuiti fœderis Euangelij. Contrà verò cęteri omnes quorum peccata retinentur, & permanēt debitores, rei etiam æternæ maledictionis in eam vltimo demum die præcipitandi permanent. Atque is eſt harum vocum Remiſſionis ac Retentionis peccatorum ſenſus.

Vnius Dei Patris, Filij & Spiri. S. propria eſt poteſtas peccata condonandi.

Sequitur, ex propoſita initio diuiſione huius textus, conſiderandum penes quem ſit poteſtas hunc nobis theſaurum largiendi: qua in re prima fronte parum ineſſe difficultatis videretur, quum ipſa luce ſit clarius poteſtatem peccata condonandi penes eum eſſe qui læſus eſt, ac proinde eſſe vnius Dei, quemadmodum homines hominibus condonant. Hoc quū admitterent Phariſæi, Marc. 2. 7. Ieſum Chriſtum vt blaſphemias loqoutū accuſarunt, quòd dixiſſet paralytico, Fili, remiſſa ſunt tibi peccata tua. Nam, inquiebant, quis poteſt remittere peccata niſi ſolus Deus? Sic ipſemet apud Eſaiā 43. 25. vociferatur, Ego ſum, ego ſum, qui

deleo iniquitates tuas propter me. Meritò igitur à Patre quotidie flagitamus peccatorũ remissioné, qui nobis ea per Filij sanguiné recõciliatus, gratis remittit. Filius etiam ipse nobis eadem condonat, quæ pro nobis in carne sua supra lignũ sustulit, quotidiéque nobis offert hanc remissionem per Euangelij sui prædicationem & Sacramentorum administrationé. Spiritus sanctus is etiam est à quo pendet hæc remissio, cuius proprium est nostras mẽtes illustrare, ac volũtatem renouare ad hoc arcanum intelligendum, & vera viuáque fide cõplectendum, quod in dies in nostris cordibus obsignat. Nihilominus tamen videmus apud Matth.16.19. his vocibus Clauium, Ligandi & Soluendi, hanc potestaté Apostolis fuisse promissam in D. Petri persona, pro se & sociis suis loquentis: & Ecclesiæ. Matth.18.18. & ipsis Apostolis hoc loco: quæ quum accuratiorem tractatum postulent, reiiciamus in proximum qui de ea sermo à nobis habebitur, Deo faciẽte, atque interim Deum supplices orabimus, vt tam pretiosam hanc doctrinam nostris mẽtibus insculpat, tam eorum quæ copiosius exposuimus, quàm doctrinæ Sacramentorum, vt tantum iis deferamus quantum ex Dei verbo docemur, ad Dei gloriam, & nostram saluté, ac peccatorum gratuitam remissionem, in Domino nostro Iesu Christo fidelium vnica spe & salute. Amen.

HOMI-



HOMILIA DECIMASEXTA.

Iohan.20.

22. *Et quum hæc dixisset, afflauit eos, & dixit eis, Accipite Spiritum sanctum.*

23. *Si quorum remiseritis peccata, remittuntur eis: si quorum retinueritis, retenta sunt.*



VBSTITIMVS nuper in ea quæstione, quæ sit hæc in Apostolos collata potestas, remittēdi vel retinendi peccata in terris cū certa promissione in cœlis illud omne ratum fore. Vnde videri fortassè possit, Iudicium illud, siue Remissionis, siue Retentionis peccatorū, ab hominibus in terris initium capere, deinde in cœlis à Domino perfici: quod quid aliud esset quàm verum ordinem euertere, ac hominibus iudicandi potestatem, Deo vero partes illud iudicium exequendi dare, quod ne cogitari quidē sine blasphemia potest? Contrarium igitur prorsus est statuēdum. Nam, vt nuper diximus, solius Dei propria potestas est Remittere peccata, ac proinde Retinere & peccatores iusto iudicio damnare. Quoniam verò tribunal istud Dei supra cœlos omnes, & hunc mundum eminet, homines autē in terris degunt: idcirco Deus in terris vtitur hominū ministerio quos elegit: nō quidem vt sentētiam præscribant remissionis aut remissionis peccatorum (nam alioqui ser-

Recta & legitima sententia Remissionis aut Retentionis peccatorum fertur primùm in cœlis, deinde in terris pronuntiatur, & iterum in cælis habetur rata.

uos in solio suo collocaret, quum tamen illud immotum sit principium, Deum alteri cuipiam suam gloriam non dare. Esa. 48. 11.) sed potestate ipsis facta sententiam quam ipse dictauit pronuntiandi: & quidem ita vt velit homines persuasos esse, quæ sic in terris pronuntiantur à suis seruis, rata in cœlis à se fieri, tam verè id quidem quàm si ore suo pronuntiasset.

Quomodo qui in terris sententiam pronūtiant persuasi sint illam sibi cælitus esse dictatam.

Sin quærat hic quispiā, quomodo hæc sententia dictetur hominibus eam pronuntiaturis: aio non opus esse propterea vt vel ipse Dei filius è cœlo descendat, sicuti descensurus est vltimo illo die, ad huius sentētiæ integram & realem executionem: vel vt Spiritus Sanctus extraordinariè ministros in aurē alloquatur: sed præscriptum illis officium & fines suos tam in Verbo Legis quàm Euangelij: Legis nimirum in Retinendis peccatis, quatenus illa docet quid sit peccatum, & condemnationem mortis æternæ pronuntiat aduersus peccatores, Gal. 3. 10. & Rom. 5. 12. & 6. 23. Euangelij contrà, quod docet, quicunque filio crediderit non periturum, sed vitam æternam consecuturum. Iohann. 3. 15. cui respondet quod Apostolis deinde dictum est, quicunque crediderit & baptizatus fuerit, eum seruatum iri: contra condemnatum quicunque non crediderit. Marc. 16. 16.

Deo non opus est vlla inquisitione hominum ad a-

Inde sequitur, quòd quemadmodum in terrenis iudiciis, iudices ex reis veritatem facti nosse nequeunt, nisi diligenti facta inquisitione

ne, aut ipsius rei confessione, vt iuste vel absoluant vel condemnent: sic in hoc spirituali iudicio, superius facto à Domino supremoque Iudice, sed in terris pronuntiando ab iis quibus hoc munus est demandatum, minimè quidē opus est inquisitione, eius qui superius sedet iudex respectu, qui melius quàm ipsi homines corda hominum nouit: sed iudicaturi in terris & sententiam pronuntiaturi, aut contrà aut secundum hunc vel illum, quò certiores sint de gratia aut condemnatione in cœlis facta, præscriptum ius à Domino quod sequantur habent, nempe vt de arbore ferant iudicium ex fructibus, & inde sententiam pronuntient.

bsoluendum aut condemnandum peccatorem in cœlo. Sed vt in terris feratur sententia conformis ei quæ in cœlis iudicata est, causæ cognitione opus est, quam fieri par est quomodo & à quibus est mandatum.

Hæc porro sententia nonnunquam est simplex & absoluta, quum vel de facto constat, quantum hominibus licet, vel de statu & conscientia eius cum quo agitur, putà vtrum sit reus, necne: an si reus, agat seriam pœnitentiā, vt debet, vtrum credat, necne. Ex his enim fructibus arbor discernitur. Nonnunquam autem, quum subest iusta dubitandi occasio, hæc sententia certa quadam conditione pronuntiatur, putà & absolutionis in cœlo, si cum quibus est negotium seriò pænituerint & crediderint: vel condemnationis, nisi pœnitentiam egerint & crediderint: quam sententiam apud se vel absolutos vel condemnatos oportet seriò meditari. En igitur cur duplex sit istiusmodi à Deo latarum sententiarū species, quę à pastoribus & ministris verbi diuini com-

Quod sit fundamentum sententiarum quæ in terris pronuntiātur, quarum aliæ simplices & absolutæ, aliæ cum conditione, aliæ generales & indefinitæ, aliæ certis quibusdam peculiares.

missis ipsis ouibus proponuntur. Nam aliæ sunt indefinitę cum apposita conditione, sicut fit in ordinariis concionibus ad vniuersum gregem: quæ Euangelij prædicatio nihil aliud est quàm publica declaratio, & denũtiatio Pastoris nomine Domini, ad suas oues & auditores, qua verè & ex animo pœnitentiam agentibus, viuáque fide Domini mortem & passionem amplectentibus omnia in vniuersum, & singula seorsim peccata ipsis à Deo condonari testatur vt iam coram Dei tribunali à iudicio Dei liberi & immunes censeantur: vt contrà, non agentibus pœnitentiam, & simulatè Christum amplectentibus, peccata retineri, & perpetuæ maledictioni reo addici. Hic verò postulat ouium officium vt se ipsas iudicent, an ita sint apud se affectæ vt de præterito dent gloriam Deo, córque illud verè contritum & abiectum offerant, Psalm. 51. 19. & in primis, an remissioné illam peccatorum oblatam Euangelij prædicatione vera fide amplectantur: Deóque respondere paratæ sint quod olim Angelo Sancta Virgo, Fiat mihi, Domine, secundum verbũ tuum Luc. 1. 38. & quemadmodum Domino pater ille Lunatici respondit, Credo, Domine: succurre incredulitati meæ. Marc. 9. 24. cum certo proposito vitæ meliùs in posterum instruendæ. Quod si fiat, minime dubium est quin is cui Deus cor istud largitus est, domum absolutus & liber reuertatur: sin aliter, quin reus & suis peccatis obstrictus, etiam ille domum redeat,

vt non

vt non opus sit Pastorem peculiariter aliam sententiam pronuntiare condemnationis aut absolutionis. Nam si peccator pœnitens istud beneficium à Deo sine vllo intermedio consequitur, quod expresse de misero illo publicano Lucas prædicat.18.14.multò magis Pastore peccatores sic alloquente eius nomine à quo missus est, etsi hanc sententiam in genere tantùm protulit, conscientia peccatoris pœnitentis habet quo nitatur & consolationẽ apud se percipiat: quod de se Dauid ipse testatur pluribus psalmis, sed psalmo præsertim.32.3.

Prima species Ecclesiastici iudicij quod priuatis pronuntiatur à Pastoribus studiosis salutis singularum sibi commissarũ ouium.

Iudicij verè quod de priuatis statuitur peculiaris quædam est cognitio, & specialis ac luculentior declaratio. Tota res tamen eôdem redit, quòd sit vna Lex ex qua impœnitentibus peccata retinentur, & vnicum Euangelium, per quod pœnitentibus & credentibus peccata remittuntur eodem ministerio: seu ad plures indefinitè sermo dirigatur, seu cum priuato quopiam sit negotium, & absolutè pronuntietur sententia. Hæc autem in triplici agendi sunt differentia. Primùm locum sibi vendicant admonitiones priuatæ, pro varietate circunstantiarum, rerum ac personarum, Pastorum officio hoc postulante, vt singulis suis ouibus inuigilent, seu monendis & arguendis, seu etiam consolandis. Ezechiel.33.8. & 9. Act. 20.20. 2. Corinth. 11. 29. vbi, quocunque modo affectus sit qui admonetur, nunquam frustra Pastor pœnitenti & credenti remissionem peccatorum annuntiat:

nec contrà peruicaci & incredulo condemnationem. Et hoc præsertim locum habet in ægrorum visitatione, quo tempore maximè Pastorem oportet ægrum ad pœnitentiam, & remissionis peccatorú certitudinem disponere.

Secūda species Ecclesiastici iudicij pro aut contra priuatos post causæ cognitionē coram cœtu Seniorum legitimè ad hoc munus electorum.

Deinde priuatis istis iudiciis locus est in iurisdictione & disciplina Ecclesiastica quam Dominus instituit in Ecclesia Christiana, Matth. 18.17. & 18. ad exemplum corū quæ sub Lege antiquitus decreta fuerant & in vsu erant, Ioh. 9.22. & 12.42. & 19.2. Igitur officium cætus illius, qui Ecclesiam repræsentat, ex verbi Ministris compositus, & Senioribus legitimè ex ipso populo electis, quos propterea Paulus Gubernatores nominat 1. Cor. 12. 28. est, vt post diligentem inquisitionem eorū quę cum Ecclesiæ offendiculo, facta sunt, sedulā nauent operam, tum vt peccator pœnitentiam agat, tum vt scandalum tollatur, ne forte paululo fermenti tota massa fermentetur 1. Cor. 5. 5. & 6. Apostolorum exemplum sequuti, pœnitentiam agentibus consolationis medicinam applicent, & deuiam ac aberrātem ouem in gregem reuocent. 2. Cor. 2. 6. & 7. prout facti ratio postulabit: contrà contumaces ac contemptores illius quæ in terris est Ecclesiæ excindant, vt pudore tandem, si fieri potest, in gregem reducantur, seriam peccatorum pœnitentiam agentes, sicut Apostoli docuerunt & factitarunt. 1. Cor. 5. 6. & 12. & 2. Thessal. 3. 4. 6. 14. 1. Timoth. 1. 19. & 2. Iohann. vers. 10. & 12. totáque vetus Ecclesia nemine refragante.

Fateor

Fateor tamen iampridem hanc disciplinam in horrendam & detestandam tyrannidē immutatā fuisse. Sed hæc tamē iurisdictio & disciplina Ecclesiastica fuit nihilo magis abolenda quàm Verbi Diuini prædicatio, quòd ea nonnunquam falsi Pastores abutantur ad hæreses inuehendas. Vos verò perditi perturbatores Ecclesiæ, qui eius rectam instaurationem pro viribus impedire conamini, alij quidem planè damnatis Consistoriis & qualibet Ecclesiastica censura: alij quod merè est Ecclesiasticum & spirituale ad magistratus ciuiles transferentes: alij ab hac disciplina remouētes eos qui ex populo legitimè sunt ad hoc munus vocati (quod Ecclesiæ voci planè repugnat, quæ huic cœtui Seniorū cōpetit. Mat. 18. 18.) alij prohibentes ne profligatæ istius tyrānidis, qua tandē Ecclesia in tantā desolationē deuenit fundamenta conuellantur: vos, inquā, omnes instrumenta Satanæ, mutuas operas in tam perdita causa tuenda conferentes, tādem aliquando coram Filij Dei tribunali sentietis, an vobis licuerit eius in terris tribunal euertere: ac quicquid vestris cōsiliis vel professis ipsis Euāgelij hostibus lōgè deterioribus moliamini, tamen quod fuerit in terris ligatum, cōperietur in cœlò fuisse ligatum: & similiter solutum, quod ita solutum fuerit, vt rata sit ipsius Domini hac de re sententia, Matth. 18. 18. tandémque vestro periculo experiemini quid sit cum eo bellū suscepisse qui vester Iudex est ac futurus est.

Abusum disciplinæ & iurisdictionis Ecclesiasticæ oportet corrigi, eius legitimo & necessario vsu reuocato.

Tertia species priuatarum sententiarum in administratione Baptismi & sacrosanctæ Cœnæ.

Tertia species priuatæ istius administrationis posita est in Sacramentorum administratione, quæ singulis distribuuntur, non autē generaliter & indefinitè, vt verbū Dei in ordinaria verbi prædicatione. Ideò adultiores olim in Ecclesia vetere priusquā Baptismo in Ecclesiā reciperentur, Catechumeni erāt, ac doctrinæ Christianę capita præcipua docebātur, nec antè admittebantur nisi facta expressa stipulatione suę in Deum fidei, Diaboli abnegatione & omnium quæ essent Euangelio contraria, quod à Philippo videmus obseruatum in Eunucho illo, de quo fit in Actis Apostolorum mentio. Act. 8. 37. quod Petrus etiam respexit, 1. Pet. 3. 21. vnde profecta sunt ista quæ Romana Ecclesia hodierna retinuit, Credis? Credo. Abrenuntias? Abrenuntio: qui tamen error crassissimus præter tot tātósque abusus & pollutiones lingua peregrina inuectas, pessimèque ad infantium Baptismū traductas, haudquaquam nunc primùm cœpit. Idē etiam examē & expressa professio fidei requiritur in singulis antequam ad sacrosanctam Cœnam admittantur. Quod si examen à Pastoribus in huiusmodi negotio sæpius iteraretur, non modò ad officium excitarentur qui tradidisse deprehenderentur obliuioni quæ prius didicerāt & professi fuerāt: sed etiam obuiam iretur multis pollutionibus quibus hæc sancta communio cōtaminatur & ira Dei terribilis & extraordinaria prouocatur, vt loquitur Apostolus 1. Cor. 11. 30. Nam dum iubet singulos seipsos

probare,

probare, nõ vult Pastores ab officio suas oues probandi deterrere, sicuti quidam somniant. Hoc verò casu minimè dubium est, quin qui vera pœnitentia & fide amplectitur verbum tã Legis quã Euangelij à Pastore fideliter propositum, & Sacramenta sic percipit, sit etiam in cœlis solutus, contrà verò qui secus faxit suũ chirographum, suæque condemnationis meritum coram tribunali veniat obsignaturus.

Igitur sacrosancto ministerio commissum est in terris munus declarandæ sententiæ, quæ primùm conficitur & dictatur in cœlis verbo Domini diligenti interim adhibita differentia inter eũ qui solus remittit aut retinet peccata, qui solus absoluit aut condemnat: & eos quos in terris delegit, vt in iis causam hanc coram hominibus excutiant & examinent, sententiámque in cœlis ratam habendam pronuntient.

Deus iudicat in cœlo & eius serui sententiã in terris pronũtiant.

Ex supradictis etiam apparet hos in terris Domini Legatos sua functione, cuius sunt præscripti fines tam verbo Legis & Euangelij, quàm æquo & bono in illius dispensatione, sic abutentes, tum in re ipsa tum in iure, nihil legitimè administrare, ac proinde non propterea debere turbari hominum conscientias. Et hoc Dominus expresè docuit suos Apostolos quum latam à Pharisæis aduersus se suósque discipulos sententiam excommunicationis audiuisset. Iohã. 16.2. & Matth. 15.12. & 14. quemadmodum hodie per Dei gratiam, nõ modò nos non mouẽt

Lata in terris iudicia prater aut cõtra formulam præscripta commissionis iis qui vocati sunt ad ea proferenda, prorsus irrita sunt & nullius effectus.

pseudo Ecclesiæ illius Romanæ excommunicationum fulmina, vt cõtrà, quũ ab istiusmodi hominibus anathemate ferimur, præsertim quod ab eorum idololatriis secessionem fecerimus, certissimum inde capiamus argumentum lætandi in Domino, quemadmodum ipse nos admonet, Matth.5.11.& 12.& Apostoli nobis sunt exemplo. Act.5.41.

Quomodo & quousque in Apostolos collata hac historia potestas, transferatur ad Pastores & seniores in Ecclesiis constitutos post Apostolorum tempora.

Sed quidam hic superest scrupulus. Nam si Apostolatus hæc actio propria est, ac proinde ipsorum Apostolorum (quod sæpius in huius historiæ expositione exposuimus) quæri non immeritò potest, quomodo nos hanc potestatem ad omnes Pastores, qui sunt, fuerũt, & ad finem vsque sæculorum futuri sunt extendamus. Facilis respõsio, quiddam esse proprium Apostolatus functioni, sicut satis copiosè docuimus in huius historiæ explicatione, veluti quòd ipsius ore Filij Dei missi sunt architecti futuri & primi fundatores Ecclesiæ Christianæ in vniuersum mũdum, & quidem cum extraordinaria omnium donorum sancti Spiritus abundantia & auctoritate omni exceptione maiore, quam ob causam etiam Dominus ad ipsorum vocationem addidit Sacramentalem halitum oris sui. Fuerunt igitur hæc Apostolatus & Apostolorum sic propria, vt nullum in istis potuerint ac debuerint successorem habere, ob eas causas quas in huius historiæ explicatione satis copiosè declarauimus. Sed cõsiderata generaliter functione administrandi tum verbi prædicationem, tum

Sacra-

Sacramenta & disciplinam Ecclesiasticã, hæc commissio data est etiam à Pastoribus, Euangelistis putà, Pastoribus, Doctoribus & Senio nioribus, qui hoc munus alij aliis succedentes inuicem sustinerent: quam ob rem disertissimis verbis præsentem suam opem sacro illi ministerio promisit vsque ad mundi consummationem, non autem simpliciter tantùm Apostolis, qui vitæ suæ curriculũ breui decurrerunt. Marc. 28. 20.

Falsò remissionem pœnæ separari à remissione culpæ.

Habetis veri Christianismi summam, cui si vellẽ ex diametro opponere, & sigillatim pluribus persequi quæ sunt in Ecclesiam Dei inuenta per illam horrendam apostasiam ab Apostolo prædictã. 2. Thess. 2. 3. & in Apocalypsi copiosè declaratam, vix mihi singula persequenti annus suffecerit, vel totos dies à primo solis ortu ad occasum vsque in eodem argumento versanti. Breuiter tamen summa capita perstringam, quò meliùs dignoscamus ex quantis abyssis Dominus summa sua, immo immensa misericordia, eruerit, & tam pretiosum istum thesaurum pluris facere discamus. Accipite igitur quid hæc in re spiritus erroris promouerit, iusto Dei iudicio, quale per Prophetã Esaiam erat minatus, Esa. 29. 14. & quo totum terrarum orbem hodie punit. Primùm quòd ad hanc Remissionis peccatorum vocem (in qua tota nostra fides & spes est posita) videte quomodo sensim per cuniculos eius fundamenta sint tentata. Nam non modò ab initio statim distinctum, sed separatum est

chirographū ab eo ad quod per chirographū obligamur, id est Culpa à Pœna: ac proinde si meritum Iesu Christi solam culpam deleuit, sanè ex parte truncatur, & Deus etiam arguitur iniustitiæ, si solutionem petat ab iis quorum chirographum deletum sit: en denique Iesu Christi perpessiones prorsus inanes, aut saltem hactenus nos adiuuantes vt valere faciant pretium quod nos ipsi pro nostra liberatione soluimus: veluti cibus quilibet sale cōditur vt saporem ac gustum suauiorem recipiat. Sed, obsecro, num magis euidenter potuerunt nostræ salutis fundamenta conuelli, & Iesum Christū suo illo nomine salutifico Iesu spoliare? & quidem etiam Prophetis & Apostolis veluti mendacium impingere?

Responsio ad eorum obiectiones qui sanguinem Iesu Christi miscent cum Pœnis quibus Deus nonnunquā eos castigat quibus peccata condonauit.

At qui sic separant Remissionem Pœnæ à Culpæ remissione, voluntque superesse solutionem aliquam iis quorum tamen deletū est chirographū, Coloss. 2. 14. præter ea quæ sunt à me refutata superius, de morte prima, in qua manent qui à morte secunda liberati sunt, Dauidis exemplo tueri suum errorem conantur, cui quum peccatum esset condonatum à Deo expressè per Nathanem Prophetā, 2. Sam. 12. 13. & 14. tamen maximis pœnis, tum ipse, tum eius posteritas fuerūt obnoxij, cuiusmodi plurima exempla possunt adduci, quum quotidie videamus vel optimos quósque Deique timētes castigari variis pœnis, etsi Dei filij sint, Deoque proinde reconciliati. Respondemus primùm tantùm agi hac exceptione de pœnis,

quæ

quæ ad hãc vitã ſpectant:illáque proinde non iuuari eos qui Purgatorium ſtatuunt, in quo poſt hunc mũdum pro peccatis in illo admiſſis ſatisfiat. Deinde non mirum eſſe, quum vel maximè pœnitentes & credentes tanta labo- rent imperfectione, ſi facta cum ipſis reconciliatio, non producit in anima aut corpore dignos effectus plenæ cum Deo reconciliationis. Nam (vt Dauidis exẽplum expendamus) tãtum abeſt vt pœnæ quas poſt peccati remiſſionẽ ſuſtinuit ab vllo defectu recõciliationis manarint, aut ab vllis aduerſus ipſum iræ Dei reliquiis: vt contrà ſic iſta contingere ex ſingulari in ſuum ſeruum reconciliatum amore voluerit: quem nouit his pœnis opus habere, vt magis magíſque peccatorum ſe iam pœnitentiã agere diſceret, eſſéntque tam ipſi quàm poſteris, & toti populo, velut quoddam amuletum, quo à talibus peccatis, ſiue leuioribus ſiue grauioribus ſibi cauere diſcerent: quas ſanè rationes quis meritò dixerit ab ira Dei proficiſci, tanquam non planè reconciliati, quum contrà perſpicua ſint teſtimonia beneuolentiæ ipſius, quam temperat prout expedire nouit eius ſaluti cui peccata ſunt ex gratia ſua cõdonata? Denique quum noſtris propter peccata pœnis, quæcunque tãdem illæ ſint, Deo nihil decedat nec accedat, nonne meritò dicendos cenſemus amentes eos qui ſatisfactionis nomen ipſis attribuũt? Itaque tam pretioſum iſtud nomen propriũ eſt ac peculiare ſoli obedientiæ qua culpa noſtræ rebellionis deletur,

& passionibus quibus satisfit pœnis, quas eramus meriti, solius, inquam, eius obedientiæ & passionibus qui in hoc datus est, ex mera & immensa Patris & ipsius etiam voluntate, Deitate ipsius infinita dante vim infinitam pœnæ illi quam in humanitate sua passus est.

Falsa imaginatio duplicis pœnitentiæ, alterius ante, alterius post baptismũ.

Deinde quòd pœnitentia (quam melius resipiscentiam ac Conuersionem dixerimus ex vsu Scripturæ) indiuiduo nexu cum promissione remissionis peccatorum cohæreat, duplicem aduersarij nostri pœnitentiam faciũt, vnam ante baptismum, quæ hodie tantùm ad Turcas & Iudæos spectaret, & cui tamen plurimum attribuunt, admittentes in ea, sed suo more facta, Pœnam & Culpam deleri. Alterã, quæ Culpam respiciat, quam à Baptismo contrahimus, quæ propterea grauiores pœnas meretur: & hic proinde Remissionem Culpæ separant à pœna, vt omnes Christiani corã Deo totidem peccatorum rei fiãt quot à Baptismo suo peccata committunt. At diligenter legãt & relegant Bibliorum volumine quicquid cõtinetur, vnicam Conuersionis hominibus necessariæ speciem inuenient: quæ, coram Deo, consistit primùm in corde illo contrito & vulnerato sensu iræ Dei aduersus peccatum: deinde in apprehẽsione diuinæ misericordiæ, cuius nullum aliud obiectum est, nisi vnicus preciosus ille sanguis Domini nostri Iesu Christi, qui tulit supra lignum peccata nostra, id est peccatis nostris pœnas debitas, quem nostræ conscientiæ vulneribus applicemus, quæ non alio

alio quàm fidei instrumento curari possunt.

Tertiò vera Conuersio consistit in sincera peccatorum agnitione, primùm & maximè apud eum qui solus præcipuè offenditur, vt Dauid ipse loquitur, Psalm. 51. 6. & ad illius miseri Publicani exemplum, Luc. 18. 14. deinde quantum fieri potest apud eos qui læsi sunt, siue priuati illi sint Matth. 18 15. & 16. siue Ecclesia in genere, facto quopiã quod offendiculũ ingens secũ trahat. Cuius exemplum insigne præbẽt nobis ipse Dauid & Ezechias, aliíque ipsis similes: qui non tantùm peccatum priuatim agnouerunt & cõfessi sunt, sed etiam monumentis in æuum omne tradiderunt: cuiusmodi exemplum etiam notandum est, non vnius aut alterius tãtùm, sed totius eorum multitudinis qui Ephesi Magiæ sese addixerant: Act. 19. 19. Hic verò spiritus erroris pedetẽtim hoc promouit, vt primum sublatum sit discrimen inter confessionem peccatorum coram Deo communem & Christianis omnibus necessariam, omnibus horis ac momentis, & eã quæ propria est & specialis iis qui ob scandalum admissum legitima Ecclesiæ censura excommunicati, peccata publicè confitentur in Ecclesia & Christianorum cœtu, petentes se in cœtum fideliũ recipi ac redintegrari: (quod sub Lege fuerat institutum & vsitatum in sacrificiis quæ pro peccatis offerebantur:) præterea sublatum sit discrimen inter fraternam peccatorum agnitionem, siue priuatim, siue corã testibus, quod ipse Dominus præscripsit

Falsatio confessionis & agnitionis peccatorum quæ in vera conuersione Christiana requiritur.

apud Matth.18.15.& 19.& eam quæ priuatorũ eſt,aliorum ad alios inuicem. Hæ ſpecies igitur confeſſionum hac falſa doctrina confunduntur ſub cõmuni nomine Pœnitentiæ, hoc excepto quòd vltimam ſpeciem parui faciunt.Nam præterquàm quòd, pro cœtu Paſtorum & Seniorum,ſubſtituerunt monſtrum illud Officialitatis,aut Epiſcopalis Curiæ,cõpoſitæ ex procuratoribus & rabulis, in qua de Chriſto & eius Euangelio ne γρῦ quidem, ſed vtriuſque horrendiſſimus contemptus,excommunicationes fiunt & redimuntur numerata certa pecunia,& quidem tam abſurda ratione cuncta geruntur,vt vix futurũ æuum ſibi perſuaderi patiatur mundum ſic potuiſſe decipi,multóque minus credat Deum tanta patientia ſanctæ ſuæ diſciplinæ contemptores tuliſſe. Denique vt totam iſtam ſuo quidem reſpectu fabulam,ſed Dei,horrendam tragœdiam,claudant: ad pleniorem abſolutionem, ſubſtituerunt Presbyterum quempiam Confeſſorem omnium,quę vocant,ordinariorum peccatorum: eorum verò quæ reſeruata dicunt, Pœnitentiarium, ac tandem ſummum Epiſcopum, à quo etiam typis excuſa proſtant pretia quorumlibet maximorum grauiſſimorúmque peccatorum:vt coram hominibus tam effrænis impudentia magis ſit conſpicua, quos non pudet omnibus in genere peccatoribus pro Deo Presbyterum ſubſtituere: excommunicatis verò,pro Eccleſia,Pœnitentiarium.

Quartò, quò nonnihil huius persolutionis apprehensionem subleuarent quam ad satisfactionem per Iesum Christum præstitam adiici volunt: abusi peccatorum inæqualitate, primùm falsissimam & perniciosissimam peccatorum distinctionem commenti sunt. Nam alia quidem esse venialia, dicunt digna condemnatione, sed leuis alicuius pœnæ temporariæ, quæ non propriè Iesu Christi sanguine, sed quibusdam aculeis & morsu conscientiæ, & detestandæ & abominandæ aquæ suæ lustralis aspersione deleantur. Alia verò mortalia, id est æterna damnatione digna, quibus vt satisfiat, accipite, quam nobis isti monetam cuderint, in qua primus nummus est morsus conscientiæ, & ægritudo illa quam specioso nomine & proprio vocant Contritionem, sed quam deinceps adulterant falsa imagine, quum meritoriam & satisfactoriam apud Deum faciant, cum Iesu Christi sanguine tamen coniunctam, vt hæc omnia suum pondus habeant. *Falsa distinctio peccatorum in venialia & mortalia.*

Alter nummus est auricularis apud Presbyterum Confessio, & quidem omnium sigillatim peccatorum, omnium se absolui cupientium, qua nulla maior conscientiæ carnificina excogitari potest. *Adulterina mõneta qua Deo satisfiat.*

Tertius, Absolutio quam Presbyter ille pronũtiat: dequa deinceps agemus sigillatim.

Quarta, satisfactio: & quidem apud Deum pro peccatis cõfessis, de qua sumus etiam pluribus paulòpost dicturi, hæc pauca si addide-

rimus hoc loco, nempe verè à Deo bonos istos & egregios scilicet Pastores excæcatos esse, in eo saltem quòd contra omnem ordinem & rationem etiam doctrinæ suæ, Absolutio præcedit Satisfactionem pœnitentialem: vt causam dicere nequeat quin absolutiones omnes istiusmodi sint conditionales, ac proinde incertæ, & irritæ.

Ignis æternus inferorum mutatus in ignẽ purgatorij ad tempus.

Denique annon hac moneta satisfit, vt soluentes demum liberentur? Minimè Gentium. Nam qui alienis peccatis viuunt, vt de Leuitico Sacerdotio scriptura loquitur, Hosee 4. 8. nimia conficerentur macie, nisi miseras ouiculas attonderent, immo & excoriarent, quas etiam mortuas laniare non erubescunt. Alia itaque hoc ordienda tela. Nempe pro innumeris peccatis, quæ non recensita pœnas æternas mererentur, & ad obsignandam Absolutionem acceptam in hoc mundo à Presbytero, ecce quid (si fidem ipsis adhibemus) Dominus in gratiam peccatorum eorum animabus præstiterit: nimirum, ignẽ illum æternum qui nunquã extinguitur (quod fatemur) mutãtũ in ignem aliũ, cuius minorem quidẽ faciũt ardorem quàm ignis inferorum, sed tantò ardentiorem igne naturali in his terris, quantum inter se differunt ignis iste naturalis, & ignis simulachrum: deinde, inquiunt, pœnæ æternæ, mutantur in has pœnas temporarias in hoc igne, quod Purgatorium dicunt, in quo miseras animas oportet torreri, donec à viuentibus sit ad vltimum quadrantem pro ipsis satisfactum.

factum. Nam merendi ſtatus ſimul cum hac vita deſinit.

Sin quærat aliquis, vbi ſit hoc Purgatorium tum hærent dubij, ſed tamen ita nodum ſecãt, vt de eo nõ inquirẽdũ anxiè dicãt. Sin vlterius quæratur, quod ſit vnicuique peccato mortali temporis ſpatium præfixum, non æqualis omnibus illius eſt æſtimatio, & in genere nõ eſt etiam de illo curioſiùs inquirendum. Nihilominus tamen veriſimilior æſtimatio eſt annorum mille, in quodlibet peccatum admiſſum aduerſus vnumquodque decem mãdatorum: deinde mille iſti anni ſupputandi ſunt ex ordine præcepti aduerſus quod erit peccatum: ac proinde ſola concupiſcentia decimo decalogi pręcepto condemnata, decem milliũ annorum pœnam ſuſtinebit, quòd ſit illud decimum Legis mandatum: idololatria verò tantùm duorum millium, & ita deinceps. En, obſecro, eximiam Theologiam, & ſummam cõſolationem quam ex hac doctrina ſecum auferunt ex hoc mundo excedentes. Neſcio verò, an omnes hodie iſtam æſtimationem approbent, ſed tamen nihil in medium adfero, quod non palàm à bonis ipſorum miniſtris publicè ſit prædicatum. Et proculdubio talem ipſorũ æſtimationem eſſe neceſſe eſt, quũ ſuas indulgentias in myriadum myriadas & ampliùs extendant.

AEſtimatio temporis ſatisfactionis pro quolibet peccato in Purgatorio.

Veruntamen ne fortè animæ miſeræ deſperent, & nihilominus ignis ille, quo feruet eorũ olla, foueatur, ecce remedium in promptu.

Supplementum deficiẽte ſuperius dicta ſalutione.

Magnus enim ille Clauiger, primũ (vt ex alieno corio lata secat lora, & suos suorũq; satellitũ loculos egregiè farcit) ecce fundit generales Indulgentias & Remissiones generales absolutorias à Culpa & Pœna: ecce iubilæa & indulgentias istiusmodi priuatas: en etiam indulgentias ex cuiusque voto vænales: & istis adde peregrinationes: vota huius aut illius rei in pœnas temporarias, cuiusmodi sunt ieiunia & eleemosynæ: adde præterea missas & tot cultus pro defunctis: adde denique & pręcipuè tamen sanctorum sanctarúmque merita, quæ distribuuntur ex hoc Ecclesiæ thesauro ab eo qui clauium cœli penes se potestatem esse mentitur, & quidem auctoritatem Angelis imperandi: cuius rei fidem facito quondam missum exẽplar ab illo Papa Leone decimo, & aliis deinceps ipso nihilo melioribus. Denique horum omnium finis est, bonorum istorũ Sacrificulorũ qui sic manus iniecerunt in sceptra & coronas Regum, vita lautissima, postquam miseras animas suis somniis depastas in locum illum torrendas præcipites dederũt, & viuos gementes, & his vẽtribus affatim omnia suppeditantes, cantionibus pascunt ac demulcent.

Potestas venia Dei propria incommunicabiliter, ad presbyteros & quidem falsos translata.

Verùm quòd absolutionem presbyteri hic in Purgatorium ingressũs præcedat, huic etiã oportuit aliquid substerni fundamentum hãc nimirum historiam, qua nititur sacramentum quod fingunt pœnitentiæ, quòd ad absolutionem & satisfactionem pœnitentialem. Et quidem

dem ita se hîc gesserunt, vt primũ, sicuti superiùs explicauimus, suo illi Sacramento ordinũ suæ hierarchiæ applicuerint hanc actionẽ Sacramentalem, quam ostendimus fuisse propriã & specialem Apostolatus, non minus quàm missionem Spiritus die Pentecostes: deinde vt sic abusi sint iis quæ hoc loco de sacrosancti puri verbi Dei ministerij auctoritate, de Sacramentorum administratione, & de iurisdictione Ecclesiastica dicuntur, vt transformarint in potestatem absolutam, quæ in presbyteros, quos voluerint, conferatur, non ad declarandam sententiam in cœlis latam & dictatam ex verbi Diuini regula & præscripto, & secũdum pœnitentis fidem: sed suo arbitrio confictam, vt pro voluntate sua claudant & aperiant, absoluant & condemnent, certa verborum formula lingua peregrina & ignota. Atque hæc omnia quis non videt coniuncta esse cum horrẽda deprauatione & abolitione meriti Domini & veræ resipiscentiæ, siue illius causas consideres siue etiam effecta? Sed qui cumulus est abominationis, attẽdite, quæso, quas satisfactiones pœnitentiales illi vocent. Nẽpe repetitas quasdã precatiunculas, quibus Pater noster aut Aue Maria occinitur coram idolo quopiam, aut certa quædam ieiunia, vota, aut meritorias peregrinationes. Et, vt huic abominationi nihil desit, priuatas quasdam Missas præscribunt submissas vel altas, sæpius in Patris istius Confessoris commodum: totidem profecto (quod sine horrore dicere nõ

poſſum) abnegationes & abolitiones oblationis ſemel factæ realiter & perſonaliter à Ieſu Chriſto in cruce in vitam æternam & omniũ credentium ſalutem, quot iſti fingũt oblationes corporis & ſanguinis eſſentialis Ieſu Chriſti Deo Patri, actuales & reales, pro viuẽtium & mortuorum redemptione.

Concluſio tot ac tantarum abominationum. Quid verò nos ad hæc tandem dicturi ſumus? Deus Optime Maxime, Pater, Fili, & Spiritus Sancte, gratias immortales agimus tibi pro tãto tuo beneficio, quòd mẽtes noſtras illuſtrare dignatus ſis ad iſtas abominationes cognoſcẽdas, & in cordibus formare ſtudiũ illas deteſtandi: ac ſupplices abs te petimus vt pro fœdis illis abominationibus tuã veritatẽ magis magíſque noſtris in mentibus inſculpas, vt in ea viuamus & moriamur, & quũ noſtro ſeculo veluti cœlitus eam iterum in terras demiſeris, in tenebris adhuc verſantes eãdẽ tua gratia digneris illuminare, diſſipatis ipſorum tenebris. Miſeram tuam veram Eccleſiam & intus & foris ab erroris ſpiritu protege: nec iratus reſpice quid hominũ mereatur animus ingratus, tantam tuam lucem reſpuentium & in cœlũ illã relegantiũ, ſed Sancti tui nominis cognitionẽ in illis adauge, & inſuper illos vera fide & reſipiſcẽtia imbue. Peccatorum noſtrorũ obliuiſcere, ſanctarúmque tuarũ promiſſionũ memor, quos honore ſancti tui miniſterij dignatus es cumulato vera ſapientia, zelo, diſcretione, & aliis iſtiuſmodi donis neceſſariis ad tuæ domus inſtaurationem: hoſtiũ

tuorum

tuorum qui tum in Oriente tum in Occidente ſedent regnum ac ſolium euerte: tuorum electorum numerum imple, tibíque quicquid contrarium eſt deſtruens, citò veni Domine, tuis hoſtibus ſub pedes tuos ſubſtratis os occluſurus, tuíſque fidelibus ſeruis, à quibus in æternum lauderis, aperturus. Amen.



HOMILIA DECIMASEPTIMA.

Iohan.20.

24. *Thomas autem vnus ex duodecim, qui dicitur Didymus, non erat cum eis, quando venerat Ieſus.*

25. *Dixerunt igitur ei alij diſcipuli, Vidimus Dominum. Ille verò dixit eis, Niſi videro in manibus eius veſtigium clauorum, & immiſero digitum meum in veſtigium clauorum, & immiſero manum meam in latus eius, nequaquam credam.*

26. *Octo ergo poſt diebus rurſum erant diſcipuli eius intus, & Thomas cum eis: venit Ieſus foribus clauſis, & ſtetit in medio [ipſorum] & dixit, Pax vobis.*

27. *Deinde dixit Thomæ, Infer digitum tuum huc, & vide manus meas, & profer manum tuam, & immitte in latus meum, & ne eſto incredulus, ſed credens.*

28. *Reſpondit autem Thomas, & dixit ei, Domine mi, & Deus mi.*

29. *Dicit ei Ieſus, Quia vidiſti me, Thoma, cre-*

didisti: beati qui non viderunt & crediderunt.

Sũma vsus præcipui ex præcedẽtibus manifestationibus referendi.



ACTENVS audiuimus quanta quámque stupẽda fuerit omniũ Iesu Christi discipulorum incredulitas, vt qui tã immemores fuerint eorum quæ toties Dominus illos multò antè de sua tertio die resurrectione futura pręmonuerat, vt vix quę oculis suis videbant persuaderẽt. Audiuimus etiá, quomodo Dominus hanc ipsorum indignitatem immensa & solita sua misericordia ac bonitate superans, suarum promissionum memor, viuus ipsis coram ipse apparuerit, variis locis, tẽporibus, varióque his vel illis habitu & forma, vt qui hos testes essent deinceps audituri loquentes, tantò faciliùs agnoscerent minimè fuisse testes adornatos, nec vllum dolum aut fraudem subesse. Pręterea sunt ab eo gesta hęc omnia die ipso quo resurrexit, ne nimiùm diu suspensos teneret eos qui se abiici prorsus meruerant: & vt impleret quod prædixerat ipsis, Iohan. 16.16. fore nimirum vt paulisper eum non viderent, & rursum paulò post reciperẽt.

Thomæ inexcusabile peccatum tantò certius est testimoniũ tã resurrectionis Domini quàm infinitæ eiusdẽ sapientiæ, patientiæ & bonita-

At quæ nobis explicanda iã historia superest, insignem inter reliquas omnes præcedẽtes & subsequentes apparitionem cõtinet, quum hic agatur de quodã ex eius domesticis discipulis, qui nõ infirmitate lapsus est vt cæteri, dum hærent dubij: sed qui Mariæ Magdalenę testimonium aliarúmque mulierum, Petri & duorum illorum discipulorum respuit: immo decem aliorum discipulorum affirmationem, asseueran-

seuerātium se Domini pedes ad manus vidisse. non tantùm igitur hic crassam & inexcusabilem incredulitatem aspicimus, sed pertinaciam mirum in modū obfirmatā, cum quadā arrogantia coniunctam, quasi condiscipuli somniarent aut nimis hebetes essent. Quibus omnibus accedit octiduū totū, quo pertinax iste potuit rem totam pensitare, sed sibi tamen similis remansit. Ac tandem non omittenda indigna discipulo immodestia, vel petulātia, quòd Domino & Magistro suo legem audeat præscribere. Ecquis autem hic est tot errorum reus? Nempe vnus ex duodecim illis Domini familiaribus & domesticis discipulis, quē etiā oportuerat apprimè recordari quid illi nominatim Dominus respondisset, Iohā.14.5.& 6. Quis hîc igitur meritò non miretur tātam Filij Dei patientiam, qui tot crimina discipuli sui tā leniter tolerarit? quis immensam bonitatē, qui tantū bonū tot malis rependerit? quis incomprehēsibilem sapientiam, quòd ex tam crassis erroribus discipuli cœperit occasionē Ecclesiam suam certiorem faciendi de sua resurrectione vsque in seculorum consummationem, testimoniis longè adhuc expressioribus quàm superiora fuerint? & huc spectasse videtur Iohannes dilectus ille Domini discipulus, quum eo Apostolorum omnium nomine loquens dicit. 1. Iohan. 1. 1. se annuntiare sermonem vitæ, quod, inquit, audiuimus, quod vidimus oculis nostris, & manus nostræ contrectarunt de sermone vitæ nuntiamus.

Vsus huius exempli in ordinario verbi Dei ministerio.

Hinc igitur imitari Domini exemplum discamus in reuocandis in viam iis qui extra viam aberrarunt, sicut Apostolus admonet. 2. Tim. 2.25. & 25. Vicissim autem qui parem lenitatē experiūtur, parem etiam agant pœnitentiam quàm hic tam incredulus & pertinax tam repentè mutatus egit.

Conciliatio huius loci de Thomæ absentia cum loco Lucæ 24.33.

Cæterùm priusquàm ad contextus expositionem accedamus, duæ hic nobis occurrunt excutiendæ difficultates: prior, quînam hæc Thomæ absentia conciliari possit cū eo quod est apud Lucam, Luc. 24.33. vbi dicuntur duo illi discipuli, quibus Dominus apparuerat in via, abrupto itinere, Hierosolymam subitò reuersi inuenisse vndecim discipulos, in vnum cum aliis coactos: quibus quum à se visa & audita narrarent, Dominus ipse repentè superuenit, & stetit in medio ipsorum. Quidam igitur existimant Thomam tum quidem fuisse cum aliis præsentem, sed duobus illis discipulis quid in itinere sibi contigisset narrantibus ex indignatione, quòd illa fabulosa esse putaret, egressum fuisse. At quum eius rei nullam historia mentionem faciat, nec sit verisimilis, simpliciùs ac veriùs respondetur, à morte Domini vsque ad electionem Matthiæ, qui duodecimus in locum Iudæ surrogatus est. Act. 1. 26. hunc cœtum, ad quem plerunque reliqui omnes discipuli conueniebant Hierosolymis, vt sese mutuò consolarentur, vocatum fuisse, cœtum vndecim discipulorum, licet non omnes illi cœtui semper interessent.

Altera difficultas cõsistit in eo, quòd in hac manifestatione Dominus expressè Apostolatum instituerat, etiam discipulis dato Spiritus sancti dono speciali cum sacramento particulari & speciali, quo gratia illa repræsentaretur: vnde videri possit Thomam, qui tūc abfuerit, in Apostolorum numero minimè recipiendum. Ac sanè verum illud esset si tum impleta fuisset Apostolorum missio: sed contrarium est conspicuum, tum ex ascensionis historia (in qua hæc ordinatio expressius notatur) tum maximè ex iis quæ die Pēteccostes tam solenniter facta sunt, ex quo propriè duodecim illi Apostoli cœperunt munus suum exequi: quum disertè dicat Euangelista tunc temporis illos duodecim in vno & eodem loco fuisse coactos.

Responsio ad eos qui Thomæ Apostolatum in dubium, reuocant.

Hic verò quidā inquirunt curiosiùs in causam absentiæ Thomæ: quorum alij dicere ausi sunt Thomam iam inde à captura Domini fugisse lōgiùs aliis, quibus se tum demum adiunxerit quum discipulos à sua resurrectione Dominus esset alloquutus. Sed vt curiosa quæstio, falsa etiam & calumniosa responsio est. Et in has angustias redigi solent curiosi, quos etiam plerunque contingit hac ratione prophanos fieri. Itaque fit mihi verisimile huic discipulo sua quædam fuisse priuata negotia, quibus impeditus illi cœtui tum nō interfuerit, vt minimè necesse sit, & contra regulam charitatis. 1. Cor. 13 5. suspicari voluisse ipsum socios deserere, quantumlibet esset in-

Quæstio curiosa de causa absentiæ Thomæ.

credulus: & nonnihil indignationis ostendisset in verbis illis quæ ad cōdiscipulos habuerat, Iohā. 11. 16. quum ægrè Dominum Bethaniam sequutus, dixerat, Eamus & nos, vt cum ipso moriamur. Nec enim hoc animo affectus, eum ampliùs fuisset cum reliquis sequutus.

Exemplum in Thoma nō facilè negligendos sacros cœtus.

Verùm ex hoc exemplo discendum nobis, quantum peccēt qui sæpissimè sacris cœtibus ob rem leuissimam sese priuant, quum potiùs in memoriam sit reuocanda illa tam pretiosa Domini sententia, omni exceptione maior, Quærite primùm regnū Dei: & cætera omnia vobis adiicientur. Matth. 6. 33. Atque vtinam Deus singulis nostrûm concedat hác gratiam, vt attentè meditemur ac perpendamus quæ in epuli parobola, Luc. 14. 18. dicuntur ab inuitatis interesse recusantibus, quum potiùs Deo nos vocanti protinus sit parendum: quandoquidem istud est certissimum & experientia comprobatum, semel sponte neglectæ cōcionis, alterius, & tertiæ contemptum sequi, tandémque tam procul à via recedentes, vix in illam posse regredi: & sanè nimium frequentia & ordinaria sunt eorum exempla qui pręcipites in hæc pericula feruntur.

Tot erratorum Thomæ origo, fortissimis exemplo esse debet.

Thomam igitur memorat historia nō modò professum esse, tot testibus & testimoniis tam certis & indubitatis fidem se nō adhibere, sed præterea mansurum in hac opinione, donec oculis suis contrarium doceretur. Quid amplius? Parū fidens oculis propriis, vult non tantùm

tantùm manus & pedes tangere,ſed notas clauorum in illis inſpicere, quaſi parùm attentè condiſcipuli iſta cõſideraſſent. Quid ampliùs? Etiam vult digitos in lateris vulnus immittere. Hæ verò circunſtantiæ diſtinctè conſiderari debent, vt hoc exemplo diſcamus quouſque ſeſe dent præcipites qui ſibi ſapientiſſimi & fortiſſimi videntur dum ſibi placent in defectibus: quod Petro contigiſſe videmus, qui à ſimplici negatione tandem in execrationem lapſus eſt. Quem ſanè minimè dubium eſt tam profundè fuiſſe ſe immerſurum vt nunquam emergeret, niſi Dominus oculis clemẽtiæ ſuæ eſſet illũ intuitus. Vnde verò tot errores Thomæ profluxerũt? Nempe, dum totus à ſenſibus pẽderet, quos ſuæ fidei fundamẽtũ ſternit, plurimum etiam ſibi arrogabat: quæ duo vitia ſunt maximæ hominum peſtes, & ſecum alia infinita trahunt, tandémque multa quoque mala pariunt: cuius rei fidem faciunt maxima pars hæreſæων, quarum huiuſmodi ingenia in Eccleſiã omnibus ſæculis fuerũt feraciſſima. Abſit tamen propterea, licet fides noſtra nitatur ſola Dei Omnipotentia & veritate, non tantùm noſtros ſenſus & captum infinitis partibus ſuperante, ſed etiam omnem Angelorũ intelligentiam, vt negemus tum intelligentiã noſtram, tum ſenſus ipſos poſſe ac debere fidei noſtræ inſeruire, tum in aliis tum in nobis ipſis, quum fides noſtra obiectum habet rem aliquam naturalem. Exempli gratia: quum de Domini noſtri corporis veritate agitur, Diuus

Iohannes.1.Iohan.1.1. asserit se illum auribus audiuisse, & oculis vidisse, ac propriis manibus attigisse.Et hoc eodẽ argumẽto Dominus suos de sua resurrectione facit certiores. Luc. 24.39.ac Thomas grauiter lapsus est condiscipulorum narrationi fide non adhibita, vt nõ in eo quidem simpliciter peccarit quòd oculis suis optauit de resurrectionis veritate confirmari, sed quòd noluerit aliter credere quàm oculis suis intuitus, atque adeò clauorum etiã signum intueri voluerit, & ipsos digitos in latus immissos testes adhibere. Oculorum igitur iudicium, etsi est à sensibus, minimè tamẽ fuit in hoc articulo fidei reiiciendum. Sed quũ tam fideles testes visa & audita narrarẽt, Thomæ incredulitas nullo modo potest excusare. Atque adeò si huic historiæ fidem hodie recusaremus adhibere, tótque aliis in sacris comprehensis, quarum fidem faciũt Prophetarum & Apostolorum scripta, proculdubio eiusdẽ cum Thoma erroris rei tenemur.

Non imitamur incredulum Thomam quum petimus à Transsubstãtiatoribus & Consubstantiatoribus, vt oculis nostris & manibus subiiciant Iesu Christi corpus si suã doctrinam

At quum hodie res est nobis cũ iis qui persuadere nituntur, verum Iesu Christi corpus essentiale esse actualiter in tot hostiis quot cõsecrarint, vt Transsubstantiatores loquuntur, aut cũ pane & vino sacrosanctæ Domini Cœnæ, vt loquuntur cum Consubstantiatoribus Vbiquitarij, nullam iniuriam ipsis facimus, nec fidem nostrã sensibus nostris subiicimus, etsi à sensuum veritate petimus aduersus eos argumenta. Nec enim de resurrectione cõtrouertitur, quam agnoscimus & fatemur, licet

oculis nostris Iesum Christum non simus intuiti: nec de veritate corporis ipsius, quam etiam credimus ex narratione quã audiuimus, conceptionis ipsius, natiuitatis, vitę, mortis & resurrectionis, vt nullum aliud testimonium quàm quod Euangelistæ ferunt petamus: at quum de fidei articulo quem ipsi præsupponunt agatur, sed pugnante cum articulis veritatis, naturalis corporis Iesu Christi, quantumuis glorificati, & similiter Ascensioni & Reditui eiusdem vltimo die, non absurdum est quum iubemus eos oculis nostris exhibere corpus illud essentiale, quod aiunt, actualiter esse pręsẽs, aut in Missa, aut in sacrosancta Cœna, priùs quàm nobis ita esse persuaderi patiamur, quandoquidem ipsemet Iesus Christus post resurrectionem, vsus est ad suæ præsentiæ testimonium & fidem argumento ducto ab eo quòd erat visibilis & palpabilis: argumento planè sophistico futuro, si corpus esse potest verum corpus non visibile nec palpabile. Atque hæc obiter hic dicta sunto, vt eorum ostendamus imperitiam & ineptias à quibus eiusdem incredulitatis atque Thomas arguimur.

à nobis volun recipi.

Porro quòd ad vulnerum illorum stigmata attinet, quum sit dilucidum, tam ex iis quæ superiore historia recitata sunt, tum ex iis quæ deinceps Thomæ Dominus est dicturus, verè illum à resurrectione stigmata illa in suscitato corpore retinuisse, non video equidem hoc loco nos vlla vrgeri necessitate, qua sit confu-

Quid sit verisimiliter nobis crendẽ dũ de Domini nostri Iesu Christi stigmatibus eius corpori post resurrectionem in-

giendum ad aliquam extraordinariam dispensationem, quemadmodum quum edit ac bibit vnà cum discipulis à resurrectione, aut absurdum esse (saluo tamen aliorum iudicio, quum hic non agitetur quæstio de articulis fidei fundamentalibus) dicere cicatrices illas quæ totidem sunt impressa testimonia victoriæ quam de suis omnibus & nostris hostibus reportauit, non modò nullam deformitatem attulisse corpori Domini glorioso, sed in illo fuisse glorificatas modo & gloriâ nobis ineffabili, immo & Angelis ipsis, quemadmodum & reliquum ipsius corpus, quum frustra no dicatur, quod noster Euangelista desumpsit ex Zacharia cap. 12.10. & ad lateris Domini perfessionẽ transtulit, fore vt vltimo die videant eum à quibus perforatus est: licet ea perfossio cuius meminit Propheta & conqueritur lõgè aliud quàm illius lanceæ vulnus aspiciat, nempe linguarum blasphemarum aculeos, quibus in cruce pendentem Dominum lancinarunt.

Horrenda inter cæteras blasphemia.

Quid hic verò de abominãdis & plus quàm detestandis istis hominibus dicturus sum, qui non erubescunt inter suas blasphemias, Domini vulnera exprimere, vulnera, inquam, Domini, ex quibus pretiosus ille Domini sanguis profluxit, quo solo peccata nostra delentur! O ora virulenta! ô impuras linguas! vsque adeò-ne bonum ac patientem esse Dominum vt ista vobis condonet? Sed progrediamur, nam hæc animus meminisse horret, quæ nemo qui verum Christianismi sensum

ſum ac guſtū habet audire ſine horrore poteſt. Vos verò Magiſtratus, ad quos tantorum criminum notitia venit, niſi pœnas exigatis flagitiis illis condignas, mementote tamen Deum memorem futurum, ac vobis ſummum exitium imminere. Moneo, hortor, corā Deo obteſtor.

Spiritualis & religioſa conſideratio vulnerum Domini noſtri Ieſu Chriſti Thomæ facto oppoſita, & ſuperſtitioſis crucifixorum idololatriæ.

Eia igitur, fratres, vt textum noſtram repetamus, ſpiritualiter & religioſè faciamus, quæ hic Thomas tā abſurdè, tāq; irreuerenter dixit. Hæc, inquam, Domini vulnera dies ac noctes meditemur, quæ peccata noſtra Ieſu Chriſto magis ac verius inflixerunt & impreſſerunt quàm ipſorum carnificum manus à quibus cruci affixus eſt, & quorum liuore ſanati ſumus Eſa. 53. 4. & 5. vt oculis ea fidei intueamur tanquam adhuc ſtillantia noſtræ redemptionis ſanguinem: & nominatim latus illud perfoſſum, è quo tanquam vero vitæ fonte ſanguis ille propitiationis, & aqua illa noſtri lauacri defluxerunt: minimè quidem digitum in illud immiſſuri, aut manum, ſed nos totos immerſuri, tum anima tum corpore, quo toti aſpergamur, perfundamur, & imbuamur intrinſecus, vt Patri gratiæ & miſericordiæ grati ſimus, coram cuius tribunali nemo poteſt hoc ſanguine non aſperſus gratiam conſequi. 1. Petri. 1. 2. Sic, inquam, hæc vulnera ſunt conſideranda & meditanda, non autem ad cruces ligneas aut lapideas idolomaniam exercendo, collatis in Cruces honoribus qui ſoli crucifixo debentur.

Oppositio maximorũ & indignissimorum erratorũ Thomæ & clementiæ ac benignitatis Domini tantò magis admiranda.

Et hactenus quidem esto dictum de Thoma procul aberrante à recta via, iam superest vt quanta gratia Dominus sit illum dignatus consideremus. Primùm igitur octiduum interea lapsum fuisse dicitur, in quo diem primum efficit ille dies quo Iesus Christus apparuerat, & octauum is quo Thomam alloquutus est, qua circunstantiâ Thomæ peccata grauiora fiunt, & quæ contrà bonitatem & clementiã miserentis magnopere commẽdãt, sicuti iam superiùs docuimus, vt illa repeti non opus sit. Itaque nostra historia memorat Iesum Christum iterum in medio discipulorum stetisse, prorsus inexspectatum, quum ingressus esset ianuis clausis: & eandem quam antea fecerat, salutem ipsis dixisse: quo facto sic affectus est is qui reus incredulitatis peragebatur, vt sponte culpam agnouerit, reipsa conuictus. Nam quum Iesum Christum hoc modo conspiceret ingressum, qui tamen, vt docuimus in historia superiore, nihil detrahebat de vera essentia & natura veri corporis, sed erat ipsius Deitatis testimonium euidentissimum: & ex Domini nostri Iesu Christi sermone cognosceret ipsum licet corpore absentem, tamen, vt verũ Deum & καρδιογνώστην, ipsissima Thomæ verba scire, minimè dubium est, quin Dominus etiam illi cum culpæ agnitione in animum immiserit remedium, nempe agnitionem veram Domini, qua primùm reipsa verum esse Deum agnosceret: (ac longè quidem meliùs quàm quum Petrus omnium nomine

mine respondit, Matth. 16. 16. aut quàm illi duo quos in via Dominus offenderat, Luc. 24. 19.) deinde verè suscitatum hominem, quem priùs in mortuorum numero tenebat.

Triplex admonitio nobis ex his peccatis colligenda.

His nobis igitur semper agnoscẽdum, primùm quod ait Apostolus, nos naturâ nostrâ non esse idoneos ad cogitandum de rebus Diuinis quibus nostræ salutis arcana continẽtur 2. Cor. 3. 5. Deinde quantus sit, etiam diligentissimorum, stupor, quum in nobis operari Deus incipit: tum, quàm sit necessarius, præsertim verbi Dei ministris, spiritus discretionis ad deuios in rectam viam reducendos, cuius exemplum singulare nobis proponitur 2. Samuel. 12. 2. etsi propter circunstantiarum infinitam varietatem certæ quædam regulæ tradi non possint quæ omni tempori, loco & personis conueniant.

Quomodo & cur Iesus Christus Thomam inuitarit ad id faciendũ quod illi incredulitas & pertinacia dictanerat.

Verùm miretur forsan aliquis, Dominum permittere discipulo, immo & inuitare ad id quod per incredulitatem & pertinaciam optauerat. Sed facilis responsio, non per se vitiosum & damnandum desiderium tangendi palpandíque Dominum (Nam si hoc esset, non prius Dominus vltrò suos discipulos ad se tangendum & palpandum inuitasset Luc. 24. 39.) sed in incredulitate fuisse vitium, quam sanaturus Dominus, eò vsque sese dimittit, vt etiã eius quod petierat, illi potestatem faciat, & compellet eum istis verbis, Miser incredule, vide quò me demittam, ne ampliùs dubita de mea resurrectione, en me ipsum, en idem

quod ante fuit corpus: Igitur attentè me cõsidera, & digito ipso lateris mei vulnus diiudica, ne per hoc stet quominus in credentiũ numero censearis. Ac proculdubio, licet nimis pudendum sit homines in dubium vocare veritatem eorum quæ Deus ipse pronuntiauit, tamen quanta lenitate & patientia Deum quotidie tolerate opus est eorum qui vel firmissimam fidem habere videtur infirmitatem: vnde sæpe factum legimus in vetere historia vt Dominus sese accommodarit signum aliquod postulãtibus promissionum ipsius testimonium, vt Gedeoni Iud. 6. 17. & 36. atque adeò Regi Achazo succensuerit nullum signũ flagitanti, Esa. 7. 11. quemadmodum contrà dare signa flagitanti nationi quam dicit adulteram & notham recusauit: quæ dissimilitudo non debet esse noua cuipiam. Nam Dominus qui cordium scrutator est, operatur hac in parte prout expedire nouit, in iudicium aut misericordiam, erga eos quibuscum illi negotium est.

Verisimilius est Thomam conspecto Domino confusum fuisse & exclamentẽ eius vulnera non attigisse.

Hic verò queri potest, an Thomas tum præsentia tum verbis Domini conuictus tamen perrexerit, digitum in lateris vulnus, vt inuitabatur, immittere. Aio nullam horum in textu fieri mentionem, deinde Dominũ deinceps illi suam incredulitatem exprobantem, quòd credere noluisset ipsum rediuiuum nisi ipsemet oculis intuitus, esset nullam facere tactus istius mentionem: vt, meo quidem iudicio, sit verisimilius, Thomam in se confusum & cul-

& culpam agnoſcentem, ſtatim exclamaſſe & veniam deprecatum eſſe, potiùs quàm in propoſito perrexiſſe, quod ſummæ fuiſſet pertinaciæ teſtimonium, licet ad id inuitare videretur eum Dominus, non id eum ſanè facere iubens, ſed potiùs pudore mouendo ſuffundens. Verùm enimuero quicquid acciderit, hoc exemplo docemur in quæ præcipitia ferantur, qui ſibi nimium indulgent, & quid de ſenſu noſtro naturali poſſimus expectare, niſi à Spiritu ſancto meliùs erudiatur.

Exclamatio Thomæ paucis complectitur quicquid nobis credendum eſt tam de duabus in Chriſto naturis, quàm de vnitate perſonæ & officio Ieſu Chriſti aduerſus quoſlibet hæreticos.

Sequitur apud hiſtoriam, Thomam ex tam profundo veterno ſuſcitatum exclamaſſe, vocéſque abruptas edidiſſe, quibus quo effectu loquutus ſit, exprimitur, ac proinde variè quoque ſuppleri ſolent. Nam quidam has voces interpretantur, vt exclamationem indefinitam, quæ non in Ieſum Chriſtum propriè, ſed in Deum in genere feratur, quod ferè contingit repentino caſu quopiam deprehenſis. Verùm hæc expoſitio manifeſta eſt huius textus deprauatio, ab Arrianis rectum ſenſum locorum, quibus Ieſu Chriſti Deitas probatur peruertentibus excogitata. Manifeſtum igitur eſt de Chriſto propriè Thomam hæc dixiſſe, ſeu voces has interpretemur quaſi dixerit, Tu es Dominus meus & Deus meus: ſiue, O mi Domine, & mi Deus, quam phraſin expreſſit Græco ſermone Apoſtolus. Thomas igitur Dominum ſuum agnouit non minùs verum hominem à reſurrectione quàm ante, quum Dominum vocat eodem nomine quo ſolebāt

eum ante mortem appellare & non aliò. Ioh. 13.13. At longè deinde vlterius progressus est, tanquam verum Deum adorans: vt vno momẽto Spiritus sanctus in hoc viro mirabili efficacia sit operatus, quem de incredulo & tã insulsa sentiẽte de Iesu Christo, quem nõ alio quàm mortui hominis habebat, tam eximium & peritum reddidit Theologum, vt tota nostræ salutis summa in tres articulos hic redigatur, quatuor istis vocibus comprehensos. Vox enim illa *Domini*, Iesum Christũ non tantùm designat & agnoscit verũ hominem, sed etiam officij ipsius respectu verum illum promissum Messiam cui Pater dedit omnem potestatem in cœlo & terra, & in suos electos in primis, quorum ipse sit caput, etiam secundum suam carnem: & hæc quidem Thomas sæpius audiuerat à Domino suo, sed nondũ hactenus animo perceperat, Iohan. 5.27. Ne verò videatur idololatra, talem Dominum agnoscens, assurgit ad eius Deitatem, cuius præter tot testimonia quæ prius non animaduerterat, duo certissima ipsi occurrebãt indicia. Prius quòd ianuis clausis esset ingressus. Alterum, quod suscitatum ac rediuiuum videret propria virtute, quod facturum ipsum alias ex eo sæpius audierat. Iohann. 10.18. quæ potentia propria est & incommunicabilis vnius veri æterni Dei Iehouæ. Rom. 1.4. Itaque in his pauculis vocibus iam habemus quid nobis credendum sit, tum de duabus naturis in vnica persona coniunctis, tum de officio Mediatoris & Seruatoris in

ris in vitam æternam. Modus superest quo tāti boni fiamus participes, quem iterata vox illa, *Meus* nobis indicat: nempe tantùm eorum esse proprium, qui vera & viua fide ipso apprehenso, sicut ipse virtute sancti sui Spiritus se ipsis adiungit, soli possunt cum fiducia clamare, Abba, Pater. Galat. 4.6. in hoc Filio qui non solùm est Dominus, sed eorum Dominus: ac nō solùm Deus, sed ipsorum Deus: qualem beatitatem Propheta prædicat, Psal. 33.12. Beata gens cui Iehoua Deus eius: populus quem elegit in hæreditatem sibi. Hæc itaque breuis & dilucida confessio tanquam fulmine capita percutit omnium hæreticorum, aberrantium ab illa fide & confessione, quæ personā & officium Filij Dei solius nostri Liberatoris agnoscit & profitetur.

Iterum igitur aio, Dominum hic ratum experientia fecisse tritum illud ac verissimum de Deo dictum. Exiguo momento multa Deū operari: vnde nostræ segnitiei & stuporis nimium frequentis merito pudere nos oportet, ac veluti stimulari & pudore suffundi. Verùm tamē Thomam oportuit magno suo commodo cēsuræ alicui subiici, ne nimium efferretur, sicut conspicuum est ex Domini respōso, cui grata & accepta fuit hæc confessio, certiorémque fecit discipulum illi eóvsque esse condonatam culpam, vt de incredulo & æterna maledictione digno, beatus factus sit, minimè quidem vlla tam subitæ mutationis vel confessionis merito, sed quoniam credidit, & h... *Cur Christus tantæ benignitati admiscuerit quandam reprehensionem.*

fide suum Dominum & Deum amplexus est. Censuram autem adiicit Dominus, nimium in dubitando fuisse pertinacem, quem oportuerat credere, licet oculis propriis non fuisset illum intuitus: quãdoquidem præter cæterorũ, à quibus conspectus fuerat, testimonium, memoria ipsum oportuerat repetere quæ toties tum illi tum reliquis inculcauerat, de sua tertio die futura resurrectione: à quibus Domini verbis ipsum & alios prorsus pendere decuerat. Et hanc quidem censuram & paternam reprehensionem verisimile est non in vnius tantùm Thomæ gratiam additam à Domino fuisse, sed cæteros etiam discipulos in illius partem venire voluisse.

Iesu Christi humanitas est verè naturalis, cum omnibus eius proprietatibus essẽtialibus: sed tam fructus qui ad nos inde redit, quã modus eum percipiendi est omnino spiritualis.

Quæ deinceps sequũtur admodum necessariam doctrinam continent, quibus docemur nostræ salutis mysterium ita niti hac vera humanitate Iesu Christi, in qua peccata nostra tulit supra lignum, & cuius oblatione reconciliamur: vt tamen omnis fructus quem ex ea percipimus sit spiritualis & cœlestis, ac modus etiam per quem simus illius participes. Nam hac redemptione deducimur in cœlum, & ad felicitatem illam spiritualem & æternam solis Dei filiis promissam tum corpore tum anima possidendam. Modus autem quo ad eam peruenitur, consistit quidem in verbi prædicatione externa quæ fit ore hominũ, & in auditorum aures fertur, sicut reliquæ voces sensibus hominum explicandis, & fatendum est aduersus Pharisæos illos Anabaptistas & Libertinos,

bertinos,& istius farinæ homines minimè separandam esse Spiritus Dei virtutē ab hoc verbo externo, in iis in quibus ipsi visum est operari: licet etiam extraordinariè possit scientiā ac fidem quibusdam infundere, sicuti cum discipulis egit die Pentecostes, ac deinceps cum Paulo, & aliis quibus voluit: sed tamen Apostolicum illud stat immotum, nempe fidem, esse ex auditu, & auditum per prædicationem verbi Dei. Quoniam verò naturâ cæcas habemus intellectus aures, quæque dicuntur nobis inutilia sunt nisi primùm intelligantur, & in eius vsum, cui dicuntur, cedant: ac neutrum fieri potest nisi sola Creatoris virtute, dantis nobis aures ad audiendum, & illuminantis oculos nostri intellectus, ac formantis in nobis per veram fidē applicationē huius Euangelij bene intellecti, Act. 16. 14. Ephes. 1. 18. sequitur totum hunc modum esse spiritualē, siue nos homines simplici verbo Euāgelij alloquātur, siue Sacramentorum accedat administratio: quorum exteriori administrationi, non minus quàm pronuntiationi verbi Euangelij quicūque vim vllam tribuunt virtutis illius spiritualis & vni Deo propriæ, à qua prorsus pendet, detestandæ idololatriæ & magiæ rei fiunt. Itaque quò Dominus discipulorum suorum & reliquorum fidelium vsque ad secundum suum aduentum cogitationem auertat à præsentia corporis sui essentialis in terris (è quibus erat breui supra cœlos omnes ascensurus, quibus contineatur vsque ad vltimum diem,

Act.3.21.) docet eos qui licet ſuis oculis eũ non viderint, crediderint tamen in ipſum, diſcipulorum, & in primis Thomę, incredulitatẽ non imitantes, fore beatos, & hac in parte maiore laude dignos quã qui nõ crediderint in ipſum niſi oculis conſpexerint, quod ipſe Diuus Petrus agnouit. 1. Petr. 1. 8. Quem errorẽ diſcipulorum Ieſus Chriſtus vt emendaret diſertè & maturè pręmonuerat diſcipulos expedire ipſis vt corpore ab ipſis abiret. Iohan. 16. 7. & Apoſtolus, minimè quidem negaturus aut trãsformaturus humanitatem Ieſu Chriſti, ſed vt ratum faceret quod dixi ſuperius (nempe rectã eius cognitionem & apprehenſionẽ ſpiritualem eſſe, noſtróſque ſenſus hac in parte nõ eſſe inſtrumenta illius) dicit, etiamſi Ieſum Chriſtum nouerimus ſecundum carnem (id eſt, viſus ſit & cognitus ad tempus vt ſenſibus vidẽtur & cognoſcuntur homines) non tamẽ nouimus ampliùs ſecundum carnem, id eſt vlla ſenſuum apprehenſione. 2. Corinth. 15. 16. Neque verò pugnant iſta cum iis quæ Ieſus Chriſtus dicit Luc. 10. 23. ſuos alloquutus diſcipulos, nempe beatos ipſorum oculos qui viderent quę videbãt. Ieſus enim Chriſtus his verbis comparationem inſtituit ſuæ manifeſtationis in carne, cum tempore Prophetarũ, qui ſub figuris tantùm & vmbris Legalibus eum erant intuiti & eminus conſpicati, Hebr. 11. 13. Pręterea ſic diſcipulos allocutus non ſimpliciter inhæret oculorum viſioni ſenſuali, quæ parum profuit exterius tantùm illum conſpicientibus

cientibus, ſed gratiam coniungit qua Deus diſcipulos afficiebat, vt oculis exteriùs intuerentur ipſum, & interiùs eundem auditũ nouiſſent oculis fidei, quibus datũ erat eius verba percipere, ſicut ipſe loquitur. Luc. 8. 10.

Itaque meritò poſſumus hic cæcitatẽ eorũ deplorare, qui hanc Ieſu Chriſti ſententiã in mediũ adferunt, vt ſeſe & alios in errore cõfirmẽt cõmentitiæ illius realis præſentiæ corporis eſſentialis Ieſu Chriſti in terris, alij quidẽ in ſuis hoſtiis per Tranſſubſtantiationem: alij in pane & vino ſacroſanctæ Cœnæ per Conſubſtantiationem; atque hi, ſi Deo placet, incredulitatem eandem nobis cum Thoma exprobrant; nimium peruersè & impudenter nos calumniati. Nam, Dei gratia, nullus eſt in Chriſtianorum ſymbolo fidei articulus quem non vt veriſſimum admittamus, etſi nihil eorum quæ credimus in oculos vnquã incurrerit. Ac proinde meritò ſumus in eorum numero conſendi quos Ieſus Chriſtus beatos pronuntiat, vt qui crediderimus quod non vidimus. Verùm poſcimus à Tranſſubſtantiatoribus & Conſubſtantiatoribus vt doceant nos iſtis vocibus, Credendi quod non videris, hominibus licere quidlibet cõminiſci, cui ſit adhibẽda fides tanquam vnicæ Dei veritati: aut priuſquam incredulitatis nos condemnent, oſtendant Ieſum Chriſtum præditum eſſe vero corpore, eóque tamen, quod neque in aſpectũ cadere, neque manibus cõtrectari poſſit, aut vlla corporis dimenſione circũſcripſi,

Falsò hic locus adfertur ad confirmanda ſomnia Tranſſubſtantiatorum & Conſubſtantiatorum.

& in cœlos ascendere perinde esse atque ex ex visibili factum esse inuisibilem: ac è cœlis vltimo die reuerti, idem esse atque ex inuisibili fieri visibilem: denique Iesum Christū habere corpus non corpus: &, vt vno verbo dicā, pro Christianis oportet nos in miseros illos Eutychianos transformari, qui confundunt proprietates essentiales duarum naturarum: atque adeo sensu communi priuatos, duas contradictorias simul & in eodem subiecto veras facientes: quod tā in vera Theologia, suis principiis nixa, falsum est, quàm in communi ratione, & omnibus humanis scientiis.

Vsus generalis totius superioris historiæ.

Denique vt hanc historiam concludamus, hinc quidem agnoscamus quàm sit misera nostra natura vel in ipsis regenitis: & quò vsque prolabamur dum nobis ipsis indulgemus, vt de incredulis pertinaces euadamus, nostræque perditionis instrumenta, nisi miraculosè pereuntibus Deus opem ferat. Inde verò consideremus quàm magna sit & quàm infinita patiētia & misericordia Dei nostri & veri Pastoris, oues aberrantes & se fugientes requirētis, & nunquam nisi repertis, & in gregem reductis quiescentis. Sed quò tantæ beneficentię fiamus participes, supplices eum precemur, vt eius simplici verbo fiamus dociles, liberè peccata confitentis & bonitatem eius magnificè prædicantes & extollentes, ac denique amplectamur vera viuâque fide hūc articulū resurrectionis Domini, à qua nostra salus depēdet, ac pleanm tandem fruitionem corpore &

re & anima, eorum quæ Deus nobis credendi
sperandíque gratiā fecit expectemus. Amen.



HOMILIA DECIMAOCTAVA.

Ioh.20.

30. *Multa vero alia signa edidit Iesus in discipulorum suorum conspectu, quæ non sunt scripta in hoc libro.*

31. *Hæc autem scripta sunt, vt credatis Iesum esse Christum Filium Dei, & vt credentes, vitam habeatis per nomen eius.*

Cap. 21.

1. *Postea patefecit se rursus Iesus discipulis ad mare Tiberiadis, patefecit autem sic.*

2. *Erant simul Simon Petrus & Thomas qui dicitur Didymus, & Nathanael qui erat ex Cana Galileæ, & filij Zebedæi, aliíque ex discipulis eius duo.*

3. *Dicit eis Simon Petrus, Abeo piscatum. Dicunt ei, Imus & nos tecum, Profecti sunt, & ascenderūt in nauigiū statim, & illa nocte nihil ceperūt.*

4. *Mane autem iam exorto stetit Iesus ad littus: non tamen cognouerunt discipuli Iesum esse.*

5. *Dicit igitur eis Iesus, Pueri, nunquid obsonij habetis? Responderunt ei, Non.*

6. *At ille dicit eis, Iacite rete in dexteram nauigij partem, & inuenietis. Fecerunt ergo, & non amplius valebant illud trahere præ multitudine piscium.*

7. *Dicit ergo discipulus ille quem diligebat Iesus, Petro, Dominus est. Simon ergo Petrus quum audisset Dominum esse, amiculum succinxit (erat enim nudus) & abiecit se in mare.*

8. *Alij verò discipuli nauigio venerunt (non enim longè aberant à terra, sed circiter cubitis ducentis) trahentes rete [plenum] piscium.*

9. *Vt autem descenderunt in terram, vident prunas positas, & piscem impositum, & panem.*

10. *Dicit eis Iesus, Adferte ex piscibus quos modò cœpistis.*

11. *Ascendit Simon Petrus, & traxit rete in terram plenum magnis piscibus, centum quinquaginta tribus: & quum tot essent non est fissum rete.*

12. *Dicit eis Iesus, Venite, prandete. Nullus autem discipulorum audebat eum interrogare, Tu quis es? quum scirent Dominum esse.*

13. *Venit ergo Iesus, & accepit panem, & dat eis, & piscem similiter.*

14. *Hac iam tertia vice patefecit sese Iesus discipulis suis, quum resurrexisset à mortuis.*

Cur Dominus toties & tam expressè domesticis suis discipulis apparuerit.



ACTENVS Euangelistæ nobis recitarũt quomodo Iesus Christus eodem suæ resurrectionis die, & iterũ octiduo post, discipulis suis videndũ & agnoscendum se præbuerit, tum vndecim illis præcipuè, tum preter eos aliquot aliis ex quo primo die vsque ad vltimum eius ascensum in cœlos triginta octo interfluxerunt dies. Act. 1. 3. quorum spatio minimè dubitandum est quin sese

multis

multis conſpiciendum præbuerit,& variis locis,quemadmodum Apoſtolus teſtatur.1.Cor. 15.5.6.& 7.quę apparitiones quum non ſint ſigillatim ab Euangeliſtis præſcriptæ,quemadmodum ſuperiores,& quæ proximè ſequitur, noſter Euangeliſta hic duos illos priores verſiculos contextus quem explicãdum legimus, interiecit,vt qui de aliis apparitionibus mentionem audirẽt fieri, quàm de iis quæ ſcriptis erant mandatæ, minimè putarent fuiſſe confictas.Sin quærat aliquis, cur igitur ſequẽtem recitare,& quidem pluribus voluerit:aio propter quaſdam inſignes circunſtantias factum id eſſe,quæ maximè propriæ fuerunt Apoſtolatui,ſicut deinceps viſuri ſumus. Adde fuiſſe tertiam,quæ ſi non omnibus illis duodecim, ſaltem eorum parti maximè contigit , vt quos oporteret maximè prę reliquis de Domini reſurrectione certiores fieri,quam toti mundo patefacerent,& perſuaderent, non tantùm ex aliorum auditam narratione,ſed cuius ipſi teſtes eſſent oculati.

Veriſimile fit etiam apparitionem illã, quæ ſequenti capite continentur, fuiſſe velut vltimam,& aſcenſionis ipſius diei proximam : & interim Euangeliſtam oſtẽdere voluiſſe nobis finem & vſum omnium præcedentium manifeſtationum, quæ in vrbe Hieruſalem contigerãt,quarum hæc poſtrema fuit finis & clauſula : atque etiam veluti concluſio totius hiſtoriæ eorum quæ Ieſus Chriſtus dixit & fecit in hoc mundo,in illũ diem vſque quò à nobis

Cur hanc concluſionem Euangeliſta ſuperioribus manifeſtationibus ſubiecerit.

hinc in cœlos abiit. Et hoc quidem nominatim monitum volui, ad prophanorum quorundam hominum audaciam arguendã, quos non puduit ſcribere hos duos verſiculos in Euangeliſtæ contextum irrepſiſſe, aut hoc loco tranſpoſitos, qui ſub finem ſequentis capitis meliùs inſeri poſſe videantur.

Quæ ſigna coniuncta fuerint à Iesu Christo cum his apparitionibus.

Vt autem ad noſtri contextus expoſitionem reuertamur, Euangeliſta non dixit ſimpliciter Dominũ aliàs multoties diſcipulis apparuiſſe, ſed alia multa ſigna edidiſſe in diſcipulorum ſuorum conſpectu: quod meo quidem iudicio, multi perperam expoſuerunt, quaſi Dominus, quum Thomam eſt alloquutus, tunc alia multa extraordinariè feciſſet præter ingreſſum illum ianuis clauſis, quódque Thomã ſic alloquutus, oſtenderat nõ opus eſſe ſibi quopiam ex quo diſceret, quid ſe abſente homines dicerent, cogitarent, ac facerent, verum certè diuinitatis teſtimonium, quod noſter Euãgeliſta diligenter obſeruauit, iam inde ab ipſo tempore primi miraculi, Iohan. 2.24. fuiſſe animaduerſum à Nathanaële. Iohan. 1.49. & 50. Hæc igitur potiùs ad alias apparitiones, quæ, vt diximus, ſpatio dierum illorum triginta octo contigerunt, referenda ſunt, & aliorum etiam quam vndecim diſcipulorum reſpectu. Phraſi autem illa loquendi docemur Domino in illis ſuis apparitionibus non fuiſſe propoſitum ſimpliciter docere ſuam animam iterum hac reſurrectione coaluiſſe cum hoc ipſo corpore quod crucifixum & ſepultum

fuerat

fuerat: ſed etiam monere diſcipulos minimè ſe rediuiuum eſſe rurſus cum ipſis in terris victurum vt antea: ſed cœlorum poſſeſſionem accepturum, ibíque vitam longè ab hac terreſtri diuerſam, cœleſtem nimirum & æternam victurum, licet in quadrageſimum vſque diẽ integram ac plenam eius poſſeſſionem reiecerit, & hoc ipſorum infirmitati conceſſerit, vt cum ipſis ederet ac biberet. Quamobrem cũ his apparitionibus ſemper addidit teſtimonia tam ſuæ Deitatis quàm nouarum qualitatum eius vitæ, cuius per reſurrectionem erat poſſeſſionem adeptus: veluti cùm ipſis tam repẽtè apparuit, itidémque diſparuit: quum tenuit ipſorum oculos, vt ex facie non agnouerint, & cætera id genus, quæ noſter Euangeliſta voce illa ſignorum deſignauit.

Summa fructus quem ex reſurrectione colligimus.

Quò referenda ſunt quæ noſter addit Euangeliſta nempe fructus & vſus articuli reſurrectionis Domini ſatis comprobatæ, tam præcedentibus apparitionibus, quàm ea quæ ſequẽti capite deſcribitur: & tribus capitibus ea comprehendimus. Primùm, vt Ieſum illum credamus eſſe Meſſiam & Chriſtũ promiſſum in Lege & Prophetis: quod verum non eſſet, niſi propter noſtras offenſas eſſet mortuus, & ſuſcitatus propter iuſtificationẽ noſtri, Rom. 4.25. Alterum, eſſe ipſum verum Dei Filium, & verum Deum, vt verus homo eſt, quod hæc hiſtoria clarè patefecit, prệter ea quę tota vita ſua dixerat & fecerat. Tertiũ horũ omniũ finẽ eſſe, vt reipſa ſolus ſit & agnoſcatur verus Ie-

ſus, id eſt vnicus Seruator omnium in ipſo credentium, & nullus alius, nec in totum, nec ex parte.

Et horum quidem Euangeliſtæ verba ſatis, perſpicuam fidem faciunt, ac proinde vel ſolus hic locus plurimum valet ad refellenda quæcunque ſpiritus erroris potuit ac poterit vnquam aduerſus veram Deitatem dogmata fingere, vel contra veram vnionem duarum naturarum in vnica perſona, vel contra officium huius vnici noſtri Mediatoris aut Redemptoris: à quibus hæreſibus vtinam Deus nos vnà cum tota ſua Eccleſia ſemper, hoc præſertim corruptiſſimo ſeculo, defendat & aſſerat.

Falſiſſima & impudentiſſima applicatio huius hiſtoriæ ad primatum Romanum.

Accedamus ad ſequentem hiſtoriam, cuius partes duæ ſunt, vna eorum quæ ante cibum, altera eorum quæ poſt cibum contigerunt, quarum vtramque noſter Euangeliſta copioſè per ſecutus eſt habita ratione circunſtantiarum omniū, tum temporis, tum loci, tum perſonarū, tum ſingulorū dictorū factorúmque: quorum omniū idem eſt finis atque ſuperiorum in genere: ſed nominatim, quędam continēt propria & ſpecialia duobus ex illo numero duodenorum diſcipulis, Petro & Iohanni, dilecto diſcipulo, quod ex ipſa contextus ſerie ſatis eſt cōſpicuum: at non ex opinione falſiſſima eorum qui ſibi & aliis perſuaſerunt ſua ſomnia, putà Chriſtum, quemadmodú in priore illa ſuperiore apparitione, abſente Thoma, ſuos Apoſtolos inſtituerat, ſic hac tertia manifeſta-

nifestatione generalem & vniuersalem in terris vicarium ordinasse, qui suo nomine totam Ecclesiam regeret & administraret, perpetua successione, quorũ primus Petrus electus sit, ex promissione Petro facta. Matth. 16. 18. cùm illi claues Regni cælorum se daturũ, suámque Ecclesiam super ipsum ædificaturum, pollicetur. O impudens mendacium! totique historiæ Euangelicæ & Actorum Apostolicorum tam contrarium, vt non indigeat vlla refutatione, nisi spiritus erroris vis & efficacia sic paulatim inualuisset, vt pedetentim huic substrato fundamento sedem illã abominationis superstruxerit. Sed ista pluribus persequendi locus erit cõmodior, in huius historiæ parte secũda.

Quomodo & qua occasione hi discipuli susceperint illud iter in Galilæam, quum tamẽ Hierosolymis manere iussi essent.

Vt dicamus igitur de priore parte, primùm occurrit quædam difficultas, quam alibi iam attigimus & explicuimus, quid nimirum impulerit discipulos ad eundum in Galilæã, contra Domini mandatum, quum primò ipsis apparuisset, Luc. 24. 49. quo iubebantur manere Hierosolymis, donec induti fuissent virtute ex alto: quod demum die Pentecostes impletum est. Respondimus vocem illam Manendi idem significare atque domicilium & habitationem habere, non autem certo cuidam loco sic adhærere vt ne mouere inde te vspiam possis. Ac proculdubio statim perfecto illo in Galilæam itinere, manifestatione Domini quæ hic recensetur, discipuli Hierosolyman confestim redierunt, vt facilè colligitur ex iis quæ Luc. 24. 50. memorantur. Ve-

rum tamen vrgente quopiam negotio septem hi discipuli videntur ad hoc iter suscipiendum impulsi. Quòd verò saltem ex isto numero quinque discipulorum quatuor erant Galilæa oriundi, Simon Petrus, duo filij Zebedæi & Natanaël Iohann. 1.44. Matth. 4.18. & 21. & statim atque venerunt in Galilæam piscari cœperunt, facilè colligitur discipulos Hierosolymis quadam penuriâ laborãtes, hos vel propter priuata negotia, vel ab aliis missos (qui secundum Domini mandatum Hierosolymis manebant) in patriam excurrisse, sibi victum aut necessaria quæsituros. Quamobrẽ non leui iniuria grauarent hos discipulos, qui existimarent ipsos oblitos Legationis illius cuius à Domino munus acceperant, (iam tum etiam ipsis data sui Spiritus abundãtia, tantisper dum expectant reliquorum impletionem) Apostolatui renuntiasse ad pristinam artem reuersuros: futura illa discessione valde contraria illi animi non temerariæ sed sanctissimæ alacritati, qua vocãtem ipsos Dominum erant sequuti, & deinceps perrexerãt, quam ob rem etiam à Domino laudantur, Matth. 19.27. & 28. quum præsertim capto Domino sic diffugissent, Matth. 26.56. vt nihilominus omnes in vnum coacti sint ac coierint in vrbe Hierusalem, sicut in historià primi diei Dominicæ resurrectionis audiuimus.

Quomodo quod Deo dabimus officium, sit

Quod verò hi discípuli rebus suis consulerunt ad piscationem reuersi, nihil præter officiũ ipsos fecisse dicimus, eo quo diximus modo.

do. Primùm enim istud in genere dici potest ac debet, Euangelio non aboleri officia œconomica graduum societatis humanæ: sed contrà eò vsque confirmari vt doceat mutuum officium omnium in familia graduum, & dicantur ij deteriores infidelibus, & fidem abnegasse, siqui domesticis non prouident, 1. Tim. 5. 8. Verùm hæc adiicienda, Dominum ostendere modum qui sit adhibendus in huius domesticæ rei cura: is autem positus est in paucis istis vocibus, Quærite primùm regnum Dei, & cætera omnia vobis adiicientur. Nam si ab istis factum erit initium, (contrà quàm solet vulgus hominum) prospera omnia futura sunt, quòd zelo gloriæ Dei duce, vera sapientia regātur omnes cogitationes & actiones eorum qui ad hunc scopum collimāt, à quo fecerint initium, & in quo pede indefesso perrexerint. Ex qua scientia discitur, quid cuique facto sit opus, quum primum illud caput, quod officiū nos docet erga Deum pulchrè conuenit cum secundo, quod ad officium erga homines spectat. Contrà, quid agendum istis inter se tam malè cōsentientibus, vt alterū alteri cedere sit necesse. Sic Abrahamus quum Deo parêre & in patria remanere nō posset, patria sua & reliquis omnibus posthabitis ducem Dominū secutus est. Et ne remotiora exempla quæramus, quum nec Andreas, nec Petrus, nec filij Zebedæi possent Iesum Christum, vt iubebantur sequi, & artem suam simul exercere, illam vt Christum sequerentur abiecerunt: sic

proximis officij debiti regula in cuiusque vocatione: duobus istis inter se cohærentibus. Nam alioqui vel tantillum discrepantibus vt Deus offendatur, cessat omnis mutui officij obligatio.

Matthæus telonium reliquit: quam ipse deinceps Dominus omnibus ipsum secuturis regulam præscripsit. Matth. 19. 29. & quidē expressis verbis, Luc. 9. 62. quod ipsemet suo docuerat exemplo, inde ab ætatis anno duodecimo, Luc. 2. 49. & deinceps, ex quo directè munus suum exequi cœpit. Luc. 2. 4. & iterum respondens iis à quibus interpellabatur & dicētibus illum quæri à patre & fratribus. Matth. 12. 46. 58. Hic verò quo à Satanæ fraudibus nobis caueamus, sæpè maxima vita tegentis obtentu virtutum, duo sunt nobis præcipuè consideranda. Primùm, vt alterum alteri cedat ob causam sanctam, iustam & necessariam. Alterum vt bono & recto fundamento nixa conscientia cedamus iis quibus cedimus: qua in re Iesu Christi & Apostolorum ipsius exēplar nobis proponamus imitandū, quo nullū aut hac in re aut in vlla alia tutius habere vel expetere possumus ac debemus. Itaque Iesus Christus dum adueniret tempus quo totus incumbere debebat in susceptum à se officium Mediatoris inter Deum & homines, mansit cum matre sancta Virgine, & Iosepho, qui pater eius habebatur ab ignaris mysterij nostræ salutis, & erat ipsis subiectus, Luc. 2. 51. etsi maturè præmonitos voluit, non fore hunc illius statum diuturnum. Et hoc ipsum eis reipsa confirmauit, à primo miraculo quod edidit in Cana Galileæ: à quo tempore non destitit obambulare, velut abiecta omni matris & omnium aliarum istiusmodi rerū cura. Act. 10. 37. & 38. quū non

non habeat, inquit, Filius hominis vllum locũ vbi caput inclinet, id eſt proprium in quo maneat domicilium. Luc. 9.58. quod nimirum vtrumque ſimul, vt antea, non poſſet officium implere.

Nihilominus tamẽ patet ex hiſtoria, Ieſum Christum, quem falsò ſibi patronum vendicát, Mendici illi Monachi fratres, certũ quodda habuiſſe domicilium, primùm Nazarethę, deinde verò Capernaumi. Matth. 4.13. vbi minime dubium eſt quin eius curã habuerit, cuius ne in agone quidem horrendæ mortis memoriam depoſuit. Matth. 19.26. Quapropter quod Dominus dicit apud Lucam 14.26. de odio habendis patre vel matre, vxore, liberis, fratribus & ſororibus, vitáque propria propter ipſum, non ſimpliciter intelligenda ſunt, quaſi odio habẽdi ſint quos Deus & ſenſus communis nos amare iubent, niſi deteriores eſſe volumus infidelibus. 1. Timoth. 5. Verùm his dictis exprimitur, officio noſtræ vocationis erga Deum oportere quælibet alia officia quibus alij aliis deuincimur, atque adeò nobis ipſis naturaliter, lõgè poſtponi, & quidem huc vſque vt parui faciamus ſine vlla exceptione, quæcunque nos à Dei cultu poſſunt auertere: quo nomine tantopere laudatũ Leui legimus, vt etiam ſacerdotium adeptus ſit, Exod. 33.29. quod figurata locutione Dominus ſignificat, Matth. 16.23. & Apoſtolus explicat perſpicuè & dilucidè. 1. Cor. 7.29. & 31. Sic domeſtici Domini diſcipuli ſtatim à prima vo-

Quomodo intelligendum Domini mandatum de patre, matre, vxore, liberis ad ſequendum Dominum, relinquendis.

catiõne familias reliquerunt: & quasi non habentes fuerũt: nec enim manere domi poterãt, & eũ à quo vocabantur continuò ſectari. Neque verò tamen dubitandum eſt, quin ij qui patrem aut matrem, aut familiam habebant, ſemper teſtati ſint, quãtum fieri potuit ac debuit, ſic tamen vt ne Chriſti vnquam ab oculis, vt ita dicam, recederent, Ieſum Chriſtum non abolere mutua officia, quę natura ipſa dictat, & Lex ipſa Moſaica pręſcribebat, quam ſua traditione Phariſæi peruertebant. Marc. 7. 11. & 12. Ita verò ſe rem habere vel ex eo patet, quòd Apoſtoli fungentes officio, cui omnia, vt par erat poſtponebant, vxores etiam ſuas circumducerent. Quid ſi dixerimus hos diſcipulos oblatam occaſionẽ arripientes, ac prævidentes quid ſibi legatione illa muneris Dominus impoſuiſſet (etſi nondum planè commiſſum ſibi munus intelligebant) hoc iter ſuſcepiſſe familias inuiſuros, & illis prouiſuros, nihil abſurdum, nihílque non valde veriſimile dixerimus. Quid igitur iſtud factum habet commune cum Votis Monaſticis, & Mẽdicorum illorum ordine, qui non quidem vt apes illæ mellificæ, ſed vt muſcæ liguriunt & helluantur pinguiſſima quæque & omnia ſuo cõtactu fœdant, nec tamen erubeſcunt impurã illam & otioſam vitam ſuam, vitam Apoſtolicam nominare? Nam quòd ad eos qui concionantur, præterquàm quòd verè ſunt attrati Baalam, vt eos Prophetæ vocant, à quo ad munus iſtud, niſi à ſpiritu confuſionis vocati ſunt?

ſunt? An enim ignorant, veteres Monachos, hodiernis diſſimillimos, pro Laicis & priuatis hominibus habitos fuiſſe, atque adeò monachum manibus non laborantem fuiſſe pro fure habitum?

Sed præter ſuperiora illa Chriſtianis omnibus communia, quatenus quemque Chriſtianum oportet res omnes ſecundum ſuam vocationem, officio quod Deo debēt poſtponere, notandum iſtud diligenter hic Apoſtolos dici piſcatum rediiſſe, quod fortaſſe parū conueniens eorum muneri videri poſſit, etſi non ea mente vt in poſterum piſcatoriam artem exercerent. Ac ſanè ſiquis Eccleſiaſticus, vt noſtri Catholici Romani loquuntur, hodie manibus ſuis opus aliquod mechanicū exercuerit, magnū admiſerit piaculū, etiā ab Officialibus puniendū. Et, vt quod res eſt fatear, adeò quidē pinguē aqualiculum & propēſo ſexquipede extantem habent, vt non opus ſit eos laborare. At longè maius piaculum fuerit, quo vel totus orbis concutiatur, ſi fortè contingeret eum, qui euectus eſt in tam ſublimem dignitatis gradum, ementita DD. Petri & Pauli ſucceſſione, faceret quod hic Petrum, propter allatas à nobis ſuperius rationes, feciſſe legimus: multò magis ſi ſequeretur exemplum Apoſtoli in medio ſanctiſſimi & laborioſiſſimi ſui Apoſtolatus curſu, victum ſibi & quibuſdam qui cum ipſo erant manibus parātis. Act. 18.3. & 20.34.

Quouſquè & quomodo labor manuum & ſacroſanctum miniſterium non ſimpliciter inter ſe pugnant.

Quorſum hæc verò dicat aliquis? Annon

Contrariis obiectionum

bus ſpendetur. enim oportet vocationum eſſe diſtinctionem? qui ſeruiunt altari, de altari viuere? ſacroſanctum miniſterium eſſe in honore & pretio? Paucis ad hæc omnia reſpódeo, munus adminiſtrandi Verbum Domini naturâ ſuâ & ſubiecti reſpectu quàm lógiſſimè differre ab huius mundi negotiis: quamobrem etiam Dominus noſter rogatus erciſcundæ familiæ iudex eſſe recuſauit, Luc.12.14. ac de terrenis Dominationibus loquens, non modò illas diſtinxit, ſed etiam aliter quàm ſub Lege ſeparauit. Matth.20.25. Adde munus iſtud tã onerofum eſſe, vt ſtrenuiſſimus & gnauiſſimus quiſque, multis tamen paraſangis ab eo, vt illud obeat diſtet, licet omnibus huius vitæ negotiis vacuus. Admitto cum Apoſtolo ſpiritualium ſementem facientes, poſſe nihilo inferiore iure metere carnalia, quàm mercedem poſtulare mercenarij.1.Cor.9.11. Agnoſco Domino deberi in ſancto ſuorum maximè fidelium ſeruorum miniſterio maiorem reuerentiam quá vlli terreno Regi vel Principi à ſubditis debeatur, ex ipſius Domini verbis. Matth.10.40. teſte etiam horrenda illa vindicta qua Prophetæ quondam vltus eſt côtemptum, 2.Reg.2 23. Hæc, inquam, omnia, lubens admitto, & aio eos qui inexcuſanda malitia & ingratitudine, miſeros Paſtores in eam neceſſitatem adigût, vt manu ſibi victum quærãt, indignos eſſe nomine Chriſtianorum: & multò magis eos qui Dominum in ſacroſancto ſuorum ſeruorum miniſterio contemnunt. Abſit tamé inde con-

cludam

cludam, laborem vel ingenij, vel manuum, cũ ministerio prorsus non posse conuenire, modò non is sit labor quò à ministerij exercitio ministri auertantur, aut illius laboris cui incumbitur naturâ aut indiscretione, aut alio quolibet affectu sacrosancto ministerio contrario. Nam contrà Pastorem in has angustias redactum, & à ministerio nõ recedentem, aio laude summa dignissimum. Itidem dico posse quempiam legitimè vocari ad sacrosanctum ministerium, aut ab arte mechanica, aut ab officina, aut ab aratro, sicut olim Elizæus. 1. Reg. 19. 19. aut sicut Amos ille bubulcus, & agrestes ficus colligens. Quod tamen sic dictũ putate, vt quum res bene sunt cõstitutæ, literatos homines & eruditos, & aliũde bono testimonio ornatos illis præferri posse ac debere, tãquam magis idoneos nemo dubitet. At quum ordo in manifestam confusionem trãsformatus est, sicuti Domini temporibus cõtigit, quum abiectos illos piscatores elegit, & tabernaculorum opificem ad mundi totius superbiam debellandam: ac ij qui Architectorum & ædificantium titulo gloriantur præfracti sunt, & domus Domini destructores sunt, quis Dominum impediet quominus eligat quos libebit, & hominum vilissimos & abiectissimos quosque, ad superbiam mundi deprimendam & confundendam, mittat? 1. Corinth. 1. vers. 26? Nam, quum sic ipsi visum est, mulieres elegit quibus homines pudore suffunderentur, & mirabilia in medio populi

ſui operaretur, teſte Debora. Iud. 4. 5. & Holda. 2. Reg. 22. 14. Benedictus verò Dominus Deus noſter, qui noſtris temporibus in multis regionibus & regnis idem effecit, per multos fidiſſimos & excellētiſſimos ſeruos ſuos, quos nemo, niſi immeritò, ſpiritu alio quàm Dei ductos fuiſſe dixerit: vt non propterea tamen liceat vlli ſacroſanctum ordinem, ex Dei verbo inſtitutum de vocationibus & mediis ordinariis violare.

Nemo magis ſuperius dictorū reus quàm Catholici Romani qui nobis eadē obiiciunt.

Contrà, quínam, obſecro, magis impudenter abutuntur obiectionibus hactenus allatis quàm qui non erubeſcunt eas nobis opponere. Nam ſi vocationem ſpiritualem oportet diſtingui à dominationibus & occupationibus temporariis, ne cum iis miſceantur, vnde fit vt boni iſti Paſtores abuſi munerum ſpiritualiū obtentu ad inuadēdas Dominationes & Principatus huius mundi, ſola ſpiritualitatis huius nomina & laruam retinuerint, vt temporalē poteſtatem, Regibus ac Principibus ereptam ſibi reſeruarent? Quî fit quòd ipſis intolerandum videtur, vllum de Eccleſiaſticorum cœtu, quem vocant, mechanicam vllam artem exercere, & tamen ambiunt primos gradus dominationum terrenarum, & iiſdem honoribus coli volunt? Et quo iure cultum altaris iactitant, quem maxima pars illorum ignorat, ac de quo nunquam cogitauit? & cuius etiam maximam partem eorum pudet? Quo iure de altari Domini gloriantur, quod in altare Damaſi transformarunt? Nam Chriſtianorum

altare

altare ministerij respectu pulpitum est veritatis. Honorem verò sacro ministerio debitum quòd attinet, prçterquàm quòd propriè consistit in eo, vt fideles sese tum verbis tum re ipsa ex animo præbeant morigeros iis quæ à fidelibus Domini seruis eius nomine proponuntur, deinde in externa quadam reuerentia & honore, qué meritò sibi vèndicat tam sanctū & eximiū munus in quo Dei Filius repræsentatur, proh dolor! nōne tristi & infausta experiētia doctos esse nos oportet maius in excessu quàm in defectu esse periculum? Et hoc saltē decebat ex ipsius Petri exemplo. Act. 10. 25. & 26. Reuerendissimos illos didicisse, & monstrū illud in primis, quod crepidam suam maximis quibúsque Imperatoribus osculandam porrigere non erubescit, vino scortationum inebriatis, donec Deus meliorem illis mentē reddiderit.

Sed ad historiam reuertamur, in qua dicuntur hi omnes, inuitante Petro, piscationi operam dedisse, & ita quidem vt quum totam noctem laborassent, nihil tamen cœperint: quæ fuit ad sequens miraculum præparatio, quo Dominus voluit hāc apparitionem insigniorem esse: sicut etiam eo quòd paratum prandium tam extraordinario modo repererunt: tum quòd rete non scissum est, licet plenum cētum quinquaginta tribus magnis piscibus: ex quibus eruenda sunt nobis plurima capita doctrinæ & consolationis, omissis allegoriis quas nullo fundamento quidam hic innume-

rum horum piscium somniarunt.

Extraordinaria piscatione Iesus Christus suam Deitatem probauit.

Primùm igitur consideremus hoc miraculo Dominum testatum fecisse nō modò mortem de sua potentia nihil detraxisse, vt iam contrà ingrederetur in possessionem summæ illius potentiæ & dominationis quam in cœlo & in terra, exuta infirmitate carnis, adeptus est. Nam iubente Domino rete ipsos in dextrā nauigij partem iacere, virtute Domini pisces in rete delapsi sunt morem ei gerentes, quæ diuina Iesu Christi virtus simili miraculo iam antea facta fuerat conspicua. Luc.5.4.& 8.

Non fortuitò labitur præda in venatorum casses.

Hinc verò discendum nobis in genere, licet Dominus homini in animalia terrena dominationem permiserit, quam auctoritatem Dominus à diluuio renouauit & ampliauit, facta homini potestate illis in victum vtendi. Gen. 9.2.& 3. sibi tamen primo Deum eorum proprietatem reseruasse: deinde summam rerum omnium creatarum dispositionem, quarum ne minima quidē in terram decidit sine Creatoris speciali voluntate & decreto. Matth.10. 29. Non igitur temere aut fortuitò, sed singulari Dei bonitate & liberalitate prēda cadit in venatoris casses: quod pulchrè Iacobus didicerat, qui à patre interrogatus, quînam ita repentè inuenisset quod ipse venationem arbitrabatur, Iehoua Deus tuus, inquit, fecit vt mihi occurreret. Genes.27.20. Idem Petro quoque ad didrachma persoluendum, ex Domini mandato contigerat. Matth.17.27.

Quantus

Quotiescunque contingit igitur onustas

mensas

mẽſas bonis Dei rebus creatis nos intueri, ſaltem cõſiderare tunc nos oporteret, aues in aëre volantes, piſces in aquis natantes, tot animalia in terris repentia, nec in forum, nec in manus noſtras, nec in menſas fortuitò venire: ſed nobis liberali manu Dei noſtri concedi & immitti. Quæ conſideratio doceret nos etiam earundem vſum rectum in omni ſobrietate cum gratiarum actione; ſicuti contrà parùm de hac liberalitate & donatoris egregia volũtate cogitantes dona illa ſic in ſeipſis retinẽt, & ſenſus omnes occupant, vt rectus eorum vſus in deteſtandum abuſum & condemnationem vertatur, Deo tandem illam ingratitudinem vindicante.

Fructus ex hac doctrina ſit nobis colligendus.

Multò magis quum de Dei donis ſpiritualibus & cœleſtibus agitur, quis aliunde ſibi cõtingere gloriabitur quàm ſingulari & ſpeciali Dei liberalitate, omnium bonorum auctore & donatore. Iacob. 1. 17. diſtributore, 1. Cor. 12. 11. & directore? Philip. 2. 13. Et huc quidem maximè Dominus hoc miraculo reſpexit, quo diſcipulis per hãc ſimilitudinem piſcium piſcationis repræſentauit, quantum in hominum piſcatione, quam erat ipſis pollicitus. Marc. 1. 17. promouerent.

Dominus factis ſuis Apoſtolis hominum piſcatoribus de piſcium piſcatoribus, nobis in hoc miraculo repræſentat verum exemplar Eccleſiæ Chriſtianæ.

Dominus itaque de piſcatoribus olim piſcium factis hominũ piſcatoribus in hoc miraculo expreſſit verum exẽplar Eccleſiæ Chriſtianæ ex huius mundi lacu vniuerſo colligẽdæ ipſorum reti, verbi inquam adminiſtratione mox ipſis committẽda. En igitur coram

Allegorica generalis expoſitio huius miraculi.

ipſummet auctorem & magiſtrum totius huius piſcationis: en operarios præcipuos quibus primum & potiſſimum vſus eſt: en denique piſces hac piſcatione collectos & ab aliis ſegregatos qui in hoc lacu ſorbēt iniquitatem vt aquam. Iob.15.16. id eſt, credentiū coagmentationum, quæ tres partes vna copulatę faciūt corpus illud myſticum, cuius vnicum caput eſt Chriſtus, ſuis omnibus męmbris dans vitam & motum, in quibus alij quidem ductores ſunt, alij ſinunt ſe duci, quæ quidem ad noſtram ædificationem hic nobis diſtinctè conſideranda ſunt.

Obſeruationes de Domino prout variè apparuit.

Hic vnus itaque Magiſter & Dominus, aliquandiu verſatus in hoc lacu, & verus piſcator, qui alios omnes piſcatores piſcatus eſt, adueniente tempore quo ex hoc lacu receſſurus erat in altum illud & firmum ſolium, apparuit in hac manifeſtatione non ſupra lacum in lacu, vt aliàs Mat.14.25. ſed ad littus, repręſentans, vt dixi, thronum illum pacatum & ſupra cœlos omnes euectum, ad quem portum tendunt piſcatores, in quo cum iis quos erunt piſcati placida quiete fruantur. Itaq; ſummus hic piſcator & Magiſter oſtenſurus ſe ab illis recedere, minimè quidem ipſos deſerturum, ſed contrà, quemadmodum ex ſolo gratuito Patris decreto deſcenderat in mundum, quo tēpore minimè omniū exſpectabatur, ita cœlitus gubernaturum & recturum, tam ipſos piſcatores quàm quos ipſi piſcarentur: & quidē ita coactos & cōſeruatos in exiguo & imbelli

reti in ſpecie, tuiturum in mediis huius lacus tempeſtatibus & procellis, & ad optatū portum tandem deducturum, in quo paratum ab ipſo ſolo prandium nanciſcantur, ſicuti præmonuerat Iohan.14. 2.& 3. & Patrem rogauerat.Iohan.17.24. quorum omnium cauſa vnica ipſius eadem infinita & gratuita bonitas. Quibus autem inſtrumentis iſta perficiuntur? Exteriore verbi ſui ſono, & interna ſua virtute & efficacia diuina, qua piſcatores hos de ipſo tunc non cogitantes excitauit & afflauit: quemadmodum quum orbem terrarum Euāgelicæ tubæ clangore percelluit, miſſis vndiquaque piſcatoribus iſtis, verè tantùm abfuit vt ab hominibus exſpectaretur, vt contrà præcipui inter diſcipulos maximè fluctuarent, Luc. 24.21. & familiariſſimis vix tum eius reditus tum hoc omne myſteriū perſuaderi potuerit.

De piſcatoribus verò notandum, primùm hic illos nobis exhiberi terrena qualitate piſcatorum piſcium, vt alia cœleſtis nobis ſignificetur piſcatorum hominum ad ſalutem. Obſeruandum deinde cœtum iſtum, qui ſeptem hominum fuit, quorum quatuor ex Apoſtolorum erant numero qui ſpiritualis ædificij ſub illo capite architecti erant futuri: tres reliqui ex diſcipulorum aliorum, Dominum voluiſſe nobis velut ante oculos ponere duos ordines operariorum, quorum opera erat in hoc opere ſuo promouendo deinceps vſurus: ſuſcitatis ex numero reliquorū ſuorum diſcipulorū *Obſeruationes allegoricæ de piſcatoribus.*

iis qui Apoſtolis ſeſe adiunxerant, tum vt materiam præpararent, cuius rei habemus exempla. Act.8.4.5.& 14.& 11.19 & 20.21.tum vt abſoluerẽt quæ Apoſtoli non poterant eodẽ tenore perficere: ad quod opus vſi ſunt iis maximè qui ſe comitabantur, veluti Timotheo 1.Tim.1.3.& Tit.1.5.& aliis quos D.Lucas nominat Euangeliſtas, Act.11.8. & Apoſtolus Epheſ.4.11.& ita diſtinctè ſolent Euãgeliſtæ vocari. Tertiò notanda hic electio Domini, tam quatuor illorum ex vndecim familiarium diſcipulorum numero, qui totum Apoſtolorum cœtum repræſentarent, quàm trium aliorum qui Euangeliſtas: nempe inter Apoſtolos primùm tres illos eoſdem quos ſuæ transfigurationis in mõte teſtes elegerat. Matth.17.1.& agonis extremi ſub horã qua captus eſt, Matth. 26.37.& quos nominatim coram aliis Apoſtolis commendarat, Petrum putà Matth.16.18. & duos Zebedæi filios Marc.3.17. quorum alterum amore ſpeciali cõplexus eſt, alterũ verò, Iacobũ nempe, dignatus eſt ea garia, vt cœtus illius ſui primitias oblationis eſſe voluerit. Act.12.2. Quibus hic Thomã adiici Dominũ voluiſſe ſit veriſimile, ne prior eius culpa eiuſdẽ Apoſtolatui præiudiciũ adferret; ſicut eandem ob cauſam, vt in hac hiſtoria videbimus, Dominus Petrum in priſtinum ſtatũ reſtituit, tribus cõfeſſionibus totidem abnegationibus oppoſitis. Tres verò reliquos quòd attinet, nobis ſatis ſit Nathanaelem, qui ſolus ex tribus illis nominatur, etſi non fuit ex illorum duo-

decim

decim domesticorum numero, testimonium retulisse omnium hominum excellentissimū, Iohan.1.47. Hic verò cauēdus nobis astus Satanæ, de quo paulò post dicturi sumus, quasi hæc donorum inæqualitas, gradum aliquem superiorem aut inferiorem constitueret in vno & eodem æquali Apostolatu, aut Euangelistæ functione, à qua cogitatione fidelissimi Dei serui procul fuerunt remoti, memoria repetentes doctrinam sui Magistri, Luc.22.25. vel ipsa Petri doctrina teste, à quo spiritum mendacem præueniente Domini Ecclesia maturè de hac ipsa re præmonita est.1.Pet.5.3.

Omnes hi piscatores sunt in vna & eadem naui, & vnum rete iaciunt & extrahunt vno consensu.

Quarto loco notandum, istos piscatores nō habere singulos singulas naues, sed in vna & eadem omnes naui fuisse, non eodem tamen omnes loco: ac non habere singulos suū proprium rete, sed vnicum, quod quisque iacit suo loco, tum in iaciendo tum in extrahendo mutuo consensu. Istis igitur aio nobis repræsentari vnitatem tam Ecclesiæ (licet ex variis membris collectæ) quàm Apostolatus, & Euangelicæ doctrinæ, sicut vnus Deus est, vnus Christus, vna fides & vnum baptisma. Cæterū apparitio hæc tā subita & inopinata eius qui totius huius operis initium est, tum efficientis causæ respectu, tum formæ exterioris & interioris, tum materiæ, tum denique omnium istorū finis, monere debuit hos piscatores maximum esse discrimen inter Apostolatum, & munera quæ vitæ huius propria sunt, quorum aut plerunque labor inanis est & irritus, aut

ſaltem ſimilis eſt auræ ſtatim euaneſcentis: ac proinde prorſus hanc piſcatoriam abiiciendã, vt alteri toti vacarẽt ſeriò magis quàm hacte- nus, quandoquidem præter id quod iam erant experti & faſſi in prima profeſſione, Luc.22. 36. ipſis ſuis oculis intuebantur hoc miracu- lo, Dominum tãtopere ipſorũ obediẽtiæ be- nedixiſſe, cõceſſa tam extraordinaria piſcium captura, quæ ſanè non ab ipſarum induſtria, nõ à labore proceſſerat, ſed ab eius vnius gra- tia, cuius mandato rete proiecerant, cum hac conditione, *Et inuenietis*. Hoc ipſum prodeſſe debuit ipſis, & ſine dubio valde profuit in A- poſtolatus exercendo munere quod nõ ex ſuę voluntatis arbitrio diſpenſarent, quaſi Domi- nus magnis illis & tam excellentibus promiſ- ſis. Iohan.20.21.& 23. abſolutam illis poteſta- tem tribuiſſet: & probaturus eſſet quicquid i- pſi probauiſſent: ſed contrà præterquã quòd ipſis commiſſi muneris executionem prorſus oportuit pendere & regi ab huius ſummi Ma- giſtri voluntate verbo eius expreſſo, priuatis etiam admonitionibus, quum ſic ipſi videre- tur, regerẽtur, quibus ſine exceptione morem gererent, cuiuſmodi ſpecialia multa nobis e- xẽpla proponuntur. Act.13.2.& 16.6.& 9.& 21. 13. Præterea miraculo illo ſunt edocti, & nos hodie docemur, quæ vera ſit obedientia, nẽ- pe quæ in vnicum Domini pręceptum fertur, perſpicuum id quidẽ & probè intellectum: ac deinceps conuenientiam inſeparabilem inter Domini mãdatum & huius retis iactum. Inde

viciſſim

viciſſim diſcendum nobis quantum diſcrepet tam vera obedientia fidelium, à vanis & ſtultis deuotionibus, quàm veri Paſtores, (in quorum rete qui dilabitur feliciſſimi ſunt) à falſis, quorum rete lethale cane peius & angue fugiendum eſt.

Obſeruationes allegorica de piſcibus.

De piſcibus verò coactis in iſtud rete, ſi bruta hęc animalcula, quę ſola Dei ipſis incognita prouidētia impulit in iſtud rete, ex Dei volūtate ceciderūt, quid iis fiet quibus hāc gratiā Deus conceſſit, nō tantùm vt ratione & intelligentia præditi ſint, ſed aures etiam habeant ad eum audiendum & cognoſcendum à quo in hoc rete conuocantur & cōcluduntur, minimè quidem in piſcatorum vſus, qui captos à ſe piſces conſumunt ac deuorant, ſed ad verā vitam, vnà cum piſcatoribus, adducendi, ab huius mundi ſordibus ſeparati, vti Dominus pari ſimilitudine totum iſtud adumbrat. Mat. 13.48.49. & 50. & ſicuti ſunt intelligenda quæ de puro frumento in aream Domini colligēdo ſcripta ſunt, Matth. 3.12? Annō igitur ipſos tantò promptiores & dociliores eſſe decet, vt veluti faciant impetum in ipſum, Matth. 11.12. ſiquidem qui vitam in eo profundit, reperit? Matth. 10.38. Verùm parū eſt iſtis piſcibus rete ſubiiſſe, niſi in eo permaneant, donec ad littus trahantur: quæ conſtantia quum grauiter oppugnetur eorum trepidatione qui reſiliūt, hoſtium potentiam cōferentes cum viribus admodum exiguis, aut potiùs nullis horum ita miſerè concluſorum piſcium, confugiendum

nobis est ad eius inuictam Omnipotentiam. qui piscatoribus & piscibus eam valde clarè & perspicuè pollicetur, qui capi se sinunt ab eo aduersus quem nullus dolus, nec vis vlla, quidquam potest: quum expresse pollicitus sit qui est ipsa veritas, se nullum foràs eiectu-rum eorũ quos Pater ipsi dedit, Iohã.6 37. qui nimirum ita sunt cum veris credẽtibus, vt sint ex eorum numero, ac proinde in hac fidelium coagmentatione manent. 1. Iohan. 2. 19.

Temerariũ Petri ingenium mutatum est à Domino in zelum ardentißimũ ad suos etiam condiscipulos confirmandos.

Cæterùm quędam peculiaria sunt huius historiæ capita non leuiter prætereunda. Nam Petrus quidem vt consuetam hic alacritatem & promptitudinem erga socios ostẽdit, quòd auctor ipsis huius piscationis fuerit, idem etiã præstitit in illa priore hominum piscatione, quum die Pentecostes tam intrepidè sermonem aggressus est inter συναποστόλους, Act. 2. 14. non ambitione sanè, sed quòd Dominus immutato naturali eius impetu temerario, Mat. 16. 22. & Luc. 22. 33. & 9. 33. in feruentissimum zelum & singularem constantiam & magnanimitatem, etiã ipsius ad reliquos discipulos cõfirmandos opera voluit vti, Luc. 32. 24. Hic idem ardor eum impulit, sicut aliàs nonnunquam, Matth. 14. 29. vt sancta quadam impatientia præuenire socios dum studet in lacum se proiecerit, natando ad Dominum accursurus, quum non sit verisimile, si vt aliàs super aquas ambulasset, id Euangelistã silentio fuisse præteriturum. Præterea notandum eũ fuisse veluti primum & præcipuum in extrahendo

fete ex aquis quod ex 11. versu colligi posse videtur.

Esto igitur, Petrus agnoscatur singularibus donis à Domino præditus præ reliquis Apostolis, quem etiã ipsi, teste tota Lucæ historia Apostolica, plurimi fecerunt, & honore debito coluerunt. Quin etiam admittamus actionibus Ecclesiasticis illũ sæpè præfuisse, & easdem administrasse. Nam reuera in omnibus consultationibus, ad vitandam ἀταξίαν, oportet aliquem præire qui rem ordiatur & cóncludat, & in Domo Dei præsertim ordine fieri omnia par est. 1. Cor. 14. 40. At non omnis ordo gradus est: nec propterea vnquam reperias Diuum Petrum in socios vllam aut habuisse, aut sibi arrogasse, auctoritatem, quorum vnus fuit communis & indiuisus Apostolatus, tantùm abest vt speciali ratione Iesu Christi vicarius, fuerit præ aliis, aut vniuersalis Ecclesiæ caput quod sine blasphemia dici non potest, detestãda potiùs quàm refutanda.

Dona Dei singularia in Petro ex singulari Dei bonitate nihil habent commune cum falsissimâ & blasphemâ dominatione, quæ illi tribuitur.

Verùm, vt Petrus ardentior in exequendo, non tamen in agnoscendo magistro fuit acutior. Nam discipulus dilectus Petrũ prior admonuit: qua in re conspicimus dona sua Deũ cuique, prout ipsi libuerit, admetiri, 1. Cor. 12. quo loco Paulus hác materiam pluribus persequitur: rectum vsum docet tum huius vniuersalitatis, tum inæqualitatis, quemadmodũ etiam Ephes. 4. 11. & 12. & 16. quo nimirũ quũ huius corporis Ecclesiæ, cuius Iesus Christus est vnicum caput singula peculiarem suam

Necessaria est donorũ Dei inæqualitas ad totius corporis augmentũ. Sed singulis membris nõ stantibus in ordine magna rerum inuehitur confusio.

functionem habeant,& mutuas operas omnia propter hanc diuersitatem & inæqualitatem requirant, vsus etiam & fructus in huius corporis vsum & incrementum. At quum hic ordo sanctissimus pedetentim tam miserè deformatus sit, minimè mirum est si miserum istud corpus monstrosum & informe à capite ad calces, effectum, à natiua & vera sua forma dignosci non potest. Nihilominus tamen Dominus istius corporis lacera membra semper conseruauit, donec diuina virtute paulatim coalescant, vt passim aliquod iam istius vnionis sentiamus effectum, prout operariorũ suorũ laboribus benedicit, vt verus iã eius vultus incipiat iis apparere, quos huius sæculi princeps nõ prorsus excæcauit, sicut Paulus loquitur, 2.Cor.4.3.& 4. tantisperdum pergat Dominus pro immensa sua misericordia suum inimicum oris sui Spiritu prorsus conficere, 2.Thess.2.8.

Cur agnitũ Dominum discipuli nõ ausi sunt vltro compellare. Et quousque nobis imitandus hic timor interrogandi Dominũ quum sese nobis offert.

Quædam porrò superest in hoc textu nobis difficultas, cur nimirum quum non eò vsque discipulorũ oculi retinerẽtur à Domino quin ab ipsis agnosceretur, nõ tamen ausi sint eum interrogare. Sed quum disertis verbis Euangelista dicat, illos sciuisse esse Dominum, satis apertè nos docet discipulos, minimè dubitãtes quin sciret Dominus se ab illis agnosci, & tamen se ab illo non audirent compellari, retẽtos fuisse Magistri reuerentia, ne sermonẽ ipsi priores ordirentur: quu tamen sit extra omne dubium Dominum tãdem apertè & planè se illis

illis patefeciſſe,ac eoſdem docuiſſe & pro more confirmaſſe: licet non quæcunque Ieſus Chriſtus dixit fecítue ſcriptis tradita ſint ab Euangeliſta,cuius rei deinceps rationem reddit. Nihilominus tamen, quãdoquidem noſtra fides eſt ex auditu, & auditus præſupponit doctrinam,ſiue nos prior Dominus alloquatur, ſiue mentem iniiciat illum interrogandi, ex horum diſcipulorum ſilẽtio duo nobis extrema fugienda diſcamus.Nam hinc quidem diligẽter eſt nobis cauenda,in ſalutis noſtræ negotio,negligentia,aut in indignitate & inſufficentia deſperatio,quin diligentiam adhibeamus in fide noſtra confirmanda, diligenti rerum credẽdarum inquiſitione, quò faciliùs ad noſtræ ſalutis portum appellamus. Quemadmodum enim nemo ſatis poteſt virium ſuarũ naturaliũ impotentiam agnoſcere: ſic contrà ſperãda ſunt omnia nobis ab eo à quo ſumus cõditi vt ipſum agnoſcamus, colamus & veneremur:cui ſancta etiam importunitas grata eſt,Luc.18.5.& 7.quum vt ait Dominus,violẽti regnum cœlorum rapiant. Matth.11.12. & hoc quidem nobis adumbrauit illa Iacobi cũ Angelo lucta,Geneſ.32.26.& Moſis oratio, Exod.32.10.& 32.quemadmodum etiam pulſantibus aperiturum ſe pollicetur.Inde verò Dominus omnes immundos & pollutos ſuæ domus limine arcet,pollutos,inquam,exterioribus pollutionibus Lege interdictis.Quãtò magis igitur hypocritas? ſuperbos & ſuis imaginariis meritis inflatos? prophanos & contem-

ptores aduersus quos iam dicta sententia est horrenda, Psal. 30? Inter duo extrema media est sancta audacia, gratuitis Domini nixa vocibus, & blandis inuitationibus, Venite ad me omnes qui fatigati estis & onerati, & ego faciã vt requiescatis, Matth. 12. 28. Inuoca me in die tribulationis, & eruam te, Psal. 50. 15. Petite & dabitur vobis, pulsate & aperietur, Luc. 11, 19. & similibus tota passim Scriptura, modò cor illud contritum adferamus, Psal. 51. 19. & Abrahami dictum imitemur, Gen. 28. 18 quod nos etiam edocet totus egregius ille Psal. 95. illius vnius nixi merito in quo solo grati sumus, Ephes. 1. 6. Denique demittenda & deiicieda capita, si volumus extolli, & in inferos vsque descendendũ, si cupimus in cœlos vsque euehi. Quicunque verò sic præparatus os Domini interrogabit, vbi nos ille alloquitur, nempe in sacrosancto suo verbo quod in Ecclesia proponitur, nunquam responso vacuus abibit.

Conclusio præcipuorũ fructuum quos ex hac historia nos par est percipere.

Denique vt hunc locum absoluam, hæc historia nobis à Dei Filio relinquitur instar thesauri inæstimabilis, non tantùm ex quo hauriamus tertium quoddam testimonium resurrectionis ipsius & virtutis expressius quàm superiora omnia: sed ex quo discamus vnde sacrosanctum ministerium pédeat: quomodo qui ad id vocati sunt, sese gerere debeãt, mutuas operas cõferentes: quomodo Dominus tam piscatores quàm piscãdi rationem & piscatos tueatur ac regat, quò confugiamus

omnes

omnes ad hoc rete, extra quod nulla est salus: cæteris hominibus in huius mundi aquarum gurgitibus & voraginibus sese mergentibus, & in vltimum exitium ruentibus: ac simus in eorum piscium numero de quibus in hāc sententiam Dominus alibi loquitur, Matth. 13. 47. quum non concludantur in hoc rete vt præda fiant ac deuorentur, instar ciborum corruptibilium huius mundi: sed contrà vt piscatores cum piscibus offerantur illi qui semel seipso, id est beatitate & felicitate, quam ipse nobis solus acquisiuit, tum piscatores ipsos, tum etiam pisces pascet, quod alia talétorum similitudine declaratur, Matth. 18. & longè clariùs in similitudine sementis collectionis, Matth. 13. 8. & 23. Vtinam verò Deus nobis hāc gratiam concedat, quibus Dei Filius iterum veluti renascens datus est, erutis ex tam immēsa & profunda idololatrię & superstitionis abysso, datis etiam nobis tam peritis piscatoribus, à quibus ex tā variis nationibus collecti sumus, veluti nostris oculis intuemur, vt in eius Ecclesiam confugientes sub sanctæ ipsius tutelæ prouidentia, tandem ad beatam illam diem perueniamus, in qua simul omnes tam piscatores quàm capti hac piscatione pisces Domini & Magistri nostri æternæ gloriæ cohæredes fiamus. Amen.



HOMILIA DECIMANONA.

Ioh.21.

15. *Quum ergo prandiſſent, dicit Simoni Petro
Ieſus, Simon, fili Ionæ, diligis me plus quàm hi? Di
cit ei, Certè, Domine, tu noſti quòd amem te. Dicit
Paſce agnos meos.*
16. *Dicit ei rurſum ſecundò, Simon, fili Ionæ, diligis me? Ait illi, Certè, Domine, tu noſti quòd amẽ
te. Dicit ei, Paſce oues meas.*
17. *Dicit ei tertiò, Simon, fili Ionæ, amas me?
Triſtitia fuit affectus Petrus, quòd tertiò dixiſſet ipſi, Amas me. Dixitq́ ei, Domine, tu omnia noſti,
tu noſti quòd amem te. Dicit ei Ieſus, Paſce oues
meas.*

Quàm reliquis omnibus functionibus ſit oneroſius ſacroſancti miniſterij munus, & quanto ſtudio ſuos diſcipulos Dominus inſtituerit.



TTENTE nobis humanæ vitæ munia & functiones omnes conſiderantibus, & earum cum ſacroſancto miniſterio Euangelij collationem inſtituentibus apparebit, hanc tantò illis oneroſiorem & ponderoſiorem quantum libra eſt vncia ponderoſior: ſiue conſideremus eam in ſe, quatenus ſtatum conſcientiæ reſpicit & vitæ cœleſtis, quum reliquæ res humanas & caducas ac fluxas tractent: ſiue eos quibuſcum eſt ipſi negotiũ cõtumaces & refractarios Euãgelicæ doctrinæ, Rom.8.7.& 2.Cor.3.5. ſiue Satanæ furores ac machinationes occultas, ſpeciatim aduerſus

eos

eos qui ad eius opera dissoluenda & eius imperium euertendum missi sunt, siue malignũ animum & desperatam rabiem satellitũ, quibus huius mundi Princeps abutitur: siue denique perpendamus quid ferat Domini præceptum, Renuntiandi sibi ipsi, quæ propria Christianorum est conditio, & qua in re decet istos operarios aliis exemplo præire. Non abs re igitur Dominus, quum pęnè per quadriennium eos erudiuisset, quorum opera volebat vti, velut architectorum in ponẽdis fundamentis huius ædificij. 1. Cor. 3. 10. se tam studiosè illis à sua resurrectione patefecit, & priuatim de rebus ad functionem suam pertinẽtibus instituit, sicut ex superioribus historiis didicimus, & in ea nominatim quam in manibus habemus, cuius quum prior pars sit à nobis exposita, ad alteram transeamus. Hoc autẽ ab illa priore differt ista posterior, quòd hæc sit propria & peculiaris Petro, licet singulos ex ea fructum percipere necesse sit: quum propterea Dominus hæc omnia dici ac fieri non priuatim & in occulto, sed palàm, videntibus & audientibus sex aliis testibus, fideliter rem totam reliquis narraturis voluerit. En autem huius occasionem.

Vidimus in historia passionis Domini, Petrum, qui tantum sibi virium arrogabat, tam abiecti animi fuisse vt terrena abnegatione Dominum negaret, ancillarum & famulorum voce perterritus, ad execrationem vsque: corde tamen aliud sentiente: vt lapsus sit infirmi- *Applicatiõ huius doctrinæ ad Petri personã.*

tate non odio, nec apostasia à Domino priùs apud se meditata: vidimus etiã à grauiore lapsu reuocatũ à Domino, statim excessisse domo Caiaphæ & amarè fleuisse: séque cæteris discipulis adiunxisse: testatúmque etiam inter reliquos discipulos se nihil minùs quàm Dominum obliuioni tradidisse, quem ipse Dominus etiam pristinę Apostolatus dignitati restituit. Ex quibus liquidò constat veram eius pœnitentiam fuisse Domino gratam & acceptam, ac proinde coram Deo deletum eius lapsum, licet grauissimum, fit nobis conspicuũ.

Iesu Christi scopus in hac histo-ria non fuit eligendi Papam, & totius Ecclesię Christianæ caput, sed suum Apostolum in Apostolatu redintegrãdi.

Non immeritò miretur igitur quispiã, quînam Dominus, quum nũquam parcat ex parte tantùm, sed peccata pœnitentiam agẽtium dicatur in maris profundum proiicere, ne vnquam veniant in eius cõspectum Miche. 7.19. iam vulnus istud refricare velle videatur. Idcirco spiritus mendacis conductitia mancipia libenter persuaserint, Dominum vti priùs Apostolatum instituerat cap. 20.21. nunc etiam in hac manifestatione in D. Petri persona (veluti ratum faciterẽ quod erat ipsi pollicitus,) Matth. 16. 18. Petrum instituisse & declarasse Apostolum suum & vicarium in vniuersum terrarum orbem. Ad quorum argumenta singula, quæ sibi ex hac historia visi sunt eruere, paulò post respondebimus. Notãdum interim ex interrogationibus quibus discipulum suũ Dominus cõpellat, vel omnium oculis perspicuè subiici, quemadmodum veteres interpretes hac in re nobiscũ consentiunt Domini

scopum

ſcopum fuiſſe, quum discipuli ſui præ cæteris omnibus opera vellet vti, eundem in priſtinum ſtatum redintegrare: & ſua diuina prudentia rem iſtam ſic adminiſtraſſe, vt tres illæ abiurationes rectę ſint tribus expreſſis ſolennibus & publicis confeſſionibus: minimè quidem quaſi non prius illi condonato lapſu, ſed quò Petrus ipſe in obeũdo ſuo munere triplici quadam redintegrationis forma confirmatior eſſet, & diſcipuli, totáque etiam Eccleſia, lapſum illum ſic tectum intelligeret. vt in poſterum nõ exprobaret, nec de eius vocatione vel doctrina dubitaret, aut notam vllam ei inureret. Quibus vt par eſt poſitis, iam ad noſtri contextus expoſitionem accedamus, & quomodo ad hunc omnia ſcopum referantur, demonſtremus.

Dominus igitur poſt cibum prior ipſe Petrum vltrò compellauit, vt ab eius ſola & vnica bonitate fauorem hunc eſſe profectum noſcimus, tam primæ vocationis diſcipuli, quàm eorum omnium quæ deinceps illã ſecuta ſunt: niſi fortè dicatur, Petrũ bene vſum priore gratia, Dominum ad ſecundam ipſi cõferendam inuitaſſe: quod nobis libẽter perſuaſerint, qui docent bona regeneratorum opera eſſe meritoria cõtinuationis aut ampliationis fauoris Dei: cui, ſaltẽ in hoc exẽplo, opinioni nullus locus eſt. Ac proculdubio verũ iſtud reperietur in nemine: minimè quidẽ quòd Dominus nõ augeat dona ſua in iis qui prioribus fideliter vtũtur. Mat. 25.23. ſed quòd hoc augmentũ *Sola Dei gratia eſt initium, medium & finis ſalutis electorum.*

ab eadem gratia gratuita promanet, non autẽ ab vllo cuiuſlibet bene operantis merito, vel ipſa teſte Eccleſia, Pſal. 44. 4. & 115. 5.

Exemplar perfectiſſimum eius curæ quam paſtores oportet gerere ſuarum ouiũ, & maximè aberrãtium, duo tamẽ extrema fugientes.

Eodem exemplo docemur etiam, fidos Dei ſeruos exemplũ ſolius veri paſtoris in hoc ſacroſancto miniſterio imitatos, oportere tanta cura & ſtudio deuias oues in viã reducere (immo etiam quorũ deplorata eſſe videtur ſalus) vt primùm, ſi fieri poteſt, lapſus eorum præueniãt: quòd ipſe Dominus Petri lapſum præueniẽs docuit. Mat. 26, 34. & quale paſtoris officiũ deſcribitur, Ezech. 33. 8. Quo ſi nihil promouerint, nõ tamen deſinant aberrantẽ inſequi, donec inuentã, ſi fieri poteſt, & in humeros iniectã, in gregẽ reducãt. Ideo dicebat Apoſtolus ille fidelis, Quis offenditur quin ego vrar? 2. Cor. 11. 29. At hic extrema duo cauẽda, Nã vt quidam adeò ſunt ſeueri ac tetrici vt miſeros peccatores ſtatim in inferos detrudant: contrà quidam adeò ſunt mites ac faciles vt quã ſcalpere & fricare ſcabiẽ oportebat, palpent & mulceant. Sin quærat aliquis, quis hic modus adhibendus, aio duo hic maximè requiri ad huius medicinæ temperamentum, morbi nimirum veram notitiam, vt nec minor quàm ſit efficiatur, nec adeò grauis vt eũ æger immedicabilẽ exiſtimet. Deinde cognoſcendus laborantis ſtatus, ne videãtur empiricorum ſimiles, eandem omnibus medicinam propinantiũ, aut ſutorũ cuilibet pedi eundem calceũ aptantiũ. Quamobrẽ ſingularis à Paſtoribus diligentia & cura requiritur, & talis cũ

ouibus

ouibus cómunicatio,vt omnes ex nomine cognoſcant,quantũ fieri poteſt ac debet.Ioh. 10. 3. Ad quod officiũ faciendũ,nemo ſatis ardenter poteſt à Domino ſpiritũ diſcretionispetere.1.Cor.12. 10.ne ſacroſanctũ miniſteriũ iudicio noſtro leui vel ſeueriori ſubiiciamus: ſed ingenium noſtrum contrà ſubiiciamus & accommodemus ad ædificationem ſingulorum, ſiue conſolemur,ſiue corripiamus.

Eorum qui qualibet peccata priuatim reprehendi velent.

In hunc vſum ſacrarum hiſtoriarũ accurata lectio eſt neceſſaria, inter quas hæc in primis oſtendit non admittendos in Eccleſiæ adminiſtrationem eos qui peccatis omnibus vnã priuatam admonitionem ſufficere volunt, abutentes Domini verbis de priuatis & occultis lapſibus,Matth.18.35. nullum diſcrimen conſtituentes inter publica peccata cum offendiculo Eccleſiæ, & priuatos lapſus: nec inter admonitiones paſtorales & Eccleſiaſticas, id eſt quæ fiunt cum cognitione & iudicio ſeniorum in cœtu, quem hodie vocant,Conſiſtoriali.Scimus enim quid contrà Paulus ſtatuerit,1.Timoth.5.20. & quod in hoc ipſo Petro exemplum ſtatuerit,Galat.2.11. & 14. Porrò ſi diſcipulum ſuum, cuius culpa fuerat tam momentanea, quíque tam multis modis ſuam pœnitentiam teſtatus erat, Dominus tamen iterum examini ſubiecit, & eò adduxit, vt contraria peccato confeſſione condemnaret, & quidem in tali cœtu, quo quæſo fundamento offendiculorum plenam vitam agentes de cenſuris Eccleſiaſticis con-

quererentur, quum ne cogitauerint quidem de culpæ suæ agnitione? Quin etiam quibus hanc Deus gratiam concessit, vt serio peccatorum sensu afficiantur, & omnibus effectis suam illam *μετάνοιαν* testentur (si verè & ex animo cupiunt offendiculum suum aboleri & in ædificationem eorum quos offenderint im mutari, immo totius Ecclesiæ) magnopere fal luntur, & in seipsos peccant, nisi patiantur secum agi, quemadmodum Dominum hic egisse cum suo discipulo videmus, vt Deo sua laus vbique tribuatur.

Nunquam obliuisci debemus peccatorũ, quorum Deus ipse est obli tus.

En igitur quomodo hic se cum insigni moderatione Dominus gesserit (qui nobis proponitur in re simili tanquam exemplar perfectissimum) ita Simonem alloquutus, Simon, fili Ionæ, diligis me plus quàm isti? Et hoc quidem non ignorans quærit, sed sui discipuli conscientiam, & moderatè tamen vellicaturus: omnino Petro sibi in memoriam reuocante, vltimis illis vocibus admonito, quā temerè & parùm circumspectè verba illa profudisset, Matth. 26. 33. *Etiam si omnes offendantur in te, ego non offendar.* At tamen iam hic lapsus illi condonatus erat. Hinc itaque discamus singulis momentis Deum orare vt nostros lapsus omnino tradat obliuioni. Verùm quũ ex memoria nostra tã facilè effluant eius erga nos beneficia, sanè opus est nobis aures ab ipso vellicari, immo stimulis admotis nos excitari, vt eorum memoriã recolamus, atque adeò vt refricet iam obductas cicatrices: nos verò

verò viciſſim oportet exemplum imitatos magnorum illorum Dei ſeruorum, putà Danielis, Dan.9.5.& noſtri Apoſtoli 1.Timoth.1.13.& 15.& 1.Corinth.15.9.nunquam peccatorum licet condonatorum obliuiſci:quo fiet vt tum in tanto beneficio agnoſcendo ſimus diligentiores,tum in cauendo magis ſolliciti ne rurſum in eadem præcipites feramur. Quoniam verò plerunque ſecus facimus,ſciēdum à Deo nos magnam gratiam conſequi, quum eorum quæ obliuioni tradideramus memoriam refricat,ſiue percuſſa intus tantùm noſtra conſciētia:ſiue per alios,qualeſcunque ſint,& quocūque tandem affectu ducantur admonita.Tantùm abeſt igitur vt nobis recalcitrandum ſit, vt contrà Deo gloriam dare nos oporteat,Petri exemplum ſequutos, & gratias agere quòd non patiatur nos veterno ſopitos interire, licet plerunque per quos excitamur, parum ſint de noſtra vel ſalute vel conſolatione ſolliciti , tantùm abeſt vt occaſionem habeamus conquerendi,quum per eos admonemur quibus animarum noſtrarum cura commiſſa eſt. Quòd verò quidam patiūtur quidem ſcalpro ſuorum vulnerum cicatrices ſcalpi, ſed ſecundam manum ac multò minus tertiam ferre poſſunt , delicatulos iſtos velim ex Domino ſic cum vno ex dilectiſſimis ipſis diſcipulis agēte diſcere, quid hic ſibi faciendū ſit. Tum enim dicitur quidem Petrus apud ſe contriſtatus, ſed non aduerſus Magiſtrum ſuum exacerbatus. Quamobrem triſtitia

illa nihil aliud fuit, nisi ægritudo quædam animi, quòd tum Domino, tum suis condiscipulis nimis magnum argumentum præbuisset ter illum interrogandi, priùs quàm verbis eius acquiesceret: vt hic inter præcipuos fructus ipsius Resipiscentiæ non immeritò sit numerandus, tantùm abest vt noxium illi fuerit istud tertiò repetitum examen.

Exemplum modi qui est adhibendus in pœnitentiam agentium examine.

Vicissim verò considerandus nobis in hoc examine modus quē Dominus adhibuit, nullis additis ad discipuli pœnitentis responsa verbis acrioribus aut exprobrationibus, sed contrà, quòd discipulum indigere consolatione potiùs & consolatione cognosceret, quàm vllo acerbiore medicamēto, respōsis eius acquieuit, etsi voluit illa sæpius iterari: & quod maius est sua gratia ter erexit: quemadmodum terna abnegatione prius exciderat: quod tam ipsi quàm eius sociis ac toti Ecclesiæ debuit prodesse vsque ad sæculorū consummationem.

Quàm necesse sit cor nostrū examinari, Deum amet necne.

Itaque Petri respōsiones sunt sigillatim expendendæ, & Domini vicissim in singulas cōclusiones. Sed priùs hic excutiendæ Domini sic Petrum compellentis interrogationes. *Simon, fili Ionæ, amas me?* Quæ sanè minimè sunt sciscitantis verba, ita-ne se res habeat, necne, sed eum quem alloquebatur excitantis ad seriò de iis cogitandum, & elicienda ex eius ore quæ præsentibus condiscipulis inseruirent. Atque ô vtinam hæc Iesu Christi

Christi verba singulis horis ac momentis nostri cordis aures ferirẽt. Deúsque nobis hanc gratiam concederet, vt cum Petro sincerè possemus respondere, veriti ne fortè ante ipsius tribunal stantes non interrogemur an ipsum amemus, nec-ne, sed condemnationem auferamus prout ipsum vel amauerimus, vel amare simulauerimus. Nam, obsecro, quo magis vrgemur. Neque verò nobis solis hæc admonitio debet inseruire, quòd habere pacem in conscientiis nequeamus, nisi de Dei amore certi simus: & vicissim nostra in Deum charitas sit testimonium eius erga nos dilectionis, velut effectum nos ad cognitionem causæ suæ deducit: sed iis omnibus qui ad functiones aliquas, priuatas aut publicas vocantur, si modò felicem aliquem ex ipsis exitum exspectamus. Est enim illud fixum ratúmque, Deum comitantem eos à quibus amatur, etiam benedicturum viis ipsorum, vt de Iosepho dicitur, Genes. 39. vers. 21. & 23. contrà verò maledicturum improbis & omnibus ipsorum operibus. Hoc igitur primum esto caput obseruandum in iis qui ad publicas functiones vocantur, immo & in omnibus negotiis, vt ad eas pij ac religiosi homines promoueantur, quatenus illa prouideri possunt, vt Dauid pulchrè cecinit in eximio illo Psalm. 101. nec tamen bene semper ad vsum reuocauit. In primis autem quum agitur de sacrosancto ministerio, locus esse debet huic obserua-

tioni. Nam quò pluribus donis quiſpiam ornatus eſt, velut ſcientiæ & aliorum donorum, eò maior adhibenda cautio in iſtiuſmodi homine vocando ad tale munus, niſi Dei amor dona illa comitetur & exornet, qui ſolus eſt vera amuſſis ad quam bona omnis conſcientia eſt examinanda. Idipſum nos Chriſtus in hac hiſtoria docet, ſuum Apoſtolũ, & tertiò quidem interrogans priuſquã in Apoſtolatũ redintegret: quemadmodum etiam Spiritus ſanctus nos docturus notas quibus diſcernantur ij quorum animo Dei timor & charitas inſedit, & radices altas egit ab impiis & Dei contemptoribus, elegantem deſcriptionem propoſuit. 1. Tim. 3. & Tit. 1.

Cur Petrus non ad integrã Domini interogationem reſponderit.

Accedamus igitur ad Petri reſponſiones, quarum duæ priores fuerunt, Etiam Domine, tu noſti quòd amem te: tertia verò, Domine tu omnia noſti: tu noſti quòd amem te. Videmus autem Petrum ſemel atque iterum non ad integram interrogationem reſpondiſſe, quippe Dominus non tantùm ex Petro quæſiuerat, an ipſum amaret, ſed addiderat, *Plus quàm alij diſcipuli.* Intellexerat ſanè cauſam Petrus cur iſtud adderetur, nempe quò memoriam illi refricaret quàm temerè prius iactaſſet ſe non tãtùm ſequi Magiſtrum paratum, & pro illo vitam profundere: ſed etiam addidiſſe, ceſſantibus aut contrarium facientibus reliquis, ſe tamen perfecturum. Maluit igitur Petrus hãc culpam tacendo fateri quàm vlterius reſponſare. Alteri verò parti ſic reſpondet, vt quum animad-

animaduerteret Dominum non dixisse, Méne amasti, sed An me amas, & his verbis eius resipiscentiam satis claré admittere, velut arripuerit Domini verba. Præterea, dum facit Dominum suæ responsionis iudicem, ostendit se Iesum Christum non tantùm vt verum hominem à mortuis suscitatum, sed etiam verum Deum ac cordium scrutatorem agnoscere.

Ne verò nobis persuaderi sinamus Petrum hic de se profiteri perfectum amorem Domini, qui de nullo mortalium dici potest, excepto Domino nostro Iesu Christo: sed amorem sincerũ discernere à ficto & simulato his verbis voluisse: quę de nostra fide & spe & aliis omnibus donis, quæ Sp.S. Dei Filius largitur, sunt etiam intelligenda. *Multum inter se differunt sincerũ & omnino perfectum.*

Hoc Petrus testatũ facturus, se ex animo loquutum ostendit, quũ dictorum suorum iudicem eum constituit qui falli nescius est: facilè quidem dictu verbum, & quo verè Deo debitus honor redditur, & in veritatis solio Deus collocatur, sed de quo seriò cogitãdum priùs esset quàm efferendum. Nam qui rem falsam aut incertam affirmare & cõprobare nititur his verbis, Deus scit (quod nimiùm frequenter in ore omnes habent) licet alia iurisiurandi formula non accedat, horrenda se blasphemia polluit, Dominum abominanda impietate transformans, in omnis mendacij & falsitatis auctorem. Et si verò nobis hic sermo non excidat, tamen oportet *Maximus ac nimium frequens abusus horum verborum, Deus scit.*

nos singulis horis & momentis sciẽtes Deum audire, videre & nosse omnes nostras cogitationes: quarum, quum illi placuerit, & iudex & vindex futurus sit, ita coram ipso præsertim tantáque cũ sinceritate ambulare, vt corde non aliud premamus quàm quod ore profitemur, & contrà Domini præsentia cor nostrum & os cum recta bonáque conscientia regat.

Hoc Iesu Christi responso totius Euangelij ministeriũ continetur.

Iam Domini paucorum quidem verborum responsum, sed admirandæ bonitatis plenum audiamus. Nam præterquã quòd suæ pristinæ dignitati tribus repetitis interrogationibus restituat vnũ ex suis præcipuis discipulis, qui ab eadẽ toties repetita abnegatione exciderat, his pauculis verbis totius sacrosancti ministerij summã cõplexus est, tã eorũ quibus administratur respectu, quã qui illud administrãt: ingẽs sanè thesaurus, lõgè ipso cœlo ac terra, totáq; pręsenti vita pretiosior, qui pauculis istis verbis continetur, Pasce oues meas, & Pasce meos agnos. Et quidẽ hic quatuor verba sunt tantũ, sed apud Euãgelistæ Græcũ textũ, quinque: vox enim Pascendi respõdet duabus Græcis βόσκειν & ποιμαίνειν, quorũ illud significat simpliciter pastum præbere, hoc verò quiddã amplius significat, nempe totius gregis gubernationem & administrationem.

Vnde Pascendi vox pro Gubernare cœperit vsurpari.

Quòd ad Pascendi vocabulũ attinet, quod huic voci Pastus respõdet, quo Domini Verbũ intelligitur: & vocem Gregis, quæ tribuitur sancto Ecclesiæ cœtui, sacra Scriptura, atque adeò

adeò veteres historiæ omnium nationū fidem nobis faciunt, agriculturam, quæ posita est in terra colenda & pecorum cura, fuisse hominū primas artes, donec primùm ad commodū & vtilitatem hominum, deinde etiam ad luxum multæ aliæ inuentę sunt, & quotidie inueniūtur, aliæ quidem vtiles ac necessariæ, aliæ verò superfluæ, & tantùm iis commodæ, qui vt sese oblectent tanquam ad voluptates tātùm nati, otiosam vitam ex pāuperum laboribus agūt.

Voce illa Pascendi notatū huius muneris pōdus & illius contemptus hominum huius seculi aspectu.

Verū tamen, vox illa Pascendi, quū de munere dicitur docendi salutis doctrinam, docet primum ad hoc munus electū, non ad delitias aut otium vocari, sed contrà ad perpetuū corporis & ingenij studiū ac laborē. Deinde licet respectu rerū earū de quibus agit, & scopi ad quē collimat, rerū omniū humanarū dignitatē hoc munus lōgè superet, tamē à mūdo haberi non tantùm abiectissimum & vilissimum, sed etiam maximè exosum esse, & persecutorū crudelitati vehementer obnoxiū: adeò vt nō magis istis pastoribus & eorum ouibus cōueniat cū mundo, quàm inter se cōueniunt lupi, leones, tigres, & aliæ istiusmodi feræ, & boni pastores cū suis gregibus. Huius rei fidē tota Ecclesiæ veteris historia facit: quā ob causam Dominus cum verò Christianismo crucem coniunxit: tum Pastorum, tum etiam ouium respectu, qua de re sumus paulò post pluribus acturi. In præsentia verò diligentius nobis expendendę voces Pastoris & pascendi.

Iesus Chri-

Primū igitur verus & vnicus huius Ecclesię

stus propriè verus & vnicus est pastor huius gregis.

Pastor esto Dei Filius Iesus Christus, in quo hæ oues electæ sunt ab æterno, ex Patris beneplacito. Ephes.1.4.& 5.à quo suo tempore vocātur. Ephes.1.9. Esa.54.13. Ioh.6.45. sicut suos Apostolos elegit immediatè, Iohan.20.21.& dat Pastores & doctores ad coagmētationem sanctorum. Ephes.4.11.& 12. per ostium intrantes, quæ legitima est Electio, cuius regula nobis proponitur. 1.Tim.3.2.3.4.& Tit.1.7.8.9.

Quod sit verorum Pastorū opus.

Quodnā verò Pastorū istorū opus est? Loqui ipsos oportet. Ad hoc enim missi sunt, sub maledictionis pœna, si secus faxint, Rom.1.14. 1.Cor.9.16.& sic opponuntur canibus mutis, Esa.56.11. At quod verbū ipsorū esse oportet? Verbum reconciliationis, 2.Cor.5.18. omnium Dei arcanorū dispēsatio. 1.Cor.4.1. nēpe Iesus Christus pro nobis crucifixus, 1. Cor.2.2. Et hāc quidē ipsorū orationē, qua salutis doctrina profertur, nullo verborū apparatu, nulla fucata eloquētia, nec humana sapiētia, simplicē esse oportet, eius vnius virtute nixā, qui ea quę stulta sunt in mūdo elegit, vt pudefaciat sapiētes, & quæ sunt infirma in mundo, vt pudefaciat robusta. 1.Cor.1.27.& 2.1.4. Verbum istud præterea singulis applicandum & distribuendum, non ieiunè aut frigidè, sed ita proposita doctrina, vt cōtradicētes cōuincantur, Tit.1.9. & morum obedientia vt aberrantes à recto, corrigantur, 2.Tim.3.16. vt nihil subterfugiāt eorum quæ conducunt, Act.20.20. sermonem prædicent tempestiuè, intempestiuè: instēt, arguant, obiurgēt, exhortentur cū omni lenitate & do-

&doctrina.2.Tim.4.2.Et,quod maius eſt,Paſtorem oportet non tantùm in genere ſui gregis curam gerere, ſed etiam noſſe ſingulas oues, & nominatim cõpellare, Ioh.10.3. publicè & per ſingulas domos,nocte & die,Act.20. 31.oues aberrantes requirere, Matt.18.12.mutilarum vulnera ligare, laborantes confirmare, Ezech.33.16.Quemadmodum autem paſcua hęc ad aquas limpidas eſſe oportet,ſic Paſtoré gregi ſuo morum exemplo præire decet,1.Pet. 5.3.Denique poſtulat boni Paſtoris officium vt tanto ſuas oues amore complectatur, vt vitam pro ipſis ſit paratus exponere, ad boni Paſtoris illius exemplum. Ioh.10.12. alioquin hoc munere prorſus illi abſtinendum.

Paſtores ſunt magni illius Paſtoris & Domini procuratores.

In primis autem iſtud obſeruandum eſt,eũ qui propriè ſolus & verus Paſtor eſt, non dixiſſe Petro, Paſce tuas oues, aut tuos agnos, ſed,Paſce meas oues,& meos agnos: & ita feciſſe teſtatum, ſe nec vendere nec permittere ſuas illas oues aut agnos Paſtorum arbitrio, ſed ſe vſum lactis ipſarum concedentem ipſis, 1.Cor.9.7.& quidem moderatè, 1.Tim. 6. tradere tantùm cuſtodiendas, quarum reddenda ſit ratio:quandoquidem certis finibus poteſtas circunſcripta ſit, quam ampliari vel reſtringi nefas ſit,vt loquitur Dominus apud Ezechiel. 33. tantum abeſt vt dominium in illas acceperint.Hoc ipſe Paulus teſtatur 2.Cor.1.24.& D. Petrus. 1.Petr.5.3.immo ſummus ille noſter Dominus Paſtor Paſtorum & vniuerſi gregis, eò vſq; ſe demiſit, quatenus ſe miniſtrum cir-

cuncisionis agnóuit, vt sæpiùs palàm professus sit, se nihil ouibus proponere quod non à Patre prius accepisset.

Diligentissimos quosque Pastores oportet maximum defectum agnoscere.

His omnibus sic, vt par est, ritè expensis, nisi perire volumus, nos, inquam, quibus Deus hoc onus imposuit, eo nos honore afficiens vt tanti támque pretiosi thesauri administrationem nobis commiserit, quem tanti redemit, quid ad hæc dicturi sumus? Dicam nō sine magno dolore. Nos omnium primos quàm plurimorum defectuum ingenuè fateamur & agnoscamus reos. Nam etsi per Dei gratiā verè possumus affirmare, nos hactenus puram verbo Dei comprehensam veritatem prædicasse, & etiamnum hodie prædicare, quid tamen præstitisse nos dixerimus, si quæ nostræ partes fuerint inspiciamus? Vbi zelus, vbi cura, vbi studium pastorale? O Deus Optime condona, ex immensa bonitate, nostros defectus: nobis bonam & rectam conscientiam conserua: imple nos tuę gloriæ zelo: in nobis adauge scientiam, prudentiam, charitatem, constantiam virtutésque similes ad tātum onus sustinendū necessarias, denique nostris laboribus facilis ac beneuolus benedicito. Vos verò, qui hodie personam ouium sustinetis, Deo vestros pastores assiduis precibus commendare ne desinite, quò sic ab ipso regantur, vt ipsi bene vos regant, vt tandem vltimo illo & maximo die, summus & vnicus Pastor nos agnitos in verū suum ouile recipiat, quotidie miseris suis ouibus ereptis è leonis rugientis faucibus, &

omnibus

omnibus mercenariis ac falsis Pastoribus, tandémque omnibus suis & nostris aduersariis. Et hæc quidem de Pastoris nomine hactenus.

Ouium verò nomen quòd attinet, Dominus ipse est eius expositor, Ioh.10.27. hoc nomine vocans eos omnes qui vocem suam audiunt & sequūtur, vt vitam æternam det ipsis. At quoniam multi ad conuiuium inuitantur, qui tamen non accedunt, quorū mentio fit in parabola, Luc.14.18. multóq; plures sunt vocati quàm electi, Mat.22.14. immo plerunque contingit Dominum mittere suos seruos ad eos qui magis indurantur eo verbo, vel ipsis Moyse & Aarone testibus, Exod. 7.3. & 4. & Esa.6.9, & 10. & maxima parte Prophetarum: immo ipso teste Prophetarum omnium principe, quem scimus lapidē illum angularem ab architectis reiectum, & lapidem offendiculi populo, à quo tamen priore maximè decuerat ipsum agnosci, Luc. 2 34. & Esa.62.2. idcirco quum agitur de sacrosancto ministerio, vox ista Ouis non est adeò angustè accipienda: sed Pastores oportet, Dei relinquentes prouidentiæ arcanam & intimam cognitionem verarū ouium à falsis, verbum prædicare promiscuè omnibus illud audire cupientibus: immo postulat ipsorum officij ratio vt eas quæ gustum omnem amiserunt etiam inuitent.

Ouium istud vocabulum strictius accipitur apud Deū quàm apud Pastores.

Hæ voces Ouium & Gregis aliter attributæ sūt Prophetis Apostolis & Euāgelistis, quàm hodie de Pastoribus, doctoribus & senioribus dicantur.

Et quidem hac in re certus quidam ordo est obseruandus. Primùm igitur non eadem est ratio vocationis Pastorum & Doctorum & Seniorū, atq; olim Prophetarū, Apostolorum

& Euangelistarum.

Nam Prophetæ quidem, quemadmodum immediatè vocabantur à Domino, sic ad hos vel illos loquebantur, vt Dei Spiritus ipsos dirigebat. Apostolis verò mūdus vniuersus fuit, velut prouincia, duce Spiritu Sancto, sic tamen officio suo defungentibus ne alter super alterius fundamento ædificaret. Euangelistæ verò nullum quidem certum locum fixum ac constitutum habuerunt, sed tamen non vt Apostoli hûc illûc excurrerunt, sed prouinciis inseruierunt, prout ab Apostolis in has vel illas mittebantur: quod satis conspicuum est ex Actis & epistolis Apostolicis. Pastoribus vero Doctoribus & Senioribus certæ quædam Ecclesiæ sunt assignatæ & priuatim commissæ, quod facile conspicitur ex Act. 20. 28. & 1. Pet. 5. 2. vt sic institutum ordinem nemini fas sit violare.

Quæ conuenientia inter oues naturales quadrupedes & oues spirituales gregis Domini.

Deinde magna est obseruanda nobis differētia inter oues quadrupedes, & eas de quibus hic agimus oues Dei Spiritu renatas. Ioh. 3. 6. capita sursum in loca cœlestia tollentes Colo. 3. 2. victum & pastum habentes è rore cœli, & ex vtero auroræ natas. Psal. 110. 3. Nihilominus quum Deo visum sit ita suos filios nuncupare nomine ouiū, nō temerè prętereunda est conuenientia inter animalia illa quadrupedia, & veros Dei filios. Porro nemini mirū videri debet homines hîc à Deo remitti ad bestias, ex quibus officium suum discāt: quemadmodum ad asinos ablegamur, præsepe nostrum agnituri.

turi. Es. 1. 3. & ad hirundines & istiusmodi aues vt salutis nostræ tempus agnoscamus. Ier. 8. 7. & ad passeres, quorum exemplo aduersus incredulitatem & diffidentiam corroboremur. Matth. 6. 25. & 26. præter alia non pauca istiusmodi Scripturæ loca. En cur etiam hoc loco, propterea quòd per peccatum nascimur, non ratione homines præditi, sed alij brutis ipsis stupidiores: alij, & quidem maxima pars, sanguinem aliorum plus quàm tigres aut leones sitientes, feri & indomiti homines, Dominus dicitur in suis operatus per suum spiritum, eos in oues transformare: quum hoc animal sit inter cætera mansuetum, simplex, placidum, tractabile, non vehementer clamosum, nō mordeat, non petat cornu vel vngulis, sed summæ vtilitatis, ac nulli noxium: immo ne resistens quidem lanionibus iugulum petentibus: quæ omnes conditiones ad viuum nobis repręsentantur in omnibus sanctis viris, quorū historię conscriptæ sunt, & in primis in eo qui omnis perfectionis est exemplar, & quo nos oportet indui, Rom. 13. 14. qui mille modis indignissimis lacessitus & contumeliis proscissus, non modò malū malo nō repēdit, vt ad lanienam etiā ductus, ne os quidem ad destruendum aperuerit, quin etiam pro iis seruandis precatus sit à quibus Cruci affigebatur, Luc. 23. 33. vt nō abs re clara voce hoc ediderit, Discite ex me, quòd mitis sim & humilis corde, Matth. 11. 33. Hæc igitur nobis in sacri simplicitas tātopere commēdatur, non vt bestiis simus similes, sed

omni malitia vacui ſimus,& placido pacatóq; ingenio ſimus. Deniq; patiētia illa eſt magnopere nobis in ſacris cõmendata. Accipite verò deſcriptionem in genere huius veri ouiũ gregis, Eſa. 11. 9. Non nocebunt & non occident in vniuerſo monte ſancto meo: quia repleta eſt terra ſcientia Domini. Et eôdem præterea capite Propheta, verſ. 6. 7. & 8. vim & efficaciam monſtraturus Spiritus Dei, futuram inter eos qui Chriſtiani dicuntur, ſic loquitur, Habitabit lupus cum agno, & pardus cum hædo accubabit, vitulus & leo, & ouis ſimul morabuntur, & puer paruulus deducet eos. Vitulus & vrſus paſcentur: ſimul requieſcēt catuli eorum & leo quaſi bos comedet paleas. Et delectabitur infans ab vbere ſuper foramine aſpidis: & in cauernam reguli, qui ablactatus fuerit, manum ſuam mittet.

Deteſtandum prouerbium, Qui ouem ſimulat à lupo voratur.

En, inquam, veram imaginem verę Eccęſię re ipſa & nomine. Hic autem omnino cauendum falſiſſimum & pernicioſiſſimum illud prouerbium, Qui ouem ſimulat à lupo deuoratur. Nam contra quotquot de hoc mundo ſunt, velut in vnguibus & faucibus magni illius Leonis prædę inhiantis, & animas ac corpora illorũ vorãtis verſantur, quibus ſi parcit ad tempus, cõſultò id facit, vt alios cũ aliis cõmittat, & mutuæ lanienæ exponat, ac cũ ipſis, tanquam cum muribus feles, colludat. Vnica autem hominibus via eſt ex eius faucibus ſeſe eripiendi, ſi fiant oues eius gregis de quo hic agimus, ſub magni Paſtoris illius tutela & prę-

ſidio

ſidio qui nullam vnquam perdidit à patre ſibi commiſſam. Ioh.6.29.& 18.9. licet eas mittat velut in medium luporum, Matth.10.16. ſed ſub tam tuto præſidio pſal. 61. vt nulli tutiore loco ſint quàm qui prorſus derelicti fuiſſe videbantur. Matth.10.38.

Applicatio huius doctrinæ ad maximam huius ouilis partem.

Sed quid ego ſum ad iſta dicturus? aut vnde facturus initium? aut vbi deſinam ſi quales ſumus dicere tentauero: nós, inquam, qui Eccleſiæ reformatæ nomen ementimur coràm Deo & hominibus. Nam obſecro, nonne maiore in dies inſania laboramus? contumaces ſumus? variis noſtris concupiſcentiis & voluptatibus inſeruimus, & malitia & vitio pleni, digni quos omnes oderint, quum alij alios oderimus? Tit.3.3. alij alios lacerantes & deuorantes, Gal. 5.15. Annon denique noſtrarum virtutũ hæc ſunt inſignia, iniuſtitia pleni, ſcortatores, impij, auari, maligni, inuidi, cædibus, rixis, toti ex fraudibus cõſuti, ſycophantæ, obtrectatores, Deum odio habentes, iniurioſi, contumelioſi, ſuperbi, inſolentes, iactatores, malorum inuentores, rebelles parentibus, diſcordes, ἄστοργοι, nũquam placabiles, ſine miſericordia, licet quid à nobis Deus poſtulet minimè nos lateat? An non verò Deus iſta cœlitus intuetur? non cognoſcit? non vindicabit, non ſui iudicij tarditatem grauiore ſeueritate penſabit? Vulpes doloſæ & fraudulentę, Læſtrygones immaniſſimi, fœneratores, qui domos integras deuoratis, & miſerorum egenorúmque ſanguinem abſorbetis: tigres ac

leones, qui prædis veſtris & rapto ciuitatem ſanguine repleuiſtis & quotidie repletis: Vos etiam litigatores & litium fautores, quouſque tandem Domini verbum & fideles eius ſeruos contemnetis? An expectabitis dum magnus ille paſtor, qui hactenus noſtrum ſtuporem & indurationem ſua patientia ſuperauit, virgam ſuam abſcindat, ſicut tandẽ fecit illi ſuo veteri populo? Zachar.11.9. An expectabimus donec oſtio clauſo nobis dicatur, Abite à me operarij iniquitatis, non noui vos, Matth.7.23. An expectabimus donec ſedẽtem in ſolio iudicem aſpicientes dicamus mõtibus, Montes, cadite ſuper nos, abſcondite nos à conſpectu eius qui inſidet throno, & ab ira agni? Luc.23.30, Apocal.6.16. Sed irriti tunc futuri ſunt clamores. Tunc enim horrendum illud fulgur vltimò emittetur in contumaces & indomitos, Abite maledicti in ignem æternum, qui præparatus eſt Diabolo & eius Angelis. Ecquis autẽ non tremet leone rugiente? Amos. 3.8. Ecquis nouit an hæc hodie vel hoc ipſo momento euentura ſint? An non enim, obſecro, noſtris flagitiis iſta promeruimus. Non cernimus, etiam ante portas, vel ab Oriente in Occidentem vſque tela ſua ignea Dominũ hinc inde vibrantẽ? Annon audimus noſtris auribus ingentes ſecurium ictus, quibus Dominus diſtringit, abſcindit, euertit dẽſiſſimarum ſyluarum arbores? Interea tamen frõtem exporrigimus, & cœlũ ipſum petimus audacia. At ſtabit immotus ille thronus, omnibus

in il-

in illum impingentibus, elisis & attritis. Agite igitur, nũquid satis aduersus Deum peccatum est? nunquid satis diu aduersus Deum fuimus contumaces? Serio tandem de istis cogitemus, Dei iudicia quisq; nostrum horreamus, in facies nostras procidamus, ac cũ Daniele, lõgè meliore occasione dicamus, Peccauimus, iniquitatẽ fecimus, impiè egimus & contumaces fuimus, & recessimus, & declinauimus à mãdatis tuis ac iudiciis. Non obediuimus seruis tuis Prophetis, qui loquuti sunt in nomine tuo, regibus nostris, principibus nostris, patribus nostris, omníque populo terræ. Tibi Domine iustitia, nobis autem cõfusio faciei, Daniel.9. En fratres, qualẽ hodie nostrã orationẽ esse oporteat, aut nunquã: immò vereor ne sera nimis hæc pœnitentia futura sit. Quicquid autem contigerit, etsi ego cũ meis collegis eandem meritò vobiscum pœnitentiam imploramus, coram Deo testamur hodie nos monendis vobis non defuisse, & animas nostras liberasse. Deus verò de nobis & vobis statuat, sicut ipsi visum fuerit.

Responsio ad eorum obiectiones qui Papatum ex istis stabilire nituntur.

Superest iam vt excutiamus fundamenta eorum qui, vt caput illud suum imaginarium, stabiliant, à quo reliquum corpus non minus fanaticum suum sensum ac motum trahit, hæc verba ex sua sententia detorquent: quasi Dominus prius institutis suis Apostolis Ioh. 20.21. & 22. in ipsorũ omnium præsentia, iam in hoc minore cœtu Petrum declararet & ordinaret caput totius Ecclesiæ, & solum vni-

Prima obiectio ex verbis Petri, Pasce oues meas. uersalem vicarium repræsentantem in terris Iesum Christum cum similibus aliis multis intolerandis blasphemiis. Primùm igitur dicunt, nulli ex Apostolis alij quàm Petro dictum,& quidem tribus repetitis vicibus, Pasce meas oues. At falsum hoc. Nam omnibus Apostolis dictum est,primum quidem quum ipsis apparuit eodem suæ resurrectionis die, Luc.24.47. & 78. & iterum eadem ipsa hora, Ioh. 20.21. ac tertiò tandem quum in cœlos ascenderet,Matth 28.19.Marc.16.9. Act.1.8.& quidem vsus longè amplioribus dilucidioribus & disertoribus verbis. Sed vt ista relinquamus,quid ad D. Petrum in tantam dignitatem euehendũ iuuat in medium id adferre, quod potiùs illi foret ignominiosum,nisi tectũ esset immẽsa Pręceptoris bonitate & misericordia,quũ citra controuersiã tertio repetita illa interrogatione Dominus illi tres abnegationes exprobrarit,quas deinceps triplici cõfessione eluit,quã ex ore Petri elicuit,toties illo in Apostolatus sui munere redintegrato?

Secunda instãtia ex nominibus: Ouium & agnorum. Deinde dicunt hac ouium voce intelligendas Ecclesias peculiares cum ipsarum Pastoribus & Prętatis vt loquũtur, à quibus gignũtur Agni, idest singuli fideles distinctè considerati, adeò vt, si fides ipsis adhibeatur, reliqui etiam Apostoli,Petro subiiciãtur. At quis hanc ipsis allegoriam cõcesserit? Cuiuis enim satis notum est in tota scriptura, Christianos omnes intelligi nomine Ouium,quæ expressè distinguuntur à suis Pastoribus & Conductoribus:

ribus: vt iterum hæ Oues discernantur in eas quæ iam ad aliquam cognitionem peruenerunt, & eas quæ adhuc tenellæ sunt & lactentes velut agni. Qua distinctione Dominus docet quanta cura & diligentia veros pastores oporteat incũbere in verbo Domini singulis dissecãdo & distribuẽdo, 2. Tim. 2. 15. lacte nimirum adhuc infantibus, & cibo solidiore iis qui concoquendi illius & digerendi facultatẽ habent, 1. Cor. 3. 2. & Heb. 5. 12. Ac proculdubio valde istud mirandum esset, si tam vera esset hæc expositio quàm falsa est & ridicula, Dominum à discipulis toties interrogatum, quis maior esset inter ipsos futurus, nõ recordatum tunc ipsis Petrum nominare, quũ contrà, disertissimis verbis doceat, nullum inter ipsos fore dominatum, Matth. 20. 25. Marc. 10. 42. Luc. 22. 25. & contentos esse oportere præsentia spirituali sua, qui verè summus Pastor est & eminet tã inter ipsos quàm totam Ecclesiam vsque ad seculorũ consummationẽ.

Verùm, excipiunt aduersarij, nonne satis abundè & perspicuè Dominus Petrum designauit caput vniuersale suæ Ecclesiæ in hoc mundo, quum promisit se daturum illi claues Regni cœlorum, & suam Ecclesiam super hãc petram superstructurũ? Matth. 16. 18. At quoties admonuit ipsos ac docuit, tum rationibus tum adductis Scripturę locis, tum testimoniis veterum, quemadmodum tunc Petrus respõderat, & fidei cõfessionem illam ediderat non priuato suo tantùm, sed sociorum reliquorum

Tertia exceptio aduersariorũ de hac historia cum promißione Petro facta collata, Matth. 16. 18.

nomine:ſic etiã has claues, id eſt poteſtatem ligandi & ſoluendi,ac proinde, vt Chriſtus eſt optimus horum verborum interpres, poteſtatem remittendi & retinendi peccata in nomine & voluntate eius cuius vnius hoc ius eſt, Luc.5.21. tum nõ vni Petro fuiſſe promiſſam, ſed omnibus Apoſtolis,quæ poſt reſurrectionem poteſtas in ipſos collata eſt. Ioh.20.23.& Marc.16.15.& 16. & in Apoſtolorum perſona, omnibus veris paſtoribus legitimè vocatis:ſimul vnum corpus cõſtituentibus, quo Eccleſiæ vnitas repræſentatur, quemadmodũ vnus eſt Deus,vnus Chriſtus, vnum ſacroſanctum Miniſterium, vna fides, vna ſpes,& vna ſalus? Nam veteres Patres, etiam quos iam aliquatenus Epiſcopus ille Romanus fallebat, id ipſum obſeruarunt, donec pro Eccleſiæ totius vnitate Apoſtolus vniuerſalis Eccleſię obtruſus eſt. Et tamen Dominus velut tantum errorem præcaueret,pro eo quod hanc ſanctam auctoritatem pollicitus Petro dixerat, Dabo tibi claues, in illarum traditione dixit vnà omnibus, Mitto vos vt Pater me miſit, &, Accipite Sp.S. &, Ite & docete omnes nationes, nulla Petri præ cæteris Apoſtolis facta nominatim mẽtione. Quòd autem ad Eccleſiæ fundationem attinet, quis non videt Dominum his verbis, Tu es Petra, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiã meam diſtinxiſſe ſuũ Apoſtolũ omnium nomine loquutũ, à cõfeſſione quã ediderat,his verbis, Tu es Chriſtus,Filius Dei viuentis? Quũ igitur iſtud ædificiũ nullo alio

alio quàm Iesu Christo niti possit, Ephe.2. 20. & 1.Pet.2. 6. quemadmodum ipse Paulus disertè docet, nullũ aliud poni posse fundamentum quàm vnicum Iesum Christum, perspicuum est Dominum eo loco Petrum alloquutum esse vt repræsentantem totam Ecclesiam in ea confessione quam ediderat. Quid amplius? si huius administrationis summa posita est in Verbi prædicatione, & Sacramentorum administratione, vbi tandem inueniemus reliquos Apostolos Petri scholam adiisse ab ipso docendos, aut Petrum sibi talem aliquem in socios dominatum arrogasse? Contrà Hierosolymis accusatus, & quidem iniuriâ, nonne coram Ecclesia facti sui rationem reddit, Act. 11.3. & 17. Annon eorundem consilio in Samariam ipsum cum Iohanne mittentibus obsequitur? Ac quanta Pauli fuisset arrogantia, reprehendentis ipsum Antiochiæ & quidẽ coram omnibus? Gal.2.11. & 14. Quorsum etiam Petrus de sibi commissa functione maximam orbis partem truncasset, Gentes nimirum, cõtentus vt plurimum Euangelio circũcisionis, vt Paulus erat præputij, sicut inter eos conuenisse videmus, Gal. 2. 7. & 9. & Dominum ipsum ore proprio præscripsisse talem Paulo functionem? Act.9.15. & 26.17. Denique vt istis concedamus falsò ab ipsis excogitatã Petri in reliquos eminentiam, vnde tãdem probabunt eam ad successores transiisse, & Romę potiùs quàm alterius vrbis cuiuspiã propriam esse? Ac denique, si se ita res habet, quo iure

Romanus Episcopus, modò Petri, modò Pauli vt libuerit, successorem dicet? Sed quid pluribus immoramur in istis refutandis quæ nulla ratione nec specie rationis nituntur? Paucis igitur rem totam absoluo, Successorem Petri, superioribus omnibus datis & concessis, dicimus oportere non tantùm cathedram, sed Petri doctrinam ostentare, quum Dominus suarum ouium & agnorũ curam minimè ligneo vel lapideo pulpito, sed in illo sedentibus ad hoc munus exercendum commiserit.

Quarta exceptio aduersariorum ex verbis Christi ad Petrum indefinitis.

Denique qui caput istud vniuersale tuentur, hac ratione nituntur, quòd Dominus Petrum alloquutus non dixit, Pasce meas Oues in Oriente vel Occidente, vel alio quouis loco, sed indefinitè, Pasce meas Oues: vnde inferunt Petrum hîc designatum fuisse pastorem omnium Ecclesiarũ sine exceptione. Sed præter quàm quòd iam diximus, hæc si ita essent, tamẽ Petro fore tantum illa propria, quandoquidem nec hoc loco nec alibi fit vlla mentio vel Petri successoris, vel Romæ, vel vllius alterius vrbis: viros istos bonos saltem affici pudore oporteret, inter ea quæ indefinitè dicta sunt, ab iis quæ vniuersaliter, non distinguentes, nimium impudente sophismate. Ex istis igitur Iesu Christi verbis, verè quidem concludi potest Diui Petri Apostolatum, non fuisse in vlla natione regione vel vrbe conclusum: ac proinde ipsum Apostolatu suo ab iis spoliari qui de Apostolo faciunt Pastorem vel Episcopum, primum Antiochenum (quod est fal-

ſiſſimum) deinde Romanum: ſpecioſo ſanè prętextu, quòd Roma terrarum maximæ parti dominaretur. Verùm, quod maius eſt, quæ hîc indefinitè dicuntur, alibi vniuerſaliter tam Petro quàm ſociis ac collegis eius his verbis committuntur, Ite, & docete omnes nationes, Matth.28.19. &, In vniuerſum orbẽ terrarum profecti, prædicate Euangelium omni creaturæ, Marc.16.15. quæ ſi coniungantur cum iis quæ hic indefinitè dicuntur Petro, ſatis dilucidè patefacient, vnum & idem omnium eſſe munus Apoſtolorum, eundem Apoſtolatum, nulli certo loco aſtrictum, ſed in vniuerſum orbem indiuiſè: ad quos deinceps Paulus decimus tertius acceſſit, quorum omnium vna fuit dignitas & authoritas miniſterialis: tredecim illos viros ſic regente Sancto Spiritu, & quocunque locorum ipſi placuit, mittente, vt nullus eorum falcẽ in alienam meſſem miſerit, ſed fidelem omnes operam hinc inde, prout à Domino vocati ſunt, ſtrenuè nauauerint. Nihilominus tamen Apoſtolatus Petri Iudæis maximè dicatus fuit, & Pauli Gẽtibus, abſque vlla æmulatione, auſo tamen D. Paulo, Deo gloriam tribuẽte, de ſe prædicare, ſe ampliùs quàm illos omnes laboraſſe, 1. Corin.15.10. Quid verò futurum putamus ſi cõparationem inſtituamus ſummi & ſolius capitis veræ Eccleſiæ cum fictitio illo & imaginario Vicario, & ſatellitibus eius, aut tota illa hierarchia, cum veris paſtoribus re & nomine? Sed hãc materiam deſino pluribus in præ-

ſentia perſequi.

Vſus generalis & præcipuus ſuperioris doctrinæ. Hanc igitur illis cloacam relinquentes, quibus tam bene olet, Deum precemur vt ex immenſa ſua gratia tam eximia documenta quæ hac hiſtoria continentur altiùs animis noſtris infigat, & in primis vt pro immenſa ſua miſericordia fratrum noſtrorum reliquias ex illa Babylone eripiat, tot populorum in vltimam perditionem, paſtorum inopia, ruentium miſertus, ac pro immenſa rapacium luporum & mercenariorum multitudine, fideles ſeruos in meſſem ſuam immittat, quibus in dies benedicat, ac tueatur, donec plenitudo temporum adueniat quæ conſtituit, vt cum ipſo viuamus & regnemus in æternum. Amen.



HOMILIA VICESIMA.

Ioh.21.

18 *Amen, amen dico tibi, quum eſſes iunior, cingebas te, & ibas quò volebas: quum autem ſenueris extendes manus tuas, & alius te cinget, & transferet quò noles.*

19 *Hoc autem dixit, ſignificans qua morte glorificaturus eſſet Deum. Et quum hoc dixiſſet, dicit ei, Sequere me.*

20 *Conuerſus Petrus videt illum diſcipulũ quem diligebat Ieſus, ſequentem, qui & ipſe recubuerat in cœna illa ſuper pectus eius, & dixerat, Domine quis eſt ille qui te prodit?*

21 *Hunc ergo quum vidiſſet Petrus, dicit Ieſu, Domine, hic autem quid?*

22 *Dicit ei Iesus, Si velim eum manere donec veniam, quid ad te, tu me sequere.*

23 *Exijt ergo sermo iste inter fratres, discipulum illum non moriturum: sed non dixerat ei Iesus, Non morietur: sed, Si eum velim manere donec veniam quid ad te.*

24 *Hic est discipulus ille qui de his testatur, & hæc scripsit, & scimus verum esse testimonium eius.*

25 *Sunt autem & alia multa quæ fecit Iesus, quæ si scribantur sigillatim, ne mũdum quidem ipsum opinor capturum eos qui scriberentur libros. Amen.*



ERITI medici plerunque consueuerunt primùm ab ægrotis morbos depellere, deinde hoc non contenti diætã aut modum viuendi præscribere, vt in posterum morbos caueant. Idem præstitit Dominus erga discipulum, postquam collapsum erexisset, ac monuisset sibi in posterum à simili lapsu caueret, non futura pari cõditione, quãdoquidem mortem effugerat quam triplici Domini abnegatione merebatur: sed iam seriò agendum, & re ipsa comprobandum pluris ab ipso Magistri gloriam fieri quàm propriam vitam. Quapropter maturè se ad hoc certamen accingeret, fide & Constantia munitus, quum antea sibi ipsi nimium confidens, vnius ancillulæ voce perterritus collapsus esset. Hic siquis excipiat medicum sic suum agrũ

Ternis illis interrogationibus et responsionibus Dominus non tãtùm discipulo suo mederi voluit, sed in posterum etiam ne caderet prouidere.

alloquentem, ac redituri periculi & mortis etiam inde sequuturæ præmonentem parùm gratam illi medicinā adhibere visum iri. Aio, verum illud quidem esse in hac morborū specie sanitatem lædentium,& Mortis quæ vitam eripit, sed non in ea Mortis specie quam hic discipulus erat passurus, qua contrà ad veram vitam & sanitatem aditus patefit. Denique licet Dominus absolutè loquatur, non conditionaliter , vt forte Medicus ægrum pristinæ valetudini restitutum moneret fore, vt ni sibi caueat,& diætam prescriptā obseruet,in morbum immedicabilem recidat: tamen hæc admonitio Domini valde fuit vtilis, immo necessaria prorsus huic discipulo, ex veteris illius ac triti prouerbij vsu, tela præuisa minus nocere. Qua ex re percipimus quātæ curæ Domino sit salus miserorum peccatorum pœnitentiam agentium, quos alioqui sua gratia indignos poterat reiicere,aut ex parte tantùm illis prouidere:quæ pluribus mox persequemur.

Quomodo figurato sermone Dominus vsus sit.

Denique Dominus maturè discipulum admonet qua via sit illi deinceps incedendum, vsus aptissima phrasi loquendi, petita à Iudæorum vestimentorum ritu, qui togis longioribus,sicut Orientales populi penè omnes vtebantur, vt quoties se ad iter accingerent vestes succingerent. Hic est igitur verborum Iesu Christi sensus, Hactenus succingebas te, & ibas quo volebas, sed veniet tempus quo te alius cinget,id est corpus tuum & brachia vinciet te ad suum,nō ad tuum arbitrium, ducturus:

rus: ſic indicans ipſum non morte naturali, ſed carnificum manibus moriturum. Neque verò dubitandum quin ita contigerit, cuius fidem faciunt multi ex veteribus, nominatim etiam cruci affixum memorantes, quò ſpectare vidētur etiam illa verba, fore vt manus extendat. Nolim autem hac de re contendere, licet ſcriptores in circunſtantiis plurimum inter ſe diſcrepent. Quòd verò de Apoſtolo, & quidem maximè Iudæorum, factus eſt Epiſcopus Romanus, manifeſta eſt falſitas, quum præſertim velint ipſum ſediſſe, vt loquuntur, Antiochiæ ſeptem annis, & Romæ 25. quod cum temporum ſupputatione, & Actorum hiſtoria non magis conuenire poteſt, quàm luci cum tenebris.

Cur Dominus expreſſerit id Petro euenturum quum ſenuiſſet.

His itaque partim incertiſſimis narrationibus, partim falſiſſimis omiſſis, redeamus ad verba Domini, in quibus illud nō leuiter prętereundum, moneri Petrum hæc illi euentura quum ſenuiſſet. Ac reuera à morte Domini ad decimum quartū & vltimū vſq; annū Imperij Neronis, in quē reiicitur mors D. Petri & D. Pauli, interceſſerunt anni circiter triginta ſex aut triginta ſeptē. Fuit autem hęc pręmonitio valde vtilis & neceſſaria Petro, vt primùm ſciret ſatis otij de illis cogitādi ſibi à Domino cōcedi: deinde vt hanc à mūdo ſuorum laborum mercedem expectaret: tum vt in mediis illis laboribus & periculis quibuſcum oportebat eum luctari, Dei præſentis auxilio fretus ad tempus illud vſque præfixum impauidus per-

ſtaret. Verumtamen in genere tantùm de iſtis præmonuit diſcipulum, vt quēadmodum certo ſciret ſe quicquid aduerſus eum molirentur aduerſarij, tamē ad longæuam ætatem peruēturum (cuius eximium habemus exemplum Actorum 12.) ſic viciſſim perpetuò ſibi, quum eam ætatem attigiſſet, caueret & paratus ad obſequium eſſet.

Hæc verba, Quò noles. indicant mortem violētam. quā minimè fuiſſet Petrus electurus data ſibi optione: vt nihilominus ſpōte mortem obierit pro Domino.

Sed quædam occurrit difficultas in verbis Domini, ducēdum nimirum quo nollet. Nam quæ ad Apoſtolum inde redit gloria ſi mortē inuitus, paſſus eſt? Nec enim ipſa mors Domini Patri grata, qui ſolum hilarem datorem diligit: nec noſtra reconciliatio fuiſſet, niſi cum perfecta obedientia coniuncta ad mortem vſque Crucis. Magna verò fieret illi iniuria, qui flagris cæſus à Concilio cum ſociis, cum tanto tamen gaudio receſſit, quòd digni habiti eſſent qui pro nomine Ieſu contumelia afficerētur, ſi quis eum ſuſpicaretur aliter affectum fuiſſe vltimo pro Chriſto ſupplicio afficiendū.

Hiſtoria falſiſſima de martyrio Diui Petri & Pauli, nomine Lini Epiſcopi Romani edita.

Quamobrem falſiſſimus ille & plane ridiculus & barbarus tractatus de morte D. Petri & D. Pauli, nomine quidem Lini cuiuſdam vulgatus, (quem Linum volūt primum à Petro Epiſcopum Romæ ſediſſe) ſed ab imperito quopiam confictus ad libitum indignus eſt cui in fabuloſa quadam narratione fides adhibeatur. Dicit enim Petrum, quum ſe quæri ſciret, Romáque excederet in Ieſum Chriſtum incidiſſe, non quidem noctu per intellectualē viſionem, vt apparuit Paulo, Act. 23. 11. & 27. 33. nec

33.nec in exstasi, vt eidē Apostolo, Act.22.17. & 2.Cor.12.2. sed media luce, quē Petrus conspectū sine aliis, vltro citróq; habitis sermonibus interrogarit, Domine quo abis?(quę narratio prorsus repugnat Apostoli verbis, Act.3. 1.) Dominū verò respōdisse. Romā proficiscor iterum crucifigendus: quo tanquam oraculo Petrum admonitum, & quasi mortem metuēs fugeret reprehēsum, in vrbem rediisse, statímque apprehensum cruci fuisse affixum. En, inquam, fabulam quæ peregrinam huic loco quem tractamus expositionem adferret, & in eum fortassis etiam sensum est excogitata. Verumtamen, quamlibet inepta & ridicula, tamē admissa est, cùm aliis infinitis istiusmodi ridiculis fabulis, & adeò quidem vt etiamnum hodie Romæ ostendatur locus in quo id gestum affirmant, ante portam Latinam, quam vocāt, adeò fuerunt quidam audaces in confingendis istiusmodi mendaciis, alij adeò faciles & stolidi in iisdem recipiendis, etsi mendacij satis eos arguat idem Apostolus D. Petrus, quum ait Act.3. 21. Iesum Christum contineri cœlis oportere, nimirum secundùm corpus, vsque ad rerum omnium instaurationem: quemadmodum etiam Angeli postquam in cœlum ascēdisset fuerant discipulos alloquuti, & fidei nostræ articulo congruenter, quo credimus vltimo die futurum eius ad nos è cœlis reditum, & non antè. At non mirùm est hanc realem & actualem apparitionem ab iis excogitatam, qui sibi persuadent ipsum essentialiter & rea-

liter esse in tot hostiis quot consecrauerint, & quidem in locis infinitis eodem momento. At pro tam indignis commentis, non dubium est quin Dominus istis verbis, Quò noles, intellexerit vincula & violentam mortem, quam opponit plenę libertati quo libet proficiscẽdi; ac non tãquam Apostolus inuitus ad mortem raperetur, quum sit extra omne dubium, ipsum libentissimè, sicuti diximus, mortem obiisse. Nihilominus tamen nõ tantùm quatenus natura mortem abhorret, sed etiam quatenus in maximè perfectis supersunt reliquiæ infirmitatis, ex quibus nascitur illa lucta inter carnem & spiritum, non dubium est quin voluntas etiam obsequentissimorum Dei seruorum mixta sit aliqua carnis repugnantia, licet superãte carnem in ea lucta spiritu: cuius rei fidem nobis facit illa tristis Apostoli, quantumlibet strenui, fortis & magnanimi & victoris lamẽtatio, his verbis, Non quod volo hoc ago, sed quod odi, hoc facio. Rom. 7.15.

Diuersitas fuit sed bene composita, & nullo modo repugnans inter volũtatem Iesu Christi ad mortem pro nobis properantis, & diuinam Patris & suam ipsius voluntatem.

Quinimo, Dominus ipse, quod longè maius est, cum horrore præsentiscens non tãtùm dolores in cruce perferendos, (vt quidam arbitrati sunt) sed maximè horrorem iudicij Dei Patris sui, aduersus peccata nostra quæ in se susceperat (qui longè maior fuit animę cruciatus quàm crucis, & cuius respectu pro nobis factus maledictio dicitur, quatenus nimirum pro nobis fideiusserat, Gal. 3.13.) supplex Deum patrem deprecatus est, vt si fieri posset, hunc calicem non biberet, additis tamen istis

vocibus,

vocibus, verumtamen non vt ego volo, ſed vt tu. Abſit tamen Chriſto vllam carnis in ſe luctam tribuamus. Quapropter pro eo quod ſanctiſſimi quique homines non modò diuerſitatem ſentiunt inter voluntatem carnis & voluntatem ſpiritus, ſed etiam maximam contradictionem & repugnantiam, ac proinde vitioſam imperfectionem admixtam bonæ voluntati, diuerſitas tantùm & ad momentum fuit in Ieſu Chriſto, inter apprehẽſionem ſenſualem, & volũtatem Patris ſui ſuámq; ipſius, quatenus eſt Patri coëſſentialis & coæternus Deus, ſine peccato tamẽ, aut vlla imperfectione. Hęc autem differentia nobis ſedulò eſt obſeruanda, tum vt intelligamus quouſque Dei filius ſeſe pro nobis exinaniuerit, tum etiam vt ei nihilominus nihil tribuatur, quod aliquid de ipſius perfectiſſima perfectione & ab omni macula pura detrahat.

Nos verò ex hac phraſi loquendi, tanquam ore proprio filij Dei dictata ſententia, de vno ex Apoſtolis ipſis præſtãtiſſimo, in excellentiſſimis Dei ſeruorum ſanctiſſimorũ operibus aliquid vitij ſemper ineſſe diſcamus. Nã, obſecro, quæ maior obedientia, vel quæ maior dilectio poteſt eſſe cuiuſquam mortalium ea quam teſtati ſunt fideliſſimi Dei ſerui, diriſſimos quoſque cruciatus, quibus Satan & ſatellites eius ſæuierunt, libenter & ſumma cum alacritate tolerantes, ad Dei & Domini noſtri Ieſu Chriſti filij eius gloriam promouendam? Quamobrem etiam Martyrum no-

Etiam in martyrũ, obedientia vel maxima ſubeſt aliquid vitij.

mine,ideſt teſtium Domini deſignantur. Nihilominus in ſpontanea illa voluntate, etiam fuit Nolle quod maximè volebant, vt loquitur tam ſtrenuus athleta de ſe Paulus Apoſtolus, aduerſus ſeipſum his verbis exclamans, *Delector Lege Dei quòd ad hominem interiorem: ſed video aliam legem in membris meis rebellãtem legi mentis & captiuum reddentem me legi peccati quæ eſt in membris meis:* per legem mẽtis intelligens ſanctum illud propoſitum quo ſe in Dei obſequium quatenus eius Spiritu regenitus, ſubmittebat: legem autẽ membrorũ vocans reliquias naturæ corruptæ, tum cupiditatum inde naſcentium reſiſtentes adhuc ei quod erat in ipſo ſpirituale, licet tamen in ipſo victore Spiritu.

Abuſus intolerandus ex Martyrum paſsionibus inuectus

Quînam igitur erit meritorium, & æterna vita condignum, quod reliquiis carnis aduerſus ſpiritum pugnantis eſt mixtum, diſertiſſimis verbis Apoſtolo pronuntiante, nihil eorum quæ patimur reſpõdere gloriæ quam expectamus? Ac ſi nulla fuerunt merita martyribus pro ſeipſis, quînã aliis acquiſiuerint? Quis tabellio contractum iſtum ſtipulatus eſt? Et tamẽ hodierni noſtri Romani Catholici, docent, Martyres non tantùm ex condigno promeritos gloriam, in quam abſit negemus eos receptos, ſed, quod maius eſt, ſanguinem eorum cum Ieſu Chriſti ſanguine miſcent ad ſalutem viuentium, reliquias ipſorũ venerantiũ & ipſos inuocantium: & quidem eo deuenerunt impudentiæ, vt quorundam morborum ipſis

ipsis sanationem attribuant. Annon verò manifesta hæc est impietas & abominanda idololatria, licet iam dudum altas radices egerit, quòd non adhibitus sit modus in laudandis martyribus in cœtibus iis qui annuatim ad ipsorum sepulchra conueniebant, incipientibus Ecclesiis à persecutionũ ęstu respirare? Et hæc prorsus ἄπιστα meritò viderentur, nisi legẽdæ illæ aureæ, quas vocãt, istiusmodi fabulis ridiculis & prodigiosis essent refertæ; atque adeò nisi Spiritus erroris efficacia fuisset hactenus imperitę multitudinis hebetatę mẽtes, eorum desperata malitia, quos verè hodie, si aliàs vnquã, dicere possumus cũ Osea, populi peccata comedentes vehemẽter saginari. Os. 4.8.

Sed aiunt, qui in Dei maximè admiranda opera inquirunt, quid opus erat fideles Dei seruos ita cruciari, quandoquidem, qui ex cruciatibus eos liberat etiàm, eos poterat arcere? O stolidos & amentes homines! quis vnquam sine pugna victoriam reportauit? Fateor igitur, pati quidem iustum, sed patiendo iustum vincere, adiiciendum dico, atque adeo si conferantur quæ præsenti tempore perpetimur cum gloria in nobis olim retegenda, longo à se illa interuallo dissidere, vel Apostolo teste: Rom.8.18. Quis igitur iure meritoque de Domino conqueretur, quandoquidem qui tormentis sic excruciantur leui afflictione & momentanea in æternũ summæ glorię põdus transeunt, 2.Cor 4.17. & carnifices illi ac persecutores cõdignam suis flagitiis, pœnã pen-

Copiosè respondetur iis qui conquerũtur à Domino coniũctam crucẽ cum sacrosancti Euangelii professione.

dēt æterni exitij, à præſente Domino & potē-te ipſius gloria? 2. Theſſ. 1.9. An verò æquum foret ſeruos alia via fieri participes ſummæ illius gloriæ & felicitatis quàm qua Dominus ad eandem peruenit, nimirum vt in hac vita perſequutionem patientes mox cum eodem glorificentur, vt in paſſionibus & gloria fiant Dei filio conformes, Rom.8. 28. 2. Tim.2.12. Ac proculdubio tantum abeſt vt de Domino cōquerantur, quos ipſi viſum eſt ſtigmatibus ſuis decorare, vt contrà ſibi ducant non paruo honori quoſcunque pro Chriſto cruciatus & contumelias ſuſtinēt, prout etiam admonētur à Domino, Mat.5. 11.& 12. Act.5.4. quū ſingulis electis datum quidem ſit in ipſum credere, ſed non etiam omnibus pati pro eo in quem crediderunt, Philip.1.29. Tormētorum autem vim & magnitudinem quòd attinet (quorum vel ſolus metus has voces iſtis admirādorum operū Dei ſubducti ſupercilij carptoribus & momis extorquet) nonne ipſa experientia omnium ſeculorum docuit, inuicta conſtantia tot filiorū Dei, cuiuſlibet ſexus & ætatis, Deū, ſine cuius arbitrio & permiſſione nec huius mundi princeps, nec ſatellites ipſius ſeſe mouere, nedum vt ſuam carnificinam exercere poſſint, nunquam paſſum eſſe nec paſſurum etiam ſuos ſupra vires tentari? 1.Cor.10.13. Ita ſuos Apoſtolos exercuit primum carcere & comminationibus, Act.4.21. dein flagris, Act. 5.4. antequam lapidibus illos & ſanguinis effuſioni exponeret, Act.7.59. Nec enim agimus

de

de falsis & abominãdis stigmatibus execrandi illius idoli, quod Sancti Francisci nomen præ se fert: at reales & actuales sunt passiones, quas fides nunquàm irrita comitatur, & spes quæ nũquam pudefacit, quibus fit vt minimè quidem imaginariè, sed reipsa, in media cruciatuum acerbitate, dulcedine quadam inenarrabili afficiantur: & in ipso dolorum & angoris æstu, gaudio quodam incredibili perfundãtur, res inuisibiles & æternas spiritu contẽplãtes, & momẽtaneis angoribus opponẽtes, 2.Cor.4.18. adeò vt vitam in ipsa quantumuis cruẽta & sæua morte reperiãt: ita tamen vt nihil cũ stultis illis & profanis Philosophis habeant commune, qui homines ἀπαθεῖς esse voluerunt, obsecro, fratres, nonne hunc Domini fauorem hoc loco experimur, quandoquidem in tam horrendis totius orbis motibus & tempestatibus, immò in ipsis leonum faucibus versantes nos tamen hactenus fouit, & fouet in schola sua, quos in tãto otio támq; admiranda tranquillitate erudiat præ aliis tã multis populis & nationibus, vt ista vel ipsos nostros hostes infensissimos & capitalissimos admirari necesse sit, & ratum illud sit quod Propheta canit, Psal.23.5. At quorsum hanc lenitatem, nisi vt ipsi quando, vbi & quomodocumque visum ei fuerit respondere parati simus? At verò nobis quid tanta discentium in hac schola negligentia, & contumacia minatur? Næ, maximam in plerisque omnium leuitatem & inconstantiã portẽdit, si nos ad cru-

cem vſque & ſanguinem Dominus vocarit. Et hoc tamen honore dilectiſſimos ſuos affecit.

Nemo verè Chriſtianus eſt niſi ad martyrium apparatus, cum Dei fauore, licet non omnes Deus hoc honore afficiat.

Verum enim verò, licet ſuorum infirmitati Dominus conſulens, non omnes huic examini ſubiiciat: tamen ſingulos qui re ipſa Chriſtiani eſſe volunt ſic affectos eſſe par eſt, vt ſponte ſuam vitam Domino, eius auxilio & gratia freti conſecrent. Sed quorſum iſta? Minimè ſanè vt ſalutem in iis quæramus noſtrã, ſed vt gloriæ & honori qui inde redit ad Deũ ſeruiamus, cui promouendo reliquis omnibus ſine exceptione poſthabitis, omni cura & ſtudio vacare nos oportet, ſi modò ex filiorum eius ad id creatorum numero ſumus, Epheſ.1.6. adeò quidem vt licet nulla nobis gloria ſeruaretur in cœlis repoſita, nec ſperaretur pretioſum illud conuiuium quo ſponſus eſt amicos ſuos his verbis inuitaturus, Amici mei, edite, bibite, ſaturamini meis amoribus, dilecti mei, Cantic.5.1. tamen ſola gloriæ illius cõſideratione (cuius virtus perficitur in eorum infirmitate qui patiuntur, ſuperata nihilominus Satanæ & mundi totius potentia) debemus hanc crucem rebus omnibus anteponere. Hoc ipſum nobis Euãgeliſta his verbis declarat, Dominum ſic indicare voluiſſe diſcipulo qua morte eſſet ipſum glorificaturus. Nã licet, ſiue Deus ſua iudicia exerceat in improbos, ſiue ſua immenſa patientia toleret, propter iniquitates ſuas tandem eius furori deſtinatos, Rom.9.22. ſiue ſuis benedicat benedictionibus tẽporariis aut ſpiritualibus, 1. Tim.
ſiue

ſiue ipſos vt bonus pater caſtiget, Heb.12.6. in gloriam eius immenſam & infinitam omnia illa cedant, tamen nunquam melius quàm in ſuorum infirmorum ſeruorum tentationibus & explorationibus glorificatur: ſiue potētiam eius inuiſibilem conſideres, qua tantæ ſuorum imbecillitati vires ſufficit: ſiue promiſſorum veritatem, fortiſſimis ſuis athletis ita ſeruatis: ſiue denique terribilem & ſtupendam executionem qua ratas comminationes aduerſus omnes iſtorum carnificum conatus facit: quibuſcum miſerrimè tunc agitur quum de Dei filiis triumphare ſibi videntur.

Sequitur altera pars huius hiſtoriæ, qua cōtinetur alius inter Petrum & Dominum vltro citróque habitus ſermo, de tertio tamen alio, nempe dilecto diſcipulo. Huic ſermoni præbuit occaſionem dictum illud Domini ſe, velut inde digreſſuri, in viam dantis, & Petrum ſequi ſe iubentis, qui conſpecto diſcipulo dilecto etiam ſequente, Dominum interrogare cōpulſus eſt, an etiã diſcipulus ille ſequeretur eos. Verùm ex Domini reſponſo facile colligitur Petrum vlterius ſpectaſſe, admiratum ita diſcipulum dilectum relinqui: ac memoria repetentem, vt veriſimile eſt, aliàs (velut in trãsfiguratione & agonia illa in horto) à Domino ipſum fuiſſe cum Iacobo fratre teſtem ſuorum iſtiuſmodi arcanorum aduocatũ. Præterea Petrum auditis certaminibus quæ ſibi ſuſtinenda Dominus prædixerat, ac memorẽ eius quod hic nominatim exprimitur, ver.20.

Literalis expoſitio ſecundæ partis huius hiſtoriæ.

nempe in vltima illa Domini cum discipulis Cœna discipulum illum dilectum à Domino rogatum, ex eo didicisse quod palam aliis de Iuda proditore noluerat indicare, Ioh.13. 24. & 26. & se solum à Domino iam vocari comitem, condiscipulo parem voluisse gratiam referre, ac sciscitatum quid illo tandem fieret: quam Petri curiositatem Dominus ita corripuit, vt de eo tamen aliquid illi Dominus indicarit, sicut suo loco sumus audituri, & rationem cur hanc historiam Euangelista hic inseri voluerit expensuri.

Petrus aliter intellexit quàm Dominus mãdatum illud ipsum sequendi.

Petrus igitur Domini verba, quibus illũ erat sequi iussus proprio & naturali sensu accepit: sed ex euẽtu satis apparet Domini mentẽ non simpliciter fuisse, vt Petrus hoc illum tempore sequeretur, sed longè vlterius progressum, voluisse Petrum admonitum, ne in iis quę sibi imminere audiebat certaminibus, ita se gereret vt antè fecerat, sed contrà reipsa testatum faceret, se non frustrà tertiò repetiisse Dominum à se amari, atque adeò eius in vita fortissimè & constantissimè profundenda exemplum imitaretur. Denique Dominus discipulo sic in memoriam reuocabat verba quæ sæpe antea discipulis inculcarat, Matth.10.38.16. 24, Marc.8.34, Luc.9. 23. & 14. 27. Quisquis Crucem suam non tollit & me sequitur, non est me dignus.

Iesus Christus est solum & perfectum exemplar vitæ Christianæ.

Hinc igitur primùm discamus quale sibi verè Christiani omnes exemplar debeãt proponere, & ad quem scopum omnes suas cogitationes,

tationes, dicta factáq; dirigere in mediis huius vitæ procellis ac tempestatibus, quæcunq; sit particularis omnium vocatio, Iesum nempe Christum, solum veram & perfectam lucem, Ioh.11.9. qui luceat nobis in mediis huius mundi tenebris, & ita regat ne vnquam à recta via deflectamus.

Christum sequuturi nec ad læuam nec ad dextrã deflectant, nec etiam retro aspiciant aut in viam morã faciant.

Hic verò in primis duo capita nobis summopere sunt obseruanda, ne vnquam ad læuam aut dextram deflectamus, qua de re multoties à Domino monemur, Luc.9.62. néve vnquam admota manu aratro retrogradiamur. Sic nonnulli, crucis ferẽdæ tædio, paulatim à recta via deflectunt, siue quòd ad doctrinam, siue quòd ad morum honestatem attinet, cum lupis vlulantes, vnde tandem accidit, nisi Deus illorum ex mera sua & speciali gratia misereatur, vt nũquam in rectam viam reuertantur. Sic in auia præcipites feruntur, qui sibi nouas Dei colendi rationes, ἐθελοθρησκείας, & vias regnum cœlorum adipiscendi comminiscuntur: quales olim fuerunt Pharisæi, quibus successerunt egregiæ illæ regulæ monachales, quibus tam multi passim spiritu erroris excæcati sese vltrò subiiciunt. Alij, Deo, scilicet, sapientiores, rationes nouas ineunt conciliandi lucem cum tenebris, specioso Pacis & rerum indifferentium obtentu. Alij penitus, ad suum vomitum instar canum, aut suum ad lutum relabuntur, 2. Petr. 2.22. Alij viam eminus spectant, tandémque mundo excedũt, ignari quorsum aut quo

consilio à Deo in illum missi sint: quum contrà nos oporteat, si volumus in cursorum, & præmium auferentium haberi numero, τοῖς ἔμπροσθεν ἐπεκτεινομένους scopum versus ferri, Philip.3.13. nunquam benefaciẽdo segnescentes, 2. Thess.3.13.

Iesus Christus nobis præiens etiã suum auxilium hoc iter ingressis promittit.

Istis omnibus opponenda sunt Iesu Christi Domini nostri hæc verba, Sequimini me, quæ non tantum dixit viam rectam nobis mõstraturus, quandoquidem solus ipse est via, veritas & vita, Ioh.14.6. sed etiam vt freti virtute & præsidio tanti Ducis & iam victoris nobis præeuntis, veráque & inuicta arma suis militibus suppeditantis, sicut experientia iam inde ab initio seculorum testatum fecit, impauidi depugnemus.

Falsæ Iesu Christi imitationes.

Hic verò cauendus summopere Satanæ astus, qui verissimo illo & certissimo fundamento docens homines abuti, vitam videlicet Christianam positam esse in imitatione Domini nostri Iesu Christi, veri illius exemplaris & formulæ essentialis, miseris quibusdã idiotis sic illusit, vt persuaserit illis imitandum esse Iesum Christum in rebus quas nunquam fecit vt imitandas proponeret: & obliuionẽ inducens contrà rerum earum in quibus illum conuenit, secundum regulam & exemplum quod ipsemet suis præscripsit, imitari. Hinc si quibusdã ex ipsis veteribus credimus, promanauit institutio ieiunij quadragesimalis, specioso obtentu ieiunij illius quod semel in vita Dominus Iesus Christus ad sui muneris media-

Mediatoris plenam executionem se accingens celebrauit, quadraginta dies & totidẽ noctes prorsus à cibo abstinens, non ad simile ieiunium fideles inuitaturus, sed hoc opere miraculoso probaturus Euangelij prædicationem, quam inchoabat, doctrinam esse manantem cœlitus non humanitus: simili quoque miraculo confirmata legis Mosaïcæ doctrina: Exod. 24. 18. Hinc stolidus ille & impurus mos profluxit sputi in Baptismo additi, quò miraculum Iesu Christi quod Ioh.9.6. recitatur, isti hic imitentur: & alia item ridicula gesticulatio ex alio Domini miraculo hausta, Mar.7.34. Hinc ille valde ridiculus, & sæpe nõ admodum acceptus halitus Suffraganeorum & vicariorum in ordinatione presbyterorum, ex ridicula & ineptissima Iesu Christi imitatione, sicuti suprà docuimus, Ioh. 20.22. Ac si infinitarum ceremoniarũ primam originem inuestigemus, quibus puro Dei cultui nõ modò nihil accessit honoris, sed reuera sensim adulteratus est & transformatus, ac tandem in horrendas idolomanias & impietatem desiit, inueniemus partim illas à Iudaïsmi reliquiis partim etiam ab Ethnicorum cloacis haustas. Vt autẽ vera Iesu Christi imitatio distinguatur ab omnibus illis tam stupidis & indignis abusibus, teneamus omnia Iesu Christi dicta & facta quę suos voluit imitari, ad praxin perfectæ pietatis erga Deum, & veram ac perfectam charitatem, qua nos tota sua vita complexus est, reuocari. At quod propriũ illi fuit

& peculiare Mediatoris & Redemptoris respectu, & quod etiam fecit vt Deus æternus, non sanè quidem nobis imitandum, sed potiùs in illo suspiciendum & adorandum.

Quousque sanctorum virorum imitanda sint exẽpla. Breuiter Iesus Christus est exemplar, ad quod oportet fideles in sua quemq; vocatione, priuata vel publica, sese tam veræ pietatis quàm charitatis & mutuæ conuersationis respectu componere. Nõ tamẽ diffitemur, in sacris historiis plurima per Dei gratiam, passim excellentissimorum Dei seruorum exempla nobis proponi diligenter consideranda & imitãda, quando quidem etiam nos ipsos, nisi in Dei maledictionem incurrere volumus, totius vitæ nostræ curriculo bono aliis vitæ & sanctimonię exemplo præire decet, Matth. 18. 7. & hanc ob causam Christiani filij Lucis nominantur, & luminaria in mundo splẽdentia, Philip. 2. 15. At quoniam homines sunt perfectissimi quique, ac proinde peccatores (quod etiã dilectus ille discipulus admittit, se ipsum in eorum numero recensens, 1. Ioh. 1. 8.) ideo, antequam nobis vllum proponamus cuiuscũque viri exemplum imitãdum, siue eorum qui Spiritus Sancti in sacris præclaro testimonio sunt insignes, siue aliorũ veterum aut neotericorum, vita functorum, aut adhuc viuẽtium, in primis eorum exempla sunt ad Lydium lapidem examinãda, nempe, quòd ad doctrinã, Sacras Scripturas à Spiritu Sancto Prophetis & Apostolis dictatas: quòd ad vsum autem vitæ, Iesu Christi vitam exemplar vnicum dicimus

mus & regulam ad quam ſingulorum hominũ facta & dicta exigantur, vt poſſimus eos imitari, quomodo & quatenus ipſimet imitatores Ieſu Chriſti fuerunt, vt loquitur Apoſtolus, 1. Cor. 11. 1.

Præter ſuperiora, quum Dominus diſcipulum præmoneat de certaminibus ad mortem vſque tolerandis, obſeruandum nobis eſt præter confirmitatem noſtram cum Ieſu Chriſto, quæ poſita eſt in eorum imitatione quæ Ieſus Chriſtus dixit & fecit, aliam præterea ſupereſſe membris cum capite conformitatem, quæ in communicatione paſſionum capitis huius & membrorum conſiſtit, quibus cum iiſdem hoſtibus communibus eandem veritatem oppugnantibus eſt negotium: minimè quidem quòd adhuc in ſe hoc caput patiatur, (quandoquidem plenam adeptus Chriſtus victoriã in cœlos aſcendit, & ad Dei Patris dextram regnaturus ſedit) ſed quòd adhuc in mẽbris ſuis oppugnetur & perſecutionem patiatur, quod ſibi ipſi factum imputat, Act. 9. 4. & Coloſſ. 1. 24. donec ex promiſſione Patris ſuos internecione hoſtes deleuerit, & ſolidã ex iis victoriam reportarit, Pſal. 8. 7. & 110. 1. quod ipſum Apoſtolus copioſè perſequitur. 1. Cor. 15. & Hebr. 10. 13. Idcirco Dei filiorum omnes paſſiones hoc nomine Crucis ſignificantur, non quidem vt eo ſupplicij illius genus tantum deſignetur, quo tam ipſe Dominus, quàm poſt ipſum aliquot alij ſunt affecti, & nominatim Petrus (ſi vera ſunt quæ de ipſo ſancti quidam

Alia cõformitas inter Ieſum Chriſtum & eius mẽbra in communicatione paſſionum eius, aduerſus eoſdem hoſtes, & ob eandem cauſam.

viri olim memoriȩ tradiderunt)ſed quòd licet perſecutiones & perpeſſiones,qualeſcũq; ſint, eiuſdem omnes generis & menſuræ non ſint, tamen ex eodem fonte & iiſdem hoſtibus, odio nimirũ & malitia Diaboli & mundi promanent.Sed hic nobis tria potiſſimùm capita, ne offendamus,ſcitu neceſſaria ſunt.

Prima differentia in conformitate paßionum Ieſu Chriſti & membrorũ ipſius.

Primum eſt,in hac conformitate ſuperiorũ reſpectu,hãc Domini noſtri Ieſu Chriſti Crucem plurimum à Cruce cui Dei filij ſubiiciũtur differre.Ieſus enim Chriſtus iuſtus pro iniuſtis paſſus eſt, Dei reſpectu, tanquam ſponſor noſter ac fideiuſſor.Et ita quidem mors illa coniuncta fuit cum horrendo Dei furore aduerſus noſtra peccata,quibus exſoluendis ſe ſpõſorem Dominus noſter interpoſuerat.Cõtrà verò filij Dei percutiuntur, non irati Dei manu,ſed improborũ manibus, Deo ſic permittente & volente, non quidem aut ex eorum malis aut incommodis voluptatem capiente,aut ipſis iraſcente:ſed illis contra velut ex amicorum numero ſelectis, quibus vtatur inſtrumentis ad virtutem ſuam & potentiam magis ac magis illuſtrandam, quum hoſtium ſuorum conatus omnes franguntur,eorũ conſtantia quibus tamen nihil infirmius aut vilius mundus habet,2.Cor.12.9.non ſecus,ac ſi quis magnanimus & ſtrenuus miles aduerſus Cataphractum militem luctaturus, nõ lanceam, non alia iſtiuſmodi quibus alter eſt inſtructus arma corriperet, ſed eum proſtraturus & pudore verecũdiáque ſuffuſurus virgam in manus

nus aſſumeret, veluti Dominus Moyſen aduerſus Pharaonẽ armauit,& Dauidẽ ſuum aduerſus Goliathum, vt infinita alia iſtiuſmodi exempla ſilentio prætercam. Et ne procul iſta repetamus,quot & quanta noſtro ſeculo vidimus & videmus iſtiuſmodi admiranda Domini opera? Nam, obſecro, quas alias copias, quos alios exercitus immani illi, & horrendæ beſtiæ ſeptem collibus inſidenti,Monarcharũ & potentiſſimorum orbis Dominorum viribus circumſepta, quàm viliſſimos,& contemptiſſimos in hoc ſeculo homunciones Dominus oppoſuit?Et vt paucis omnia complectar, nonne acies gladiorum noſtris chartis eſt retuſa? Nonne ſcriptis noſtris ardentes illorum flãmæ extinctæ ſunt,vbi, quando & quomodo Deo placuit, & adhuc ei placet? Sin excipiat aliquis,Iuſtum interea pati:fateor,ſed addendum, quæcunque iuſti patiuntur in hoc mundo leuia eſſe, præ gloria æterna nobis hodie incomprehenſibili, ſed tamen has perpeſſiones exceptura, 2. Cor. 4. 17. Adde præterea quoſcunque cruciatus,aut quàm diuturnos ferant,prout admetiri tentationem ac explorationem Deo placet, magnum tamen illum Deum viuẽtem, qui nunquam ſuos ſinit tentari ſupra vires quas largitur, præſentem ipſis adeſſe,1. Cor. 10. 13. Idcirco tantum abeſt, vt diriſſimos quoſque cruciatus paſſi, de Deo conqueſti ſint (qui tamẽ nec ſenſus nec mẽtis ac rationis expertes erant) vt contrà nunquã ſe beatiores exiſtimarint, quàm quum in illis

paſſionibus verſarentur, Act.5.41. Rom.5.3. Gal.6.14.quemadmodum ipſe Dominus illos ante docuerat, Matth.5.12.

Secunda differentia inter paſſiones Ieſu Chriſti & mẽbrorum.

Altera differentia, longè maioris etiã momenti, poſita eſt in eo quòd Domini paſſiones ſunt noſtrorum omnium peccatorũ pretium & redemptio. At Martyres, vt præclarè dixit olim quidam Epiſcopus Romanus, non dederunt, ſed acceperunt coronas, & de conſtantia martyrum nata ſunt exempla patientiæ, non autem dona iuſtitiæ. Nam mors ipſorum, perſonas eorum ſolas reſpexit, & nemo martyrum ſua morte perſoluit alterius debitum. Et, quemadmodum alius quidam ex vetuſtiſſimis celeberrimis doctoribus ſcripſit, etſi pro fratribus noſtris moriamur, nullus tamen vnquam ſanguis martyrum fuſus eſt in remiſſionem peccatorum, vt pro nobis Ieſus Chriſtus ſanguinẽ ſuum fudit. Nam in eo non propoſuit nobis exemplum quod imitemur: ſed gratiam dedit de qua gratias illi agamus.

Martyres gratis non meritis coronantur: & qui abuſus tui admittantur.

Tantum abeſt igitur vt Martyres ſuis paſſionibus acquiſiuerint, aut meriti ſint gloriam qua Deus eos coronauit, vt contrà nunquàm glorificandi fuerint, niſi primùm fuiſſent plenè & gratuitò iuſtificati, quòd fide apprehendiſſent eum in quo ſolo grati Deo facti ſunt, Epheſ.1.6. Ac proinde Ieſus Chriſtus non poteſt meliùs ſpoliari nomine Mediatoris & Redemptoris, quàm fictitio illo Eccleſię theſauro, quem vocant, qui tam falſis vel potiùs imaginariis mercibus tanto pretio diuenditis

viuunt

viuunt : & hæc quidem hactenus, ne hanc Camarinam amplius moueam.

Tertiò, ne tenebræ Lucis nomine vocẽtur, diligenter notandum est & in memoriam reuocandum, non omnem persequutionem, etiam ad mortem ipsam, contineri hac conformitate de qua hic agimus: sed tantùm Iesu Christo fieri conformes in passionibus eos qui verè pro ipsius nomine persecutionẽ patiuntur, & ad eius gloriam tuendam & amplificandam: non simpliciter vocante Domino beatos eos qui persequutionem patientur, sed additis duabus his voculis, *pro Iustitia.* Item, *Propter me, mentiendo :* & Apostolus ait, *propter Iesum Christum :* & alibi non dicit simpliciter, nos pati & mori, sed addit, *cum illo.* Non igitur pœna, sed causa facit Martyres Domini per sui sanguinis effusionem, sicut ex veteribus quidam optimè dixerunt: ac proinde non veniunt in partem huius conformitatis, nec peccatorum nostrorum iustæ punitiones: neque stulti & temerarij pro qua doctrina patiantur prorsus ignari: multóque minus martyres diaboli: cuiusmodi sunt pertinaces omnes & peruicaces hæretici, ad mortem vsque doceri se non ferentes: nec quicquid est insanorum & amentium illorum, qui Deo se & proximis inutiles reddunt, ac tãdem sibi ipsis exitium adferunt, existimantes se rigidiore quodam vitæ instituto quam comminiscuntur, posse vel pro peccatis suis coram Deo satisfacere, vel etiam, tum sibi, tum aliis Paradi-

Causa facit martyrem nõ pœna.

ſum mereri. Qui non modò falſus error eſt, ſed prorſus abominandus, vt qui, ſi non omnino, ſaltem ex parte, beneficium noſtrę redemptionis aboleat.

Membra ſunt capiti conformia non minus in gloria quàm paſſionibus.

Denique, quòd facilè deſponderemus animum, & vera ſanctáque Dei filiorum cõſtantia, fortitudo & magnanimitas, furor veriùs dici poſſe videretur, ſi tantùm in perpeſſionibus Chriſto capiti conformes fieremus, altera pars huius conformitatis in eius gloria neceſſariò, etiam addenda eſt, dicente Apoſtolo, 2. Timoth.2. Si cum eo mortui ſumus, cum eo etiam viuemus: ſi toleramus cum eo, etiã cum eo regnabimus, ſecũdum illam Domini promiſſionem, Quicunque me confeſſus fuerit coram hominibus, confitebor eum etiam coram Deo Patre meo, Matth.10.32.

Non modò licet, ſed etiam expedit, de alterius ſtatu certi aliquid ſcire: ſed certis quibuſdã conditionibus & finibus.

Tranſeo ad illa Petri verba, *Hic verò quid?* quod ſi ſimpliciter exponamus, quaſi Petrus tantùm ſciſcitaretur an dilectus diſcipulus etiam eſſet eum ſequuturus, tum Dominus videretur non habuiſſe iuſtam occaſionem eum tam aſperè reprehendendi, nec etiam ad rem quæſitam reſpondiſſe. Longius igitur ſpectaſſe Petrum apparet, Dominúmque vt καρδιογνώστην reſpondiſſe Petri cogitationi, quid nempe futurum eſſet dilecto diſcipulo, iſtius quæſtionis occaſione capta ex iis quæ de ſe prius audiuerat. Vnde naſcitur quæſtio, liceat ne de alterius facto nobis inquirere. Nam in eo grauiter Petrum fuiſſe lapſum extra dubiũ eſt, quandoquidem propterea Dominus eum,

&

& quidem cum quadam acrimonia reprehendit. Respondeo, non simpliciter prohibitum in alterius res inquirere: sed contra qui de se tantùm cogitat, vix hominis nomine dignum esse, tantum abest vt Christiano dignus sit: sed non propterea tamen aut de re qualibet, aut de singulis inquirendum dicimus. Quamobrem inquirentes in aliena bono fundamento niti, & intra limites certos oportet contineri.

In alios inquisituros Vocationẽ oportet habere vel generalẽ, vel specialem: priuatam aut publicã, cũ recto proposito & sincero animo.

Itaque primum omnium inquirentem in aliena oportet esse tum de sua vocatione, tum de recto & sincero animo suo persuasum. Nã qui secus faxit, pessimo principio pessimum finem assequetur. Vocatio verò specialis aut generalis est. Generalis singulos homines obligat, sine exceptione, ad quærendam proximorum vtilitatem cum gloria Dei coniunctã: id est omnium eorum quos iuuare vel à quouis malo possunt eripere. Specialis vocatio vel publica est, qualis Pastorum suarum ouium, aut Magistratuum suorum subditorum, respectu: vel priuata, vt patrum & matrum in familias, mariti & vxoris, herorum & seruorum, amicorum in amicos, vicini in vicinum, & alia istiusmodi iusta legitimáque vincula, quibus alij necessitudinis aliis mutuò deuinciuntur, ac proinde alij in alios inspicere & inquirere tenentur, siue cum authoritate & imperio (& quidem cum quadam coërcitione, quum ita vocatio flagitat) siue charitate & beneuolentia Christiana. Huiusmodi porrò inquisitiones non modò decent, sed etiam necessariæ

ſunt, tam ad conſcientias liberandas, quàm ad fouendam hominum ſocietatem. At cum vocatione requiritur is quem ſecundo loco dixi, rectus & ſincerus animus, ab omni opinione ſui vacuus, & ambitione alienus ex aliorum cenſura ſibi autoritatem parandi, multóque magis ab omni odio, & ſimilibus paſſionibus, in quibus non vltimum locum Curioſitas vocationis egreſſa limites obtinet.

Deinde diſtinguendæ perſonæ in quas inquiritur.

Deinde, magno ſtudio diſtinguendæ ſunt perſonæ in quas inquiritur, aut præſentis, aut præteriti, aut futuri tẽporis reſpectu: minimè quidẽ vt προσωπολῆπται ſimus, ſed quòd præter generalem vocationem & obligationẽ de qua loquutus ſum, etiam ſpecialiũ habenda ſit aliqua ratio, ſine præiudicio tamẽ, ſtatim alioquin inde multis ac infinitis cõfuſionibus ſequuturis: veluti ſi Magiſtratus quiſpiam in alterius ditionis quempiam inquirat, aut paſtor in alienũ gregem ſuam adminiſtrationẽ exerceat, aut maritus in alterius vxorem, aut pater in alterius familiam: aut deniq; alter in alterius vocationem particularem inuolet.

Tertiò, conſiderãdum qua de re inquiratur, & cauendum ne nimium in credendo leues ſimus.

Tertiò diligenter expendendum qua de re inquiratur: qua in re ſępe grauiſſime peccatur. Multa ſunt enim quorũ inutilis cognitio, vel ad Dei gloriam, vel ad proximi ſalutẽ, quum prorſus ſint inania. Alia quæ potiùs occultãda, quàm ſcrutanda vel diuulganda. Alia quæ nihil ad inquirentes attinent, & de quibus (ſi tales habentur vt ſilentio præteriri nequeant) admoneri ſatis ſit eos quibus illa cura demã-

data eſt. Alia ſunt eiuſmodi ſua natura, vt in ea Dominus inquiri prohibeat, quæ ſibi ſoli reſeruauit: ac proinde quorũ inquiſitionẽ ſcriptura vocat, Peccatũ ariolorum, tam abominandum coram Domino, vt expreſſè declaret ſe tot populorũ Chananæorum internecionẽ huic peccato tribuere, Deut. 18. 12. Ac proculdubio nõ modo ſacra Scriptura paſſim iſtiuſmodi ſciſcitationes oraculorum expreſſiſſimè & magnis cõminationibus, Exod. 22. 18. Leui. 19. 26. & 31. & 20. 6. & 2. & Deut. 18. per totum caput: ſed etiam bonæ & ſanctæ veteres leges imperiales, prohibent. Vnde igitur, obſecro, paſſim iſta in orbe Chriſtiano ſic inualuerũt, vt in ea non animaduertatur. Sed præter ſuperiora in quibus peccatur grauiſſimè, quiddam eſt præterea magni momenti in quo non minùs grauiter peccatum ab iis qui nimium in credendo ſunt faciles: vt ex auditis vel inquirant vel reprehẽdant: vel etiam temerè quod condemnandum eſt admittant: vel quod probandum reprobent: vnde infinitæ rixę & contentiones ac inimicitiæ naſcuntur: quo malo nos potiſſimum hîc, quod nõ ſine ingenti dolore dico & piorum omnium, laboramus, vt immedicabilis morbus videatur.

Recta conſcientia cũ charitate coniuncta & ſpiritu diſcretionis docẽt quomodo in aliorũ inquirendum ſtatum.

Ex quibus omnibus infero, verum quidem illud eſſe, mutuò nos oportere de aliis eſſe ſollicitos & curam alios aliorum habere, quod ſine inquiſitione fieri nequit: ſed in hac potiſſimum, ſi qua alia re, poſtulandum à Domino Spiritum diſcretionis & ſapientiæ, cum rectæ

conſcientiæ integritate & vera charitate, & quidem maximè quod iſtius modi inquiſitionibus Deus nos aut ſummi boni aut ſummi mali facit inſtrumenta. Quamobrem vtrumque ſumma diligentia cauendum extremum, ne iſtius demandatæ nobis prouincię adminiſtratio polluatur, vel dum officio deſumus, vel vocationis limites excedimus. Quem ad finē referendæ ſunt in ſacra ſcriptura paſſim obuię de harum rerum vſu legitimo admonitiones.

Natura Petri temeraria illũ hic in duo non leuia peccata impulit.

Si igitur vt ad contextum reuertamur, aliquis interroget, qua in re Petrus hic lapſus ſit, aio lapſum, nō malo quidē affectu, ſed curioſitate manante à ſpiritu illo nimiũ prōpto & ſæpe nimiũ temerario, qui deinceps cum tēpore in ſingularem & ardentem zelum in eodem eſt mutatus: vt mox dicemus. Duplex igitur fuit huius curioſitatis error: prior quod quòd quum illũ de ſe cogitare & iis quæ ipſi euentura Dominus prædixerat oporteret, de ſocio cogitat: alter quòd temerè & ſine occaſione quærit quod à nobis Dominus vult ignorari: niſi quum illa ſuis ſeruis extraordinariè reuelare dignatus eſt.

Lapſus eorum qui in alios inquirunt.

Prior lapſus ille ſanè nimiũ eſt nobis frequēs, vt in aliena potiùs inquiramus & peruideamus quàm in noſtra; minimè quidē aliorum commodis magis quàm noſtris ſtudentes, ſed ex vana & futili curioſitate, qua deinceps aut de aliorum commodis liuor & inuidia, aut detectis in proximo quibuſdam vitiis, opinio noſtri naſcitur, quaſi meliores aliis ſimus,

ſumus, cernentes in alterius oculo feſtucam, ſed in noſtro trabem non animaduertentes, Matth.7.3. aut frequens in ore omnium excuſatio, non meliores nobis eſſe alios.

Deus vitæ curſum nobis incognitũ eſſe vult ſummo noſtro bono: quem qui præter aut pro ſe aut pro alijs præter naturales cauſas ſcrutantur, grauiſſimè Deum offendunt.

De altero verò, docemur non tantùm Domini verbo, Geneſ.2.17. Heb.9. 27. Rom.5.12. ſed etiam experiẽtia quotidiana mortẽ ſicuti omnibus hominibus decreta eſt, ſic etiã eandẽ incertã, putà quo modo, quáve hora cuilibet contingat, Deo volente nos ab vnica ſua pendêre prouidẽtia: & hac incertitudine moneri, ſemper nobis ſtandũ paratis, & inuigilãdum, ignaris quando ſimus ad ſummũ Iudicẽ rapiendi: felice futuro ſeruo illo quem Dominus repererit vigilantem & precantem. Neq; verò ſunt iſta reiicienda in vltimum illum vniuerſalis iudicij diem, ſed etiam intelligenda de vltimo die vitæ cuiuſque: id docente Domino, Matth.24.42.& 25.13. Marc.13.35. Luc.12. 37. & 21.36. Summo igitur noſtro commodo Deus voluit, & vult, nos ſcire & agnoſcere quanta ſit vitæ noſtræ breuitas & inſtabilitas, quod tamen nimium multi tradunt obliuioni, ſic in hoc mundo vitam quaſi ſemper in eo manſuri degentes, Pſal.49.12. Ideóq; Propheta Deum rogat vt vitæ noſtræ breuitatem & inconſtãtiam ſemper eius cogitationi ſubiiciat. Pſal. 39.5.& 90.12. Modum verò mortis & horam nos latere ſapientiſſimè voluit. Nam ſi mors iam iam imminens expectaretur, maxima pars hominum tanto terrore percelleretur, vt de hac vita traducenda minimè cogitaret: ſin autem longiùs abeſſe putaretur, pœni-

tentię locum ſuperfuturum contemptores dicerent. Itaque ex gratia & ſpeciali ratione Dominus aliquid de ſuę vitę curſu certis quibuſdam amplius patefecit, veluti Moſi, Deuteron.32.49. & 50. & Eliæ.2. Reg.2.3. Ezechiæ bis. Eſ.38.1. & 5. Sic Dominus hoc loco Petro violentam mortem prædixerat, quum ad maturam ætatem perueniſſet: qua manifeſtatione Petrum oportuit eſſe contentum, non autem ſocij ſui, bonam, vt ita dicam, fortunam expiſcari.

Quot quantique hic abuſus.

Itaque tenendum nobis, omnes iſtos ariolos, vates, Magos, & in primis Aſtrologos iudiciarios, & horoſcoporum natiuitatum diſpoſitores, quatenus audent rationum & obſeruationum naturalium limites tranſilire, ſua natura tamen incertiſſimarum, quaſque nemo negauerit, licet certiſſimas & hominibus cognitiſſimas, ſic tamen in Dei manu & poteſtate verſari, vt earum effectus ex arbitrio ſuæ voluntatis producat, aut retardet, ac denique prorſus tranſmutet. Qui verò confugiunt ad iſtiuſmodi rerum futurarum prænuntios, horrendæ profanationis & contumaciæ coram Deo rei ſunt, in cuius ſecreta volunt penitiùs ſcrutari, digniſſimíque grauiſſimis pœnis, ſi ſuo munere Magiſtratus fungerentur. Nam ſi ſimplex illa Petri curioſitas quid ſocio ſuo euenturum eſſet ſciſcitantis, non ex aſtris, non ex diuinis aut ariolis, ſed ex eo vno à quo fieri poterat certior, ſubaſperam illã Domini correptionem meruit: quid iis futurũ eſt qui cœlos

los libẽter penetrarint, arcana Dei ſcrutaturi, nobis immanem illam Gigantum audaciam ante oculos ponentes, de qua poëtarum ſcripta meminerunt, & his reſponſis plerunque freti res arduas & abominandas ac deteſtandas aggrediuntur, quorum noſtro ſeculo nimium frequentia ſunt exempla, adeò profani ſunt homines & impietatis pleni?

Verum enim verò perpendamus in hoc facto ſingularem Dei ſapientiam cum immenſa miſericordia coniunctam, diſcipulum quidem ſuum corripientis, ſed eius lapſu tamen vtentis, in alterius commodum, immo & totius Eccleſię vtilitatem, tam eſt modis omnibus in ſuis conſiliis Dominus admirandus. Nam quum duo illi diſcipuli inter cæteros excellentibus donis eſſent ornati, & illorum opera Dominus ſic eſſet vſurus in iaciẽdis Eccleſiæ ſuæ fundamentis, vt illius fuerint, quod ad miniſterium, veluti columnę, Gal. 2. 9. Dominus quum præmonuiſſet ſe alterum nempe Petrum, morte violẽta recepturũ ad ſe, voluit eâdem manifeſtatione & eôdem momento ſuam Eccleſiam conſolari, ſatis perſpicuè pollicitus, ſe diu Eccleſię ſuę lumen illud alterum conſeruaturum, diſcipulum nempe dilectum, cui propterea gratiam illam conceſſit, vt pręter ternas ſuas epiſtolas, duos illos excellentes theſauros nobis præterea reliquerit, hiſtoriã nimirum Euangelicam, in qua multa complexus eſt ab aliis omiſſa: & præterea ſuam Apocalypſin, id eſt tot arcanorum reuelationem

Dominus ex immẽſa ſua bonitate Petri curioſitate abuſus eſt ad alterius diſcipuli indicandam vitæ conditionem, ad Eccleſiæ ſuæ conſolationem.

in quam in seculorum vsque consummationem Ecclesia velut suam helicem intueatur: adeò vt huius libri respectu videatur ille discipulus adhuc in viuis esse, & cum mortalibus loqui, minimè quidem vt somniarunt qui Domini verba perperam interpretabantur: sed reuelationũ illarum respectu. Nam Apocalypsin nulla iusta subest occasio, in dubium reuocandi.

Quomodo rata fuerint quæ de discipulo Dominus cũ conditione dixerat.

Nec magis esse suspectum oportet quod de eius vita scriptum legimus in historia Ecclesiastica, nimirum ab suo reditu Ephesum ex insula Pathmos, in quam relegatus fuerat, Apoc.19. vixisse ipsum vsque ad annum quartum Imperatoris Traiani, qui incidit in annum sexagesimum quartum à Dominicæ resurrectionis historia: quo tempore non dubium est quin mortuis reliquis Apostolis, Ecclesiæ sint eius præsentia valde recreatæ, valde illa sanè necessaria, vt testis oculatus audiretur eorum quæ ipse & socij eius docuerant & monumentis tradiderant de Domino nostro Iesu Christo, quod idem ipse minimè reticuit. 1. Ioh. 1. 1. & 4. 6.

Fabulosa verò sunt & fictitia quæ temerè scriptis tradita à plerisque, sunt credita de sepultura & sepulchro ipsius, manarúntque à falsa illa opinione, ipsum mansurum in mundo vsque ad vltimum aduentum Domini, ac proinde nunquam moriturũ: qui quidẽ error ex istis Domini verbis malè intellectis profluxit. Ac voluit noster Euangelista, de se loquutus

quutus in tertia perſona, in hac hiſtoria fundamentum illius erroris detegere, in eo ſatis apertè declarans quam conſcientiam in reliquis omnibus ſuis ſcriptis præ ſe tulerit, quãtúmque ab omni ambitione fuerit alienus.

Quàm difficile ſit ſpiritũ erroris cohibere ne ſerpat.

Sed quandoquidem hic error, fruſtra hoc de ſe Iohanne ferente teſtimonium, ſic inualuit, vt non potuerit aboleri, & quidem eò vſq; vt vix quadrageſimus annus agatur ex quo quidã impoſtor & ſocius inſignis illius nugatoris & Apoſtatæ Poſtelli, nuper mortui Lutetiæ, auſus eſt in Gallia palàm ſeſe Iohannem illum Euangeliſtum reſuſcitatum profiteri, qui tandem apprehenſus Tholoſæ crematus eſt: quis miretur ſimiles nugas infinitas, immo iſtiuſmodi multa falſa & impia iiſdem artibus Satanæ nata, nec minus temere & leuiter credita & monumentis conſcripta in Eccleſiam ſenſim irrepiſſe.

Ratio generalis qua Euangeliſta ad ſuæ hiſtoriæ veritatem aſſerendam impulſus eſt.

Superſunt nobis explicanda verba illa quibus noſter Euangeliſta totam hanc ſuam hiſtoriam Euangelicam claudere voluit, vt certò conſtaret Eccleſiæ ipſum fuiſſe certum & occulatum teſtem eorum omnium quæ ſcriptis mandarat. Nam inde ab Apoſtolorum temporibus, Satan tantum potuerat apud ſuos ſatellites, vt Apoſtolorum nomine multa falſiſſima ſomnia confingeret, paſsímque diſſeminaret, qua de re nos Apoſtolus præmonuit, 2. Theſſ. 2. 3, & 3. 17. quorum etiam maturè catalogum Eccleſia confecit, & deinceps in magnum Decretum inſeruit, ſub nomine Gela-

sij Episcopi Romani, anno Domini 495. Verumtamen non ideo malo isti occursum est. Nam ita sunt hi libri damnati, vt nihilominus abusus qui in illis continentur inuecti sint, ac pedetentim in Ecclesia sic confirmati, vt vix hodie possint euelli. Sed præterea, præterquàm quòd quædam istiusmodi scriptorum exemplaria in plurimis bibliothecis conseruata sunt, tantum potuit Satan nostro seculo vt multos eorum typis etiam excusos euulgaret, & quidem cum permissione & bona venia Regum & Imperatorum pessimis consultoribus deceptorum: tanta hodie támque effrænis est istorum hominum audacia passim impunita, quam Deus vtinam, pro sua misericordia, compescat.

Duæ speciales rationes quibus Euangelista impulsus in Ecclesiæ commodũ ita suam historiam clausit.

Verùm noster Euangelista videtur duabus de causis ad hanc historiam hoc testimonio claudendam impulsus. Prior est, quòd quum historiam penè totam texuerit ex iis quæ partim alij tres Euangelistæ, post quos scribere aggressus est, prorsus omiserant, partim etiam ex parte tantum, metuendum esset ne id apud multos suspectum foret. Altera, quòd quum verisimile esset multa alia Iesu Christi facta & dicta, non minùs istis vera, sparsa fuisse inter fideles à quibusdam, quemadmodum Apostolus sententiæ cuiusdam Domini meminit, quæ tamen in scriptis Euangelicis non extat, nempe, Beatius esse dare quàm accipere. Act. 20.35. & idem Apostolus trium apparitionum Iesu Christi ab eius resurrectione mentionem facit

facit 1.Cor.15.quę non memorantur ab Euangelistis, itaque vereretur ne hoc obtentu plurima in Ecclesiam mendacia irreperent(quod nihilominus magnis etiã editis voluminibus cõtigit)declarare cõstituit re vera non omnia Iesu Christi dicta vel facta sigillatim fuisse monimentis scriptorum tradita, quod admodum difficile,immo ἀδυνάτον fuisset futurum: sed simul etiam docere ista quæ tã ipse quàm alij Euangelistæ scriptis, duce Sancto Spiritu, tradidisset sufficere fidelibus : quibus protestationibus alibi noster Euangelista etiam vsus est,veluti Ioh.19.35. & 20.30. quibus locis etiam rationem præscribit discernendi vera à falsis de rebus iis omnibus quæ de Iesu Christi factis vel dictis dici vel conscribi possent nequis imponi sibi patiatur.

Vsus. præcipuorum historiæ præcedentis capitum,

Itaque vt sanctm istam doctrinam ad vsum nostrum referamus, hinc quidem discamus, primùm ex ratione quam Dominus sequutus est in reuocando & redintegrando discipulo,à quo tam malè fuerat agnitus,Dominum reuera ex sola sua immensa bonitate, sacrosancti verbi sui ministerij authorem,fundatorem, protectorem & promotorem esse. Deinde quantam diligẽtiam eos oporteat adhibere quibus hæc cura est demandata in rebus omnibus accuratè sigillatim expendendis, & iis maximè qui pœnitentiam agunt, siue in Ecclesiam introducendi sint, siue restituendi qui munus in ea publicum sustinere debent. Inde verò ex Petri responso, quàm dociles esse

deceat eos quos vocare Dominus dignatur. Discamus etiam quid illę, Pastorum & Ouium voces ferant: ac quàm sit necessarium omnibus hanc viam ingredientibus ad Crucem ferendã sese pręparare. Precemur etiam Dominum, ex iis quæ Petro dilectóque discipulo dicta superiùs, audiuimus, ne suam vnquam Ecclesiam orbam relinquat, sed fidelibus ad se receptis Pastoribus, quando & quomodo voluerit, alios suscitet, qui cœptum ædificium promoueant, missis fidelibus Pastoribus & Doctoribus sibi inuicem succedentibus, quemadmodum se ad seculorum vsque consummationem suis adfuturum est pollicitus.

Sed in genere, supplices Dominum oremus nobis gratiam largiatur verum & vnicum Iesum Christum, qualem ipsum nobis testes illi authentici depinxerunt & ad viuum expresserunt, Iesum Christum, inquam, propter offensas nostras traditum, & excitatum propter iustificationem nostri, amplectendi vera fide, quæ coram Deo, Angelis & hominibus testetur, nos iam mortuos esse peccato, & ad iustitiam resurrexisse cum eo, per primam resurrectionem: secundam & vltimam expectantes, qua erit omnia omnibus, vt cum ipso viuamus & regnemus in æternam. Amen.

* * *

FINIS.



INDEX RERVM MEMORABILIVM QVAE IN HIS HOMILIIS continentur.

A

D.

Ecclesia

L.

Milites

N.

P.

FINIS.

panied by J. MacDonald, MSC
v 1968
MS Covers removed + returned (= Lot MS
MS Strip on spine removed 150